UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1687

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-56286

Visual Library

Th. 3315.

H v
25.

EXEDRA ECCLESIASTICA.

vgl. 316

EXEDRÆ ECCLESIASTICÆ SIVE CONCIONVM MORALIUM

In Dominicas totius anni.

AUCTORE

P. IOANNE SCHRÖTTER

Societatis IESU T. P.

TOMVS PRIMVS.

Collegij Soctis Iesu Paderborn.
A° 1686.



COLONIÆ AGRIPPINÆ.

Apud WILHELMUM & FRANCISCUM METTERNICH Bibliop.

An der hohe Schmidt. ANNO M. DC. LXXXVII.

Cum Privilegio Sacræ Cæsar. Majest.

EXEDRÆ ECCLESIASTICÆ

SIVE

CONCIONVM MORALIUM

In Dominicas totius anni.

AUCTORE

P. IOANNE SCHRÖTTER

Societatis IESU T. P.

TOMOS PRIMOS.

COLONIÆ AGRIPPINÆ.

Apud WILHELMUM & FRANCISCUM Metternich Bibliop.

Zu der hohen Schule ANNO M. DC. LXXXVII.

Cum Privilegio Sacræ Cæsar. Majest.

Lectori Benevolo.

Haud me fallit, & noctuis in meridiana luce; & literatis, in tantis eruditorum hominum splendoribus comparere, periculosæ esse opus plenum aleæ. Neque enim tot volucrum rostris sub ipsum meridiem, illæ obnoxiæ sunt; quot calamis, limis, & prope lanienis Censorum libri primùm in lucem editi. Hic stilum carpit, illi inventio displicet, aliis prolixitas, aliis brevitas bilem movet. Ita identidem scriptor pro plausu sentit flagellum tot scorpionibus, quot Theonis morsibus armatum. Verùm me ista minimè morantur, qui non tam hominibus, quam Deo meo placere exopto; nec popularem auram, sed animas pretioso Christi sanguine redemptas captare intendo. Votum enim meum unicum est, ut ubi vox mea sepulchrali lapide intercepta, ultra audiri nequiverit vel ex emortuo hoc codice percipiatur, eoq; constantiùs peroret, quò securiùs in posteros propagatur. Vero enim verius est Reverendissimi Spanhaimensis Abbatis apophtegma: Major est scriptoris pietas officio Prædicantis, quia istius cum tempore perit monitio, illius perseverat in annos multos enuntiatio. Prædicator loquitur duntaxat præsentibus, scriptor prædicat etiam futuris. Illius sermo semel auditus in nihilum redigitur; istius lectio millies repetita nunquam minuitur. Cùm Prædicator deficit, cessat officium, scriptor etiam mortuus in volumine moribus facit institutum. *Hoc animo, aliisque inductus rationibus Exedram hanc, tribus tomis compaginatam erexi: Quorum primus complectetur Conciones in Dominicas minimùm binas, partibus suis discretas. Alter Festivitates Domini, & Dominæ nostræ comprehendet. Tertius in festa servorum sanctorum colophonem imponet. In iis cum Lipsio eruditissimo, ingenuè, liberèq; fateor, lapides & ligna me ab aliis accepisse, solam prope constructionem meam esse.* Architectus ego sum, sed & materiam variè undique conduxi. *Quod si etiam ad normam cujuspiam conceptus in aliqua Concione accessero; (non enim tantum sublimia, sed & mediocria identidem conspirant ingenia,) sanctè contestor, in meas manus ejusmodi Authores, atque oculos necdum incidisse. Tu interim benevole Lector vale, & fave.* Brunsbergæ. Anno 1687.

Trithemius Libro de scriptor. laud. c. 6.

Lipsius in Polit.

Facul-

Facultas Rev. P. Provincialis.

EGo infrà ſcriptus Societatis JESU Præpoſitus Provincialis in Provincia Lithuanica, poteſtate ad hoc mihi facta ab Adm. Reverendo Patre noſtro Carolo de Noyelle, Præpoſito Generali ejuſdem Societatis, concedo *Wilhelmo* & *Franciſco Metternich* Typographis & Bibliopolis Colonienſibus facultatem imprimendi Tomum primum *Exedræ Eccleſiaſticæ*, ſeu *Concionum Dominicalium bipartitarum* à P. IOANNE SCHRöTTER Societatis ejuſdem Sacerdote, à deputatis ejuſdem Societatis Theologis examinatum, & approbatum. In quorum fidem hiſce ſubſcripſi, eaſque ſolito officii mei ſigillo munitas dedi. Brunsbergæ 21. Januarii 1687.

(L. S.)

GREGORIUS SCHILL Soc. JESU.
Præpoſitus Provincialis per Provinciam Lithuanicam. mp.

CENSURA ORDINARII.

TOmus primus Exedræ Eccleſiaſticæ ſeu Concionum Moralium à R. P. IOANNE SCHRöTTER S. I. elaboratus, à Theologis ejuſdem Soc. examinatus & approbatus, cum pro Concionatorum adjumento & pro Auditorum inſtructione è cathedris declarari merentur, placet ut detur typis, Coloniæ hac 16. Martii 1687.

CHRISTIANUS NEWENDALL Elſius SS. Th. Doctor, Coll. Eccl. S. Andreæ Decanus, Gymnaſii Montani Regens, Univ. Col. p. t. Rector, Librorum Cenſor. mp.

Eminentissimo Principi & Domino

D. MICHAELI IN RADZIEIOVVICE RADZIEIOWSKI

COMITI IN KRYLOW

S. R. E. CARDINALI

Celsissimo S. R. I. PRINCIPI

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI

ET

PRIMATI Regni electo;

EPISCOPO VARMIENSI ET SAMBIENSI &c. &c.

Domino D. Clementissimo.

MIraberis meritò Eminentissime Princeps me amplissimæ Celsitudini Tuæ tam angustam, abjectamque supplantare Exedram. Neque enim tuam adæquare pollet amplitudinem tam stricta; neque ad tiaratum Tui nominis fastigium assurgere tam abjecta; neque Tuos quos per orbem Christianum longè lateque diffundis, complecti fulgores tam impolita. Excelsior

Maje-

Majestas Tua est, quàm ut tam humili resupinetur in Exedra; augustior, quàm ut tam angustæ præfigatur paginæ. Tuum veriùs, quàm Epiphanii Ticinensis Episcopi elogium evulgasse censendus est Theodoricus Rex Gotorum, cùm diceret: *Ecce hominem, cui totus Oriens similem non habet, quem vidisse præmium est, cum quo habitare securitas.* Si enim vel quicunque alii, vel hic ipse tantopere decantatus Præsul incoram redivivus assurgeret, nonnisi velut Umbra in comparatione tui assisteret. Tuum illud Barbarici quantumvis Oratoris fastuosè quidem Domitori orbis attributum, appositissimè autem tibi imputatum: *Si Dii habitum corporis tui animo parem esse voluissent, Orbis te non caperet. Alterâ manu Orientem, alterâ Occidentem contingeres.* Neque enim animum Tuum explere poterant, aut pervetusti sanguinis, illustribúsque elaborata meritis nobilitas, aut in tot sacris Tiaris gemmæ, tot purpurata in Senatoriis Curulibus conchylia, tot in muneribus ac Legationibus publicis Caducei, ac sigilla; aut ipsi in serenissimo & Invictissimo JOANNE III. Rege nostro clementissimo consanguinei fasces, in Te solum veluti in alveum transfusa gloriæ; nisi tu propriis auctam virtutibus, suos in fontes fœneratam refunderes; & qui habes ut à Parentibus, Avis, Proavis, Atavis dicereris Magnus, illud illi à te consequerentur, ut Majores existimentur. Non suffecerat tibi, ut quæcunque lineamenta illorum in te conspectarentur, nisi illa insuper, quæ in exteris aut alienis ceris admiramur decora, in Te laudabili ambitione derivasses. Effecisti illud amicô sapientiæ tuæ virtutúmque conjugio, ut qui Te aspiciunt, D. Ambrosium in ore tuo, Augustinum in ingenio, Gregorium in decretis, Hieronymum in dignitate ac stilo obstupescant. Vastissimus enim animus tuus perinde ac Oceanus immensus quosvis eruditionis ac sapientiæ fontes illimi decurrentes gurgite avidissimè excipit, & complectitur; Ideasque virtutum

quas-

Sigon. de reb. Ital. lib. 5.

Curt. l. 7.

quâsvis, haud secus ac speculum tersissimum exhibet, & admittit.

Unde vix hanc sedem Varmiensem occupaveras, cùm illico vox populi, quæ vox Dei est, detonuit: Iam Te Ermelandia non capit, *Curt. l. 1.* alia tibi quære regna, aliæ te manent Tiaræ. Insignes quippe virtutes tuæ, Dignitatis hujus tyrocinia diu sustinere posse non videbantur, quæ firmiora fastigia cœteris miranda deposcebant. Iam tum hospitari solem in Ariete tuo gentilitio liquebat, quando supra inferius hoc Candelabrum (si tamen ita dici fas est,) positus, in Oriente tuo universos, si non ad adorandum more gentium, certè ad devenerandum pellexisti, nec in unam regionem, sed quod soli consanguineum per orbem universum radios fulgoris tui evibrare cœpisti. Profectò Genus, Genius, atque Ingenium tuum vel in hac amplissima Cathedra, tanquam sub modio credebantur coarctata.

Et veridicas fuisse voces probavit eventus, quando ipsa secum conflixere visa officia, déque Te uno decertare, quodnam illorum tuos exornare mereretur humeros. Cùm verò ipse ad tanta munia, dignitatésque venire detrectares; jam una, una altera neutiquam precibus solicitata, aut Phryxeo vellere illecta, aut favoribus subvectata; sed planè meritoriis calculis provocata accurrit, sumùmque veluti refugum coronâ innexuit. Erravi, Tu illam Eminentissime Princeps gentilitii arietis machinâ ad deditionem coegisti, tributariamvè mancipasti. Effecisti id, quod olim Adrianus Imperator edixerat: *Alta officia non liberaliter à Principe donanda sed meritorum armis à subditis violenter comparanda.* Et idcirco glorioſius duxisti heroicâ Tuâ animi magnanimitate honorem Tibi subdere, quàm Te eidem obnoxium profiteri. Quam deditionem ultrò ipse ambivit honos, ratus non modicam beatitatis suæ partem non Leonibus, aut Leopardis; sed Agno tuo, perinde ac Apocalyptico cum empyreis Senatoribus, supplicem accubuisse.

Et primum quidem tributario quasi censu Te Pileo remuneratus est, ut eo ipso ostenderet emancipatum tuum à servilibus illecebris pectus. Quem nunquam Tincturâ tam eminenti imbuisset, nisi Agnum tuum candidi velleris fuisse constitisset. Revera bonum te Pastorem exhibuisti, qui illum tam selectis pavisti floribus, ut vellus suum redderet aptum, cui adeo pretiosa intexeretur purpura. Mox verò quadam æquitatis, ac gratitudinis lege Primatem Regni Te edixit, utpote qui ubique Fidei, Justitiæ, Veritati, ac bono publico primas dares. Et Patriarcham Regni esse jussit; non tantum quia Patri Patriæ, aut Patri Ecclesiæ placuisti, sed multò auctius, quia Patrem te Patriæ esse, & fore perspexit. Plura alia meritis tuis contulisset, si quidpiam inveniisset, quod amplitudini virtutis tuæ respondere potuisset.

Quâ fronte itaque tam angustam, abjectamque Celsitudini tantæ substerno Exedram? Nempe eadem, quâ illam conspicor, quod non reputet se in tam Eminenti Curuli tutam considere, nisi ad subdita insuper scabella demittat. Cum Numine nimirum, etsi pleraque alia, tum verò id vel maxime commune habet, quod ad illud proximè accedat laudatissimâ Humanitate; quâ humilia respicit, ut extollat. Cum verbo Incorporato istud aliud, quod indissolubili nexu Dignitati societ submissionem, Eminentiæ Clementiam, Potestati Benignitatem, Auctoritati comitatem, sapientiæ Pietatem. Cum Agno Gentilitio quod mitissima sit, & noxam si quæ est (ad æmulationem illius qui tollit peccatum mundi) clementissimè abstergat; atque infulati capitis annutu indulgentiam appromittat.

Patere igitur in tam publicis propensi omnium in Te amoris testimoniis, ac singulorum Ordinum gratulationibus hanc minimam symbolam tanquam minutum unum vastissimis præconio-

rum

rum Tuorum voluminibus adjicere. Patere nomine Tuo illam illustrari, quatenus in sapientum corona gratiam inveniat; Tuo honori insigniri ut æstimetur; Tua humanitate vestiri, ut placeat; Tua virtute animari ut vivat; Tuo patrocinio foveri ut perennet. Staret enim densissimis in tenebris hæc exedra, dum lucem affectat, nisi à Majestatis Tuæ umbra lucem emendicaret. Verum securè jam in publico assurgit dum Eminentissimis plantis ita se submittit, ut dum augusto passu illam presseris, Pontificii favoris vestigia eidem sis impressurus. Neq; ruinam timet, etsi Purpurato jam Patri venerabunda accidat. Altiorem enim in lucem surrigitur, cùm ad magni Principis cultum prona succumbit; interque soles publicos eminet, ubi ad Cardinalitiæ Tiaræ Tuæ umbram subsistit. An enim feliciorem unquam diem auspicari potuit, quàm in Majestatis Tuæ purpura, quæ beatitatis omnis aurora est, totque aureas Patriæ horas dispensat; ut ex aureo Agni Tui vellere auream veterum ætatem reviviscere credamus. Nec alium præter Te Ecclesiæ Atlantem, Exedra Ecclesiastica ambire debuit; quo pondus quod levis illi calamus detraxerat, Gratia purpurati Principis adjiceret. Sic verò humeris tuis erecta, etiam dum sola pedum tuorum vestigia sequitur, etsi vocis officium, mutæ paginæ Exedra concredidit omni tamen Tullio facundius illa perorabit, cui vocalis emeritæ virtutis Tuæ fama vocem suppeditat. Hoc Tuo fulta præsidio Exedra mea, num Vicarium quempiam Atlantis, Herculem ambiret; quum Tuis pressa vestigiis securior assurgit, quam ullius alterius Gratiæ humeris erigi posset? An non citra ruinæ periculum consistet, si Præsuleo scipione, quo Illustrissimæ Tuæ stirpis gloriam sustines, etiam dicatam Tuo honori Exedram fulcies? Plantis equidem Tuis promptius illam submisissem, ut Principi Maximo ad majorem Eminentiæ apicem gradus per illam sterneretur; nisi propriis succollatus meritis eò dignitatis & fortunæ ascendisses; ubi & Vicarium

Dei Caput affinitate,&,ut dixi,Regnatricem Poloniæ Majestatem sanguinis nexu proximè attingeres. Iam verò Infans pro domo Dei Tullius, qui in hac Exedra perorat infantiæ taciturnitatem exuisse videtur,cui loquendi copiam spes Præsulei favoris vel ideo concessit,ne vocem Clamantis in deserto Exedra præsentaret, cui disertum quod palam ubique resonat nominis Tui præconium inscribitur. Tantam vero à Præsulis, ac Principis sui splendoribus claritatem sortita omnem alium despuit Exedra mea ornatum,nec Apellis exambit penicillum,cui Cardinalitiô Ostro ruborem purpurata Clementia induxit. Quo enim decoris ornatu pulchriùs tegeretur,quæ Majestatis Tuæ purpurâ protegitur? Annue igitur Præsul ac Princeps Eminentissime, ut Exedra ista, quæ Deo nunc primum erecta assurgit, Tuæ imprimis Vicariæ Dei Majestati dicata succumbat. Tum verò disertissime in Exedra me peroraſſe censebo,si tuo animatus favore me proclamavero

Addictissimum, ac Eminentissimo Tuo Honori devotissimum in Christo Servum

IOANNEM SCHRöTTER
Soc. Jesu.

INDEX

INDEX

Concionum & Argumentorum

TOMI PRIMI.

CONCIO I. IN DOMINICA I. ADVENT. Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum poteſtate magna & Majeſtate. *Luc.* 24. *Arg.* Janus bifrons, ſeu, Præſtat videre in hac mortalitate faciem irati, quam placati Numinis. pag. 1.

II. IN DOMIN. II. ADVENTUS. Cum audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti, miſit duos ex diſcipulis ſuis. *Matth.* 11. *Arg.* Caput B. Ioannis in diſco, ſeu inquiſitio in authorem cædis S. Joannis Baptiſtæ. 11

III. IN DOMINICA III. ADVENTUS. Tu quis es? *Ioann.* 1. *Arg.* Sphynx detriumphata, ſeu Cognitio ſui commendata. 20

IV. IN DOMINICA IV. ADVENTUS. Parate viam Domini. *Luc.* 3. *Arg.* Lithoſtrota cœleſtis, ſeu via regia Chriſto adornata. 29

V. IN DOMINICA INFRA NATIVITATEM. Non diſcedebat à templo jejuniis, & obſecrationibus ſerviens nocte ac die. *Luc.* 2. 37. *Arg.* Sanctimonialis vera, ſeu modi Deum jugiter laudandi. 39

VI. IN DOMIN. I. POST EPIPHAN. Aſcendentibus illis Jeroſolymam, ſecundum conſuetudinem diei feſti remanſit puer IESUS. *Luc.* 2. *Arg.* Rudimenta pueritiæ. 48

VII. IN DOMIN. II. POST EPIPHAN. Vinum non habent. *Ioan.* 2. *Arg.* Aqua tribulationis vino mixta proſperitatis ſaluberrima. 57

VIII. IN DOMIN. III. POST EPIPHAN. Filii regni ejicientur in tenebras exteriores. *Matth.* 8. *Arg.* Proſcriptio Filiorum regni. 65

IX. IN DOMIN. IV. POST EPIPHAN. Ipſe verò dormiebat. *Matth.* 8. *Arg.* Lethargus Domini. 74

X. IN DOMIN. V. POST EPIPHAN. Cum autem dormirent homines, venit inimicus homo, & ſuperſeminavit Zizania. *Matth.* 13. 25. *Arg.* Oeconomia Diabolica. 82

XI. IN DOMIN. VI. POST EPIPHAN. Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis. *Matth.* 13. *Arg.* Condimentum ſinapis. 90

XII. IN DOMINICA SEPTUAGESIMÆ. Quid

Quid hic ſtatis otioſi ? *Matth.* 20. *Arg.* Hoſtis ſine manibus. 99

XIII. IN DOMIN. SEXAGESIMÆ. Et conculcatum eſt. *Luc.* 8. *Arg.* Trutina divini verbi contemptus. 107

XIV. IN DOMIN. QUINQUAGESIMÆ. Cœcus ſedebat ſecus viam mendicans. *Luc.* 18. *Arg.* Mendicitas Bacchantium. 116

XV. IN DOMIN. I. QUADRAGESIMÆ. Si Filius Dei es, dic, ut lapides iſti panes fiant. *Matth.* 4. *Arg.* Convivium Diabolicum. 125

XVI. IN DOMIN. II. QUADRAGESIMÆ. Et transfiguratus eſt ante eos. *Matth.* 17. *Arg.* Metamorphoſis hominis multiplex. 133

XVII. IN DOMIN. III. QUADRAGESIMÆ. Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. *Luc.* 11. *Arg.* Exorciſmus Dæmonum. 142

XVIII. IN DOMIN. IV. QUADRAG. Jeſus ergo cùm cognoviſſet, quod venturi eſſent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit ipſe ſolus. *Ioan.* 6. 15. *Arg.* Septem Electorum Imperii vota irritantur. 151

XIX. IN DOMIN. PASSIONIS. Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es, & Dæmonium habes ? *Ioan.* 8. *Arg.* Superſtitio fulminata. 159

XX. IN DOMIN. PALMARUM. Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum ejus. *Matth.* 21. *Arg.* Proceſſio Aſinaria. 168

XXI. IN DOMIN. IN ALBIS. Cum fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jeſus, & dixit eis: Pax vobis. *Ioan.* 20. *Arg.* Paces baſilica timor. 177

XXII. IN DOMIN. II. POST PASCHA. Lupus rapit & diſpergit oves. *Ioan.* 10. *Arg.* Lupus edocetur Pater noſter. 186

XXIII. IN DOMIN. III. POST PASCHA. Triſtitia veſtra convertetur in gaudium. *Ioann.* 16. *Arg.* Condimentum tribulationis. 196

XXIV. IN DOMIN. IV. POST PASCHA. Arguet mundum de peccato. *Ioann.* 16. *Arg.* Pulvis nitratus mundo maligno ſuppoſitus. 211. 212.

XXV. IN DOMIN. V. POST PASCHA. Petite & accipietis. *Ioann.* 16. *Arg.* Sagittarius cœleſtis. 229. 230.

XXVI. IN DOMIN. VI. POST PASCHA. Cum autem venerit Paracletus, quem mittam vobis ſpiritum veritatis, ille teſtimonium perhibebit de me. *Ioan.* 15. *Arg.* Veritas proſcripta mundo. 247. 248.

XXVII. IN FESTIVITATE PENTEC. Factus eſt repente de cœlo ſonus tanquam advenientis ſpiritus vehementis. *Act.* 2. *Arg.* Menſura ſpiritus vehementis. 265

XXVIII. IN FERIA II. PENTECOSTES. Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret mundo. *Ioann.* 3. 16. *Arg.* Pondus ignis amoris. 274

XXIX. IN FERIA III. PENTEC. Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant. *Ioan.* 10. *Arg.* Tempus revocatum. 282

XXX. DE SANCTISSIMA TRINITATE. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus S. *Marc.* 16. *Arg.* Tria rite numerata. 289

XXXI. IN DOMIN. II. PENTEC. Homo quidam fecit cœnam magnam. *Arg.* Cœna vere magna. 299

XXXII. IN DOMIN. III. POST PENTEC. Erant appropinquantes ad JESUM publicani & peccatores. *Luc.* 15. *Arg.* Asylum peccatorum. 309

XXXIII. IN DOMIN. IV. POST PENTEC. Ex hoc jam homines eris capiens. *Luc.* 5. *Arg.* An liceat homines capere. 319

XXXIV. IN DOMIN. V. POST PENTEC. Nisi abundaverit Justitia vestra plusquam scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. *Luc.* 5. *Arg.* Astrea Judaica Christianè componitur. 327

XXXV. IN DOMIN. VI. POST PENTEC. Præcepit turbæ discumbere super terram. *Mar.* 8. 5. *Arg.* Mensa adornatur tribus orbibus. 335

XXXVI. IN DOMIN. VII. POST PENTEC. Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium. *Matth.* 7. *Arg.* Pseudo-prophetæ in scenam dantur. 343

XXXVII. IN DOMIN. VIII. POST PENTEC. Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem? *Luc.* 16. 13. *Arg.* Anxio villico communicantur Consilia. 351

XXXVIII. IN DOMIN. IX. POST PENTEC. Videns civitatem flevit super eam. *Luc.* 19. *Arg.* Lamentatio Christi. 359

XXXIX. IN DOMIN. X. POST PENTEC. Publicanus autem stans à longe percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. *Luc.* 18. *Arg.* Dextera publicani in scenam data. 369

XL. IN DOMIN. XI. POST PENTEC. Loquebatur recte. *Marc.* 6. *Arg.* Janua Rhetoricæ cœlestis reseratur. 378

XLI. IN DOMIN. XII. POST PENTEC. Diliges proximum tuum sicut te ipsum. *Luc.* 10. *Arg.* Homo ex natura sua reformatus est ad amorem proximi. 384

XLII. IN DOMIN. XIII. POST PENTEC. Non est inventus, qui rediret & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. *Luc.* 17. *Arg.* Charites nostras sibi vendicant formatio, reformatio, ac transformatio hominis. 392

XLIII. IN DOMIN. XIV. POST PENTEC. Nemo potest duobus Dominis servire. *Matth.* 6. *Arg.* Dominium Monarchicum. 401

XLIV. IN DOMIN. XV. POST PENTEC. Ecce defunctus efferebatur. *Luc.* 7. *Arg.* Mors pædagoga. 408

XLV. IN DOMIN. XVI. POST PENTEC. Et ipsi observabant eum. *Luc.* 12. *Arg.* Pharisæi observantes in ordinem redacti. 417

XLVI. IN DOMIN. XVII. POST PENTEC. Diliges Dominum Deum tuum. *Matth.* 22. *Arg.* Alimenta amori divino sufficiuntur. 426

XLVII. IN DOMIN. XVIII. POST PENTEC. Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. *Matth.* 9. *Arg.* Antidotum efficaciſſimum contra morbos. 435

XLVIII. IN DOMIN. XIX. POST PENTEC. Simile eſt Regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo. *Matth.* 22. *Arg.* Matrimonium an ſimilius cœlo ac inferno. 443

XLIX. IN DOMIN. XX. POST PENTEC. Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. *Arg.* Capharnaum Metropolis malorum. 452

L. IN DOMIN. XXI. POST PENTEC. Tenens ſuffocabat eum. *Matth.* 18. *Arg.* Mare felleum naufragiis infame, ſeu, in felleo pectore naufragatur Fides, Spes, Charitas. 461

LI. IN DOMIN. XXII. POST PENTEC. Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo. *Matth.* 22. *Arg.* Numiſma cenſus, numini pendendum, ad Lydium lapidem probatur. 470

LII. IN DOMIN. XXIII. POST PENTEC. Puella dormit. *Arg.* Soporiferum propinatum. 479

LIII. IN DOMIN. XXIV. POST PENTEC. Cum videritis abominationem deſolationis. *Matth.* 24. *Arg.* Macro-coſmi, & microcoſmi ſuppar interitus. 487

CON-

CONCIO I.

IN DOMINICA I. ADVENTUS.

Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum potestate magna & Majestate. *Luc. 21.*

ARGUMENTUM.

JANUS BIFRONS,

SEU

Præstat videre in hac mortalitate faciem irati, quàm placati Numinis.

I. STudiosissima rerum indagatrix, ac nepotum suorum magistra Antiquitas, non citra singulare sacramentũ renascentis anni auroram à Jano bifronte auspicari voluit. *A.* Vel enim inconstantiam temporum adumbrare hoc hieroglyphico gestiit, quæ nunquam tam concolori incedit vultu, quin illum jam in rosas, ac lilia explicet; jam in amaranthos & carduos exasperet. Vel ipsammet faciem nostram sub hac imagine spectandam proposuit, prorsum quidem vitæ, retrorsum Libithinæ vultum circumferentem. Vel certè prudentiam, futura prospicientem, præsentia perspicientem, præterita respicientem, illis coloribus distinxit.

Consultissimi enim Viri est, temporum catastrophas expendere, ac rebus-

 suis

fuis cautè, ac maturè prospicere. Nequiter sibi consulit, quisquis nec prospicit, nec retrospicit. Prudentiæ character est, meminisse præteritorum, agere præsentia, futura præcavere.

Ad eundem modum redordiri mihi S. Mater Ecclesia videtur anni sui auroram, quando sub eandem Christum nobis vultu Agnino, ac Leonino prostituit. Agnino quidem, revocando nobis misericordissimum illius ad nos vindicandos in carne adventum. Leonino autem, judicium venturum proponendo. Agnino, quando venit, *non ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Leonino, cùm dicitur: *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli, cum potestate magna, & Majestate.*

Joan. 3. 17.

Luc. 21.

Utramvis hanc faciem jam olim Isaias Vates oraculo suo strinxerat, de hoc piissimo pronuntians mysterio: *Attendite ad me, popule meus, prope est Justus meus, egressus est Salvator meus, brachia mea populos judicabunt.* O admirandum mysterium! ô ineffabile sacramentum! Itáne vultum Agni intueri nefas citra vultum Leonis; vel Leonis citra Agni? Itáne balatum hujus citra rugitum alterius audire periculosum? Itáne Servator non expectandus sine Judice? Rectè equidem; ne fortè Assertoris intuitu, ac Agni balatu confisi, nimiùm præsumamus; aut Judicis asperiore aspectu, ac Leonis rugitu perculsi desperemus.

Isai. 51. 4.

Sed cur vultus Agni quadantenus obducitur, & non nisi sacrificiis, orationibus, meditationibus præfigitur; Leonis verò propalam in exedris, in Evangeliis tubâ evangelicâ evulgatur? Num præstat non audire rugitum Leonis, quàm balatum Agni? Num salubriùs est isthic contemplari faciem irati, quàm placati Numinis? Num beatiùs, divinâ Nemesi percelli, quàm misericordiâ, ac clementiâ ipsius palpari? Id quum in argumentum allocutionis meæ assumo, à te bone JESU placati oris gratias enixè efflagito.

§. I.

Agni vultus extollitur.

II. CUivis prope, recolenti jucundissimum adventantis in carne Assertoris nostri memoriam, videbitur prima fronte Agno potiùs, quàm Leoni; mansuetudini & amori satiùs, quàm severitati, ac timori in attrahendis animis palma deferenda. Nam cùm venerit ille quærere, & salvum facere quod perierat, piè credendum est, illam faciem exhibuisse Orbi, quam noverat in eum finem efficacissimam; eam verò excluisse, quam impedimento futuram perspexerat. Eam enim efflagitabat zelus ipsius immensus, quo ferebatur ad nos vindicandos, & finis ipse, quem adventu suo intenderat.

At quænam illa extitit? Leonisne, an Agni? Adventanti quondam in Bethleem Samueli summo Antistiti, effusi obviam Summates oppidi illius, & quidem metu inter, ac gaudia fluctuantes, sciscitati sunt: *Pacificúsne est adventus tuus?* q. d. Inexpectatus adventus adventus Sanctitatis vestræ, quanto nos solatio parte ex una afficit, tanto ex altera metu exagitat, ac percellit. Complemur gaudio, quòd parentem, ac

Christi adventus pacificus.

1. Reg. 16.

Præsu-

Præsulem sanctissimum sospitem in coram intueri liceat, concutimur timore, quòd nos fallat, qua de causa venerit, an cum caduceo hospitem, an cum fulmine vindicem præsentem veneremur. Incompertum, an tanquam à feciale belli expaveſcere; an tanquam à Mercurio pacis erecti lætari debeamus. Age itaque, Pater beatissime edic: *Pacificúsne est adventus tuus?* Agnine mansuetissimi, an Leonis metuendi vultum prætefers?

Venit ad nos etiamnum novus Samuel hospes, & in Bethleemi antrum deflexit. Si controvertimus, qua fronte venerit, æmulemur incolas urbis illius, procedamus & nos obviam, quæramus ex eodem: *Pacificúsne est adventus tuus?* An ut Agnum, an ut Leonem te suspicere, & suscipere debemus? Num oleam adfers, num gladium? Num pacis ista, num belli præludia? Equidem ponentes unguem in ulcere, sentimus Deo nostro justissimam sæviendi dedisse culpam. Acuerunt heu nimium gladium ipsius scelera nostra, inflammavit fulmina libido, avaritia, impietas; armavit creaturam in ultionem luxus, ac mandatorum illius contemptus. Sed cùm temet filium ipsius imbellem, & inermem arbitremur, ominari faustum licet, & percontari: *Pacificúsne est adventus tnus?*

Christi consilia pacifica. Ier. 29. 1.

Et quid quæso reponit? Fatur ore ipsius Jeremias Vates: *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* Caduceum, non fulmen præfero, iridem in symbolum pacis, non cataclysmi surrigere meditor. Explorate, lustrate undique regiam meam, ficubi aut gladio præcinctum, aut labarum præferentem, aut tubâ Martem denuntiantem deprehendere valeatis. Investigate hæc ipsa cunabula mea, num apparatus ullus in iis armorum; num aries ullus, nisi forsitan in vellere? Num catapulta alia, præterquam straminea; & colligite, *quia ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* Eo consilio corpus hoc non aliunde, quàm virgineis de visceribus suscepi, & habitu inventus sum, ut homo; quatenus humanitatem propalam profiterer. Eo nomine constrictus fascialis, resupinatus sum in præsepio, ut me vinctum, ac victum vestris precibus nosceretis. Eo fine exceptus in stipula, quò stipularer amicitiæ fœdera. Eapropter A. A. A. inclamo, ut constet me amare, & amari velle. Sic nasci volui, qui volui diligi, non timeri. Sic venire debui, qui intendi apportare gratiam, timorem pellere, quærere charitatem. Hic finis, & scopus adventus mei.

III. An aliis forsitan indigemus testibus? Aderit illico, aliis posthabitis, magnus ille Præcursor ipsius, & protenso in eum pollice enuntiabit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* q.d. En Agnus in aula caula, inter comites pecudes, in throno fœni resupinatus. En Agnus, qui coram tondente se obmutescet, nec aperiet os suum. En Agnus, qui aufert, non qui plectit peccatum mundi. Ergo Auditores mei, si missus est ut Agnus; si venit mitis ac Salvator; si pacem evulgat, cur Leonem effingimus? Cur Furias, furores, fulmina eidem appingimus? Cur rugitu illius fideles percellimus? *Ioan. 1. 29.*

IV. Nihil mirum dicitis, catulum Leonis Judæ ungues abscondere, quum

per ætatem exerere, & prædam capere nequeat; nihil mirum, si ab uberibus pendulus mansuetus sit; adultus jubas ostentabit, scietque homines devorare.

Protestor, protestor de injuria Agno illata, nunquam is sævire visus est, nisi forsitan in mortalium salutem. Protestor, nequicquam severiùs fulminasse, quàm Leonis oculos, ac vultus.

S. Iacobi & Ioannis zelus.

Evenit, ut ascendenti de Galilea in Jerusalem, & per Samariam transeunti nuntiaretur, à discipulis præcursoribus, proximæ incolas urbis, aditu sibi interdixisse, portasque seris oppilasse. Quô auditô Jacobus, & Joannes ægerrimè ferentes hanc inurbanitatem, perinde ac Leones exarserunt in vindictam, & rugitu, seu potiùs verborum tonitru, Dominum compellarûnt: Augustissime Domine, quis tantam ferat tibi irrogatam injuriam? Quis inultum sinet tantum tibi illatum dehonestamentum? si te non tangit cura honoris proprii nobis indulge, quatenus eam tueri, & desuper vindicem flammam devocare possimus. *Vis, dicimus ut descendat ignis de cælo*, & consumat illos? Stigma enim illati tibi dedecoris non expungetur, nisi celte fulmineâ fuerit erasum. Scelus hoc si per clementiam tuam impune transire permittis, contagione quapiam morbida inficiet alios, quatenus eorum animati inurbanitate, ac arrogantiâ, alibi itidem foras nobis obstruant. *Vis ergo dicimus descendat ignis de cœlo?* Majestas tua, quæ per rusticitatem ipsorum ecclipsata est, tot radiis inclarescet, quot fulminibus per ultionem, ac severitatem fuerit illustrata. Crede nobis Domine, perperam regitur, ubi per clementiam scelera, & audacia invalescunt, nec unquam ulcera palpata, sed recisa, aut excisa sanantur. *Vis dicimus descendat ignis de cœlo.* Contemptus Eliæ Vati à militibus illatus, eundem ad æquissimum de ipsis sumendum supplicium incendit. Cælum obtestatus est ad suam ulciscendam injuriam, & vix ore prolocutus fuerat, cùm vehemêtior fulminum vis descendit, & quinquagenos, ac quinquagenos, cum primipilo ipsorum momentô temporis in cineres redegit. Num tu inferior es Eliâ, aut minor tibi despectus irrogatus? Quantò itaque justius incolæ isti suppar merentur supplicium, quibus & virtus tua, & gratia illis antea collata, & conversio Samaritanæ, aliáque prodigia perspecta sunt. Liceat proinde pace tua cælum in ultionem provocare, & tantò vehementius in eos animadvertere, quantò tu dignior es Eliâ.

Luc. 9. 52.

Hæc ubi illi, aut paria pectore felleo egurgitarunt, conversus ad eos Dominus, vultu totô quidem ad clementiam composito, voce tamen paululum severiore eos redarguit. Ah! filii mei, latet vos quantum spiritus meus à vestro, atque ab eo, quô flagravit Elias, discrepet. Nemo sibi unquam persuadeat, quasi venerim ulturus injurias, aut offensas mihi illatas. Non veni, ut judicem, sed ut salvem, & gratiis ac beneficiis onerem. *Nescitis, cujus spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Spiritus, qui me ducit, trahit, impellit, non est Eliæ, vindictæ, supplicii! sed benignitatis, ac misericordiæ. Ille, ille spiritus meus est, de quo Isaias in suis de me oraculis: *Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit me, ad annuntiandum*

Christi mansuetudo.

Luc. 4. 17.

Isai. 61. 1.

tiandum pauperibus misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem, & prædicarem annum placabilem Domino. Ille, ille spiritus meus est, qui revocat errantes, refocillat languentes, sublevat cadentes, vivificat morientes. Ille, ille meus est, qui præstabilis est super malitia.

Hæc facies ipsius erat, hic spiritus, quô ille attraxit Apostolos, convertit peccatores, fundavit, stabilivítque Ecclesiam. Cur itaque Leoninam, aut Meduseam potius sufficimus, non tam ad alliciendos, quàm absterrendos peccatores confictam?

V. Destinavit subinde Apostolos, ac discipulos suos ad eandem venationem, ac fructum animarum accurandum. Destinavit ad lupos rapacissimos, ad belluas efferatas, ad gentilitatem indomitam. Hîc sanè opus erat severitate, hîc facies, ac rugitus Leonis exposcebatur. Quid autem ille? *Ecce*, ait, *ego mitto vos sicut agnos inter lupos; nec virgam, nec peram vobiscum tuleritis in via.* Noverat quippe piissimus, ac sapientissimus Dominus baculo, & facie Leonina, non tam advocari, quàm repelli dispersos; non tam vitam, quàm mortem imprimi.

Matt. 10. 10.

Severitas officit, non prodest.

Evocatus ad redonandum vitæ filium Sunamitidis Elisæus, præmisit puerum suum Giezi cum baculo. *Tolle baculum meum, & vade.* Morem gessit ille, venit ad puerum, extendit baculum, ponit super eum, inclamat: Puer surge, puer surge. Sed surdo fabulam. *Non erat vox neque sensus, reversusque est in occursum ejus, & dixit ei: Non surrexit puer.* Mors illum derisit, & prædam dimittere noluit. Venit ergo ipse Elisæus, ponit se supra ipsum puerum, osculaturque: *Posuit os suum, super os ejus, & oculos suos, super oculos ejus, & manus suas super manus ejus, & incubuit super eum, & oscitavit puer septies, aperuitque oculos.* Quid est hoc *Aud.*

4. Reg. 4. 29.

Ibid. v. 31.

Ibid.

Multa alia miracula patravit Elisæus quà sale, quà pallio, quà contactu suo, cur hoc non successit cum baculo, cur virtus ipsius necquicquam operatur in illo, quæ divisit Jordanem in pallio?

S. Augustinus rationem daturus, recurrit ad librum Exodi, ex quo liquet, Ægyptum plagis decem gravissimis, à Moyse jubente Domino castigatam, & ait: *Baculus flagellare Ægyptum potuit, resuscitare non potuit.* Metu, terroribus, verberibus coërcentur mancipia, non erudiuntur filii. Magnes est clementia, & mansuetudo ad se alliciens; remora severitas, ac metus à solicitante avocans. Actum æquè alibi, ac in bello de salute est, ubi timor panicus animos obsederit; Quum itaque hac fronte clementiæ, ac mansuetudinis Assertor noster primùm ad se attraxerit Apostolos, ac discipulos; cum per eosdem sibi subinde mundum conciliaverit, vestro judicio permitto, an non præstet faciem Agni, præponere vultui Leonis. Præstolentur hunc, quibus ferro asperavit præcordia æther, ego cum viginti quatuor Senioribus Agno advolvor, illum adoro, illum exposco totum benignum, totum melleum, totum ad delicias efformatum. Habere hunc præsentem, dum vivam, concupio; quatenus tandem cum virginibus in campis Elisiis illum sequar, quocunque ierit.

Augustin. serm. 206. de temp.

§. II.

Leonis facies commendatur.

VI. ITa quidem pro vultu Agni proponendo, ac præponendo omnibus fidelibus, nonnulli pulvillos supponentes studiosè decertant. Nec ego inficias eo, Christum Dominum Agnum venisse, aut suam ulli clementiam dum vivit, subtrahere voluisse. Id edico, ad novissimum judicium non ut Agnum, sed tanquam Leonem venturum; & multò utiliùs nobis esse intueri hujus, quàm illius vultum; consultiùs rugitu hujus percelli, quàm balatu illius palpari.

Etenim sanctè credendum, ac profitendum est, divinæ sapientiæ probè comperta esse media, cæteris aliis ad salutem consequendam efficaciora. Sentiendum itidem de summa ejus bonitate, gestire illam rectissimis itineribus, ac mediis in finem, ad quem conditi sumus, nos provehere. Nec minus de sanctissima ipsius providentia persuadere sibi quisque debet, eadem ista media per præcones suos Orbi evulgasse, atque inculcasse. Ipse enim Deus O. M. uno simplicissimoque, immutabili divino suo actu, ac intuitu scit, capit, comprehendit sese, eaque omnia, quæ nobis queunt esse proficua. Ipsius Bonitas citra omnem prope terminum diffunditur, rebus omnibus secundùm naturæ convenientiam sese communicatura. Providentia verò ac potentia exequitur, quidquid sapientissima, ac sanctissima, divinaque voluntate ad suam propagandam gloriam ab æterno definitum est.

VII. Jam verò quidnam illud est, quod imprimis Increata Sapientia revelare, ac imprimere credentibus contendit? Quibus artibus expugnare præcones suos mortalium duritiem edocuit? Quibus stimulis excitare socordiam claudicantium in utramvis partem nititur? Quibus facibus inflammare ignaviæ brumam, inflectere contumaciæ cervices, percellere vivendi licentiam molitur? Non aliis prope, quàm oculis scintillantibus, vultu leonino, districto supremi Judicis in probos, ac improbos tribunali.

Judicii metus in lege naturæ inculcatus.

Etenim ab ipsis mundi incunabulis, sub tempus inditæ præcisè legis, diffluentibus jam ad quævis scelera lascivientis mundi profluvio, mortalibus destinavit Enoch Propheram, hoc uno instructum argumento: *Ecce, venit Dominus cum Sanctis millibus suis facere judicium, & arguere impios de omnibus operibus impietatis eorum.* q. d. Vos, ô perfidi, ariolamini nullam vos vitæ vestræ reddituros rationem, nullis vos urnis esse subjectos, nulla vos manere supplicia; at scitote, quia veniet Dominus justus Judex, unà cum assistentibus sibi Angelis, ac Sanctis suis; oppressos vestra tyrannide vindicaturus, vósque meritis affecturus suppliciis. Hoc unicum erat exhortationis argumentum, teste D. Juda Apostolo, nec aliud toto illo ævo tractatum reperio.

Judæ ep. v. 15.

VIII. In eadem lege divina Providentia multa insuper præter vulgatum naturæ cursum edidit justitiæ suæ argumenta, nec illa uti alia pietatis singularis testimonia sepelivit, aut intra umbras profudit, sed in aprico etiamnum illorum reliquias ostentat.

In-

Gen. 9. Involvit primo sæculo universam terræ faciem cataclysmo, & tantæ tempestatis monumenta, tum in montibus egestis, tum in conchyliis, multis locis extra Oceanum extantibus; tum in ipsa arca Noachea etiamnum spectabili posteritati perpendendas reservavit.

In Pentapolim subinde ignem pluviæ avernalis immisit, & hujus etiamnum evidentia, & inconcussa visuntur insignia. Nam ut scribit Sapiens: *In testimonium nequitiæ fumigabunda conflat deserta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores.* Quippe & poma (teste S. Augustino) inibi ad maturitatis faciem perveniunt quidem, sed morsu tentata in favillam, corio fatiscente, actutùm evanescunt. Campus verò, lacúsque in locis exustarum urbium, æterna sterilitate damnati sunt.

Sap. 10. 7.

Aug. lib. 22. de Civ. Dei, c. 5.

In uxorem subinde Loth idem Numen animadvertit, ut respiciens post se, versa sit in statuam salis. Et hęc usquedum à tot sæculis integra, atque incorrupta perhibetur. Immò, referente glorioso Martyre Cypriano, si quispiam in brachio, aut parte alia quidpiam detruncet, extemplò iterùm accrescit,

Justitiæ divinæ monumẽta cur inconcussa.

Nec pluviis dilapsa situ, nec diruta ventis,
Quin etiam si quis mutilaverit advena formam,
Protinus ex sese suggestu vulnera complet.

Cypr. de excid. Sod.

Quæso Vos A. quid causæ arbitramini, tot tamque funestorum vestigiorum, seu monumentorum? Cur arca Testamenti aliáve singularis beneficentiæ testimonia omnino consepulta, Justitiæ autem tam religiosè custodita? Quid inquam causæ, nisi ut hac ratione illis sæculis omni literatura destitutis consuleret; ut divinam suam Nemesim tum illis, tum nobis ob oculos poneret, ut ex illis cineribus conspicilia ad lances ipsius acutiùs expendendas conflaremus; ut ex sale illo prudentiùs sapere disceremus, & cum mundana inundant gaudia, amaritudine instantis judicii eadem temperaremus.

Hoc fine servantur in loco judicii, seu supplicii à terrenis Judicibus pali, rotæ, cruces, aliáve carnificinæ instrumenta; hac intentione præferebantur Romanis Consulibus fasces; hac eadem de causa proponuntur nobis feralia mortis, judicii, gehennæ insignia, prolegomena, vel phenomena.

IX. Luculentiùs id patet ex lege scripta, in quo omnes prope Prophetarum hoc idem argumentum versârunt. *Item in lege scripta.*

In Isaiæ sexaginta sex capitibus vix unum reperire est, in quo illius non fiat mentio. Joël, & Sophonias tam graphicè illud describunt, ut Evangelistæ potiùs, seu Historiographi, quàm Prophetæ in hoc genere videantur. Malachias finem imponit oraculis suis, verbis adeo formidandis, ut annis compluribus opus sit, ad eorum energiam, ac emphasim explanandam: *Ecce dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & facientes iniquitatem stipula, & inflammabit eos; dies veniens, quæ non derelinquet eis radicem & germen.* *Mal. 4. 1.*

Non mirum ducet, dicétque quispiam, sub id tempus his fulguribus fulminibusque perculisse illos mundum,

quo

quo & ipsi spiritu servitutis laborabant; eoque in quo clamamus: *Abba Pater*, donati non fuerant. Ex quo verò mellifluí facti sunt cæli, nectare, & ambrosiâ loquendum; Ex quo Agnus peccata mundi evacuavit, balatu ipsius rugitus Leonis obtundendos esse. Decedit victoriis Agni, quidquid viribus accedit Leonis. Tantum triumphis ipsius derogatur; quantum hujus ferocitati adscribitur. Si Agnus crimina mundi evacuat, incassum ad ea tollenda leoninum jubetur imperium. Spiritu filiorum, profligandus est spiritus servorum; His Leo, illis Agnus proponendus.

In lege Gratiæ fulmen idem intenditur.

X. Quid? Ergóne in Lege gratiæ Leo de tribu Juda, ita mutatus in Agnum est, ut rugire dedidicerit? Aliud longè de eo prædictum accipio à Præcursore ipsius. Audiant, qui aliis palpum obtrudunt: *Veniet*, inquit, *fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus: Ipse vos baptizabit in Spiritu S. & igne, cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Hem, hiccine est Agni balatus, an potiùs rugitus Leonis? Itáne Agnus furores ignorat, qui clibanos immortales succendit? Itáne omnes de sua salute præsumere queunt, cùm ventilabro discernitur granum à palea?

Matt. 3. 12. *Luc.* 3. 16.

Alium profectò balatum audimus in ipsius prædicationibus; alium in tot parabolis de malo servo ejiciendo in tenebras exteriores; de virginibus fatuis excludendis, de zizaniis vinciendis, & in ignem mittendis; de piscibus bonis seligendis, & malis foràs mittendis; de Lazaro in sinum Abrahæ deportato, & divite epulone ad sempiternos cruciatus amandato; Alium balatum percepimus in hodierno Evangelio, alium in præterito, alium in aliis. Rarò admodùm vultum Agni spectandum in conciombus suis proposuit, quin unà Leonis insereret Dominus.

Hujusmodi rugitu, testante sacrorum gestorum Historiographo, in persona Petri percellere orbem, ab eodem edocti sunt Apostoli: *Ipse*, inquit ille, *præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo Judex vivorum, & mortuorum.* Ipse, qui nobis dedit prædicandi præceptum, hoc idem præbuit concionis argumentum. Profectò voces istæ, similésque, non tam Agni, quàm Leonis sunt exacerbatissimi. Non blandiuntur impiis, sed minantur.

Act. 10. 42.

Metus efficax ad conversionem.

Noverat enim Dominus, nimiùm remissas esse Agni vires, & licentiam vivendi petulantiùs, non tam tollere, quàm nutrire. Noverat nullum esse dilemma, quod vel plus roboris haberet ad persuadendum, vel terroris ad percellendum, vel virtutis ad vitia extirpanda, præterquam rugitum Leonis, & sonitum tubæ novissimæ. Hoc unum reperit medium, ad confringenda inanium Deorum simulachra aptissimum; ad abolendos nefariæ superstitionis ritus commodissimum, ad novam religionem propagandam, ad Orbem universum sub labarum crucis cogendum efficacissimum. *Quia ipse constitutus est à Deo Judex vivorum & mortuorum.*

XI. Appositam huic argumento quæstionem movet Eusebius; quid sibi velit,

velit, quòd Dominus evocaturus ab interitu filiam Principis Synagogæ, tibicines exturbârit? *Recedite hinc.* Elisæus vaticinaturus, Psalten expetiit: *Adducite mihi Psaltem.* Saul itidem, ut pulsantem se Sathanam profligaret, eundem accersivit: *Providete mihi aliquem bene psallentem, ut quum arripuerit me spiritus Domini malus, psallat manu sua.* Religione insuper veteri, mos receptissimus erat. Quid igitur est, quòd Dominus cytharedos prorsus, tibicinésque amandatos cupit. Nempe à cytharedis, orcus non tam extruditur ab anima, quàm incantatur. Mors non tantopere placatur, quàm exacerbatur, evocaturque tibiâ. *Quamdiu tibias audivit synagoga, mortua fuit*, ait præfatus Author, *tuæ istæ tibiæ eam interfecerunt.* Eò præsentiorem mortem expavesce, quò dulciùs suaviùsque Syrenes tibi in aurem modulantur. Tibiæ sunt blandimenta, ac offuciæ, quibus peccator inescatur, ne resipiscat. Tibiarum sonus erat ille falsorum Prophetarum: *Pax erit vobis, nec veniet super vos malum.* Tibiæ sonus est iste, quem inflant ut plurimùm nostri Acatholici: Credenti salva sunt omnia. Illico, ut anima ex corporis ergastulo evolaverit, occurret tibi Christus, amplexabitur, stringétque ut filium, invitabit verbis illis omni sac charitate dulcioribus: *Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Nullus leo est in via, nullus infernus tibi, nullum purgatorium timendum. Nec crinis ullus tibi incurvabitur, nec stipula straminis tibi remoram injiciet, nec Eurus ullus vela tua à portu æternitatis in diversa aget. *Pax erit vobis, nec veniet super vos malum.* Tibiæ sonus est, quem etiamnum alii sibi ludunt, auditum fidei à tuba judicii in obsequium voluptatis avocantes. Sathanas quippe videndo, quòd per tyrannidem nequicquam evincat contra electos, vertit ingenium, ferreas catastas mutat in aureas, tibias inflat cum aucupibus, quatenus volucrem irretiat, eò certiùs, quò blandiùs. Verùm, *quamdiu tibias audivit synagoga, mortua fuit.* Has tibias, has assentationes profligatas cupit Dominus, ut filia resurgat, ut anima tua reviviscat.

Matth. 9.

1. Reg. 16. v. 15. 18.

Eus. Emiss hom. in 23. Pent.

Ier. 23. 17.

Matth. 25.

XII. De his sub metaphora mellis loquitur Sapiens: *Mel inveniſti, comede, quod sufficit tibi*, ne fortè satiatus evomas illud. Mel hoc aliud non est, quàm mellita verba collecta de rore illo, quem in stantissimis illis precibus SS. Parres efflagitârunt: *Rorate cæli desuper.* Mel hoc non est aliud, præter illud, de quo legit Ecclesia: *Melliflui facti sunt cæli.* Mel est piissima filii Dei Incarnatio, merita ipsius, vultus Agni, ejúsque in nos amor & humanitas. Inveniſti hoc mel, legis, audis, tractas, libare potes; ad satietatem absorbere non potes. *Comede quod sufficit tibi.*

Misericordia non sola pensanda. Prov. 26. 16.

Isa. 45. 8.

Nimis, heu nimis elingunt de illo, qui omnino faciem Leonis exterminant, ut tantò liberiùs se saginent.

Nimis, ah nimis se melle infarcinant, qui de divina præsumentes clementia, illud unicum sibi occinunt: *Misericordiâ Domini plena est terra. Misericors Dominus peccatorum meorum non recordabitur.* Quantumvis ipsum proditorem Iscariothem, Cainúmque fratricidam flagitiis exuperem, peccatorum meorum miserebitur. Sine, genio meo indulgeam; sine, cuticulæ, & aqua-

Fiducia infida.

liculo litem, dum mihi vernat ætas, dum genua vigent, dum Zephyrus fortunæ blandioris aspirat Etheſiis, in altum Volupiæ provehamur, &c.

Hoc enimverò est mel nimiùm comedere, hoc est nimia dulciſſimi liquoris affluentiâ ſtrangulari velle. Certò certius est, Deum infinitè esse misericordem, & mel bonitatis ipsius omni ambrosia dulcius; sed unà etiam est fel, est justus, *ulciſcens in omnes adinventiones* impiorum. Confidere divinæ pietati bonum, ac sanctum est, præfidere, præsumere, nimiumque mel illud sine pœnitentiæ absynthio, sorbere, noxium, ac mortiferum. Sic sumat mel illud unusquisque, ne præsumat; sic fel divinæ Themidos liguriat, ne desperet. Sic faciem Agni contempletur, ut identidem ad Leonis sese obvertat.

Misericordia ac Iustitiæ meditatio ſaluberrima

XIII. Mysterio sanè non vacat, quòd Samson fortissimus ille gygas in prostrati leonis faucibus favum mellis invenerit. Unde ipsemet rem, tanquam prodigio plenam, in problema, seu ænigma assumpsit, dicens: *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Ego, ut aliorum sapientissimis interpretationibus in sensu mystico propositis supersedeam adducendis, haud citra fundamentum insinuatum nobis esse arbitror modum, divini mellis degustandi; ut nimirum id haud aliter, quàm ex ore leonis sumamus, nec speremus nobis fore proficuum, ac salutare, nisi eum felle, ac timore Justitiæ divinæ temperemus.

Iud. 14. 14.

Itaque præstat intueri vultum irati, quàm placati Numinis; præstat timere, quàm præsumere, præstat mel sumere ex ore leonis, quàm ex ore agni.

Respiciant faciem Leonis justi, & expaveſcant, scientes nullam columnam in hac mortalitate tam firmam esse, quin subrui possit; nullum lumen tam illustre, quin eclypsibus sit subjectum, nullum thesaurum gratiarum iis obfirmatum repagulis, quin ab infernalibus surripi, & expilari queat prædonibus. Respiciant eandem iniqui, quoniam vigilat super eos vindex DEI gladius, dudum fæviturus in eorum capita, nisi misericordiæ illius infrænasset. Respiciant universi, & timeant, quia nemo scit, utrùm amore, an odio dignus, & facilè vultus Agni transformari potest nostro vitio in vultum Leonis. Paucis complector, ut eo articulo, quum venerit Filius hominis, in nubibus cæli, cum potestate magna, & majestate contemplemur Agninam, ac placatam; nunc speculemur faciem iratam, ac leoninam. Amen.

CONCIO II.

IN DOMINICA II. ADVENTUS.

Cùm audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti, miſit duos ex diſcipulis ſuis.

Matth. 11.

ARGUMENTUM.

CAPUT B. JOANNIS IN DISCO,

SEU

Inquiſitio in authorem cædis S. Ioannis Baptiſtæ.

I. IOannes Lucerna lucens, & ardens ſub modio ponitur; Vox clamantis in deſerto in ſpecu horrida obtunditur; Magnus Maximi Numinis Legatus teterrimo illatebratur ergaſtulo. O ſcelus! ô portentum! Non miror nebulones quoſvis tam funeſtis inumbrari fornicibus; id enim appoſitum tanto vaſi operculum. Approbo ſideratos alios ejuſmodi latomiis perinde ac ſtultitiæ gymnaſio perquam idoneo mancipari. Æquum, ac juſtum judico, malevolos, haud ſecus ac feras, talibus conſtringi caveis, quatenus rabie depoſitâ, ad humanitatis apices efformentur. At verò illum miſſum à Deo Angelum ad præparandas Unigeniti Filii ſui vias, illum Gygantem magnum coram Domino, & quò major inter natos mulierum non ſurrexit; illud ſanctitatis ſpeculum eſſe in vinculis; illam manum, Divinitatem ſub ſipario humanitatis indicantem, ferreis innodari cataſtis, illi linguæ incorporato Numini perhibenti teſtimonium ſeras apponi, id non capio, ſtupeo ſcelus, admiror portentum.

Quis autem illius author? Quis artifex tantæ cædis ac criminis? Cùm illius in hodierno Evangelio nulla fiat mentio, & ne vetus illud improperium Iſaiæ Vatis: *Juſtus perit, & non eſt, qui recogitet corde*, nos involvat; ſacrum erit ſuper ea re Inquiſitionis officium adire, & inquirere, quis tantum auſus ſit flagitii? Quis tam venerandum gratiæ, ac ſanctitatis Sacramentum temerare præſumpſerit? Quis viro illi, à quo regnum cælorũ vim patitur, violẽtas inferre manus valuerit? Cedet id ad majorem Verbi incorporati, cujꝰ ille vox extitit, gloriam, noſtram verò in ſpiritu informationem. *Iſa.* 57.

NARRATIO, AC PARTITIO.

II. NUllatenus in animum meum inducere queo ut ab evirata manu, tam incanclum credam patratum flagitium. Herculeos illud poscit humeros, & mancipatum Furiis, armatumque Megærâ pectus. Absit itaque, ut culpem quempiam, præterquam fortissimum, aut sanguinolentissimum. Quem verò illum?

3. Esd. 3. Ex libro tertio Esdræ accipio, ab ipso regnatore Sphynge suis ex ephebio Oedipis ænigma istud fuisse propositum. Quidnam fortissimum foret in universo? Unus ex his scripsit: *Forte est vinum. Alius, fortior est Rex. Tertius scripsit, fortiores sunt mulieres. Super omnia autem vincit veritas.* Forte vinum, eò quòd validissimorum pedes infirmet, mentem Regum, ac sapientiam subvertat, impenetrabilia cordis repagula reseret; universos quos occupaverit, sub hastam mittat. Fortis itidem Rex, cujus imperio dentata sternuntur agmina, validissima subruuntur mœnia, solo æquantur urbes, regiones in busta dantur; eriguntur autem prostrata, solidantur infirma, coadunantur dissipata, defenduntur periculosa, salva subsistunt universa. Fortis mulier, genitrix Regum, & omnium populorum terræ. Super omnia autem triumphat Veritas, infirmata invalescit, oppressa resurgit, naufraga emergit, palmam, & portum tenet. Ex his non in vanum auguror quempiam, si non omnes, captivitatis, ac cædis Præcursoris authorem extitisse.

§. I.

Primus Author cædis arguitur Vinum.

III. ET prima quidem fronte hæc tyrannis imputari posset Baccho. Accinctus is à natura ad cædes est, nec uspiam citra Thyrsum, aut Herculeam clavam conspicitur. Lustrate vineas, & hortos vestros, & deprehendetis ex Tripode, quod enuntio. Ubicunque vitis, aut lupulus observabitur, ibidem & baculus indissolubili prope nodo constrictus erit. Nuspiam crescit vinum, præterquam in sudibus, nuspiam lupulus, nisi in pertica. Quorsum istud vino, ac zytho à natura concreditum scipionis pignus? Quorsum tantum inter eos commercium? Deus enim, & natura nihil faciunt frustra. Num actutùm in Moysen efformatur, qui de lymphis, ad vindemiam transfertur? An cum eodem & tenebras Ægyptiacas inducit oculis, & cyniphes, ranasque contentionum progenerat; & flumina, quæ potantur in sanguinem commutat?

Vinum cur ad palum. Audio nonnullorum mentem in eo versari, ut sibi persuadeant pro senili ætate, scipione sulciri solita, vinum conditum. Vinum enim, ut vulgari fertur proverbio, Lac senum, venenum juvenum. Ab illis istud, non ab istis hauriendum est.

Sentit id forsitan alter anchoræ loco, vel clavi nautici datum, quo naviculam corporis sui mero innatantem, ex promontorio tabernæ, ad portum, seu portam casæ suæ dirigendam edoceret.

Utitur

Utitur hac phrasi calamus Scribę velociter scribentis in dehortatione ab ebrietatis vitio apud Sapientem. Ubi inter alias rationes hanc adducit: *Eris* (in ebrietate) *sicut dormiens in medio maris, & quasi sopitus gubernator amisso clavo.* Et sanè, quemadmodum dormiens in navi portatur ventorum procellis, pelagíque frementis æstibus, ita ut nunc ad sidera videatur ascendere, nunc in abyssum præcipitari; haud secus æstibus phantasmatum suorum, & cupiditatum sursum, deorsum, jactatur ebrius.

Prov. 23. 34.

Ebrii ludicra navigatio.

Novi hominem, qui cùm aliquantò largiùs, vel ex ignoto sibi potu, idolo suo litasset, sopitis sensibus, & solâ moderante phantasiâ, puppim corporis in conclavi suo exululasse: Mergor, mergor, accurrite, juvate, eripite naufragum, quum tamen subsellio suo inquiesceret. An non huic anchora opus fuerat, quâ cymbam sisteret ludicro naufragio periclitantem? *Eris sicut dormiens in medio maris.*

Ebrii naufragia.

Quemadmodum nautæ in tempestate exonerant, mercésque pretiosissimas in pelagus egerunt: æqua ratione ebrius non sua duntaxat profundit, sed & onus vini, quo mentem saburravit, cogitur evomere. *Cernas,* ait S. Ambrosius, *Juvenes de convivio portari foras, & inde ad convivium reportari, repleri, ut exhauriant, & exhauriri, ut bibant.* An non horum vita obnoxia naufragiis? An non timendum, ut unà cum vino, aut zytho epoto, animam vomant. *Eris sicut, &c.*

Ambr. lib. de Elia, c. 13.

Nauclerus dormiens, sopitâ ratione, non sentit piratas, nec obversantia advertit discrimina, sed amisso aut dimisso clavo, in vada, syrtes, scopulos, id est, in certum abripitur naufragium: haud secus helluo alter ruit in sui, suorúmque interitum. Primò enim, mero mergit rationem, subinde mersâ ratione, veluti clavo amisso, mergitur bona voluntas, & aut in voraginem scelerum delabitur, aut ad scyllam allisa insaniæ, fatiscit. *Eris sicut dormiens, &c.*

Tertius fortè interpretabitur eo indicto naturam matrem indicasse, ebrietatem proximam, & pronam ad mendicitatem viam. Et idipsum Sapiens in suis comprobavit Proverbiis, dicens: *Noli esse in conviviis potatorum, nec in commessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus, & dantes symbola consummentur.* Gula enim omnia prodigit, perdit, absumit; nulla est vorago, aut barathrum, quod magis absorbeat, & opes dilapidet, ac ipsa. Et quamvis exiguus canalis guttur sit, per illum tamen diffluunt opulenta patrimonia, prædia, possessiones, & quicquid pertinaci, ac indefesso comparatum est studio. *Vacantes potibus consummentur.*

Gula mendicitatis proxeneta.

Prov. 23. 20.

IV. Scitè inquirit D. Ambrosius, undè nam servitus sua duxerit incunabulâ, ac stemmata? Ab orbe condito usque ad cataclysmum de nulla legitur servitute, omnes erant absoluti, omnes Domini, omnes fibulâ donati. Quando itaque subjecti ac mancipati? Tum primùm respondet, ubi vinum plantatum, ac potatum. Vinum ex Dominis servos reddidit, vinum togam, ac stolam in lacernam commutavit. Unde hoc?

Servitutis origo qua sit.

Noë plantaverat vineam, & in vindemia ignarus vini inebriatus seminudus jacuit. Vidit id Cham filius ipsius,

Gen. 9. 25.

nec sine salibus excepit. Quod ubi accepisset decocta jam crapula pater, fulminavit eundem dicens : *Maledictus Chanaam servus servorum erit fratribus suis :* Hîc primùm audita servitus, hîc primùm sub jugum missus Libertinus filius. Verba S. Doctoris sunt : *Manebat, antequam vinum inveniretur, omnibus inconcussa libertas, nemo sciebat à consorte naturæ suæ obsequium servitutis exigere. Non esset hodie servitus, si ebrietas non fuisset.* Hæc prima genealogia mancipiorum, continuata subinde per eundem terræ sanguinem, ac ebrietatem. Neque etiamnum ancillari cogerentur alii, nisi in cadis naufragium bonorum subiissent.

Ambr. h. l.

V. Verùm rectissimè palos illos vitis, ac lupuli, quis dixerit clavas, ac lanceas bellicas, quibus sese helluones, seu Corybantes mutuò impetunt. Perrarò enim evenit, ut ubi merum liberiùs hauritur, quin ibidem sanguis copiosiùs effundatur. *Cui væ*, (exclamat Regum sapientissimus,) *cui rixæ? cui foveæ, cui sine causa vulnera? nónne his, qui morantur in vino, & student calicibus expotandis? Unde*, inquam lites, contentiones, cædes, vulnera? nónne exinde, quòd veluti Diogenes Cynicus, in dolio morentur, idque non ad speculandum cælos, aut cælites, sed ad evacuandos calices. Unde provenit, quòd vir in virum insurgat, cum quo alioqui optimè convenit? nónne quòd potu, tanquam oleo cum agonothetis inungantur? *Cui væ? cui rixæ? cui vulnera?* Et unde accidit, quòd hic Juvenis immaturâ morte obiit? Unde, quòd ille vicinus in virili ætate prostratus? &c. Nónne quòd in cantharis naufragavêre? Quid demum fortissimos, ac invictissimos subegit, nónne ebrietas? Quid acerrimas gentes, bellicosissimásque hostibus tradidit? nónne ebrietas? Quid contumacissimos in alienum redegit imperium, nónne ebrietas? Quid Orbis domitorem secundùm tot itinera, ac prælia secundissimis confecta auspiciis, ad crudelissima inflammavit homicidia? nónne Herculanei scyphi, nimiúsq; vini usus. *Cui væ, cui rixæ?* &c. tantum sanguinis una emanavit ex uva.

Vinum cadis mater.

Prov. 23. 29. 30.

VI. Creditum à Veteribus, vinum esse sanguinẽ terræ. Ut enim animal quodpiam vastum, eum esse opinabantur, cujus ossa forent saxa, ac rupes; cujus crines arbores, ac gramina; vesica & aqualiculus maria, venæ flumina &c. ita vinum esse illius sanguinem, sibi persuadebant. Rectiùs alii, quòd in vino plerumque sanguis subditorum, ac oppressorum veluti in torculari hauriatur; vel certè, quòd qua mensurâ vinum bibitur, eadem sanguis effundatur.

Vinum sanguis terræ cur dicatur.

Apud Sapientem describitur conventus improbissimorum Juvenum, à quibus abrogata lex, eversum jus, corrupta subsellia, exoluti fasces, insontum, ac viduarum interversa substantia, canities senum denigrata, subjecta Sanctitas quæstioni, damnatáque, cælo incassum reclamante : *Opprimamus*, inquiunt, *pauperem justũ, & non parcamus viduæ, nec revereamur canos multi temporis. Sit autem fortitudo nostra lex justitiæ*, &c. Nihil atrociùs à mortalibus jactari, nihil iniquiùs agi potuit in jura soli, ac poli, chori ac fori. Unde verò tanta criminum proluvies redundavit, tantáque in humanitatem manavit inhumanitas? Ex potu fluxit, defluxítque. Vino, & unguentis repleti erant, quantumque eos

Ebrietas fons malorum.

Sap. 2. 10. 11.

Ebrii & percussores agnati.

uvæ

Ibid. uvæ cruor ad delicias inebriavit, tantumdem sanguinis sitiêre. *Vino & unguentis nos impleamus.* Parciùs potione Circes sæviebat, quæ in unum pecus, unámque feram homines transformabat, quàm Liber Pater; & minora, in pelago fluctus, quàm in triclinio cyathi agglomerant, naufragia. *Cui væ?* &c. Ubique Libythina dominatur in symposio, & suos Thyrsigeros gladiatores Bromius educit.

Eapropter in sacris Voluminibus identidem ebrietas & vulnera, helluones, & latrones conjunguntur. Servus ille nequam, ut cœpit potare & inebriari, extemplò etiam in familiam desæviit. S. Paulus æquo sociat jugo vinolentum, & percussorem, eúmque à muneribus ecclesiasticis amandat. Etenim ut aureo calamo scribit Chrysologus: *Ebrietas cædis mater, parens litium; hanc qui habet, se non habet, & homo non est. De ebrietate enim ad arma consurgitur, calicibus tela succedunt, pro vino sanguis funditur, & ipsum sanguinem vina fuderunt.* Tantam malorum Iliadem ex uno quis non horreat prodire cratere?

Chrysol. serm. 2.

Causam hujus necis attigisse videtur S. Chronographus in S. Joanne Baptista, quando scripsit: *Herodes natalis sui cœnam fecit principibus, & tribunis, & primis Galileæ. Cúmque introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi, simulq; discumbentibus, Rex ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi. At illa dixit: Volo, ut mihi protinus des in disco caput Ioannis B.* Sic dum Herodes natalem celebrat, innocenti cędem machinatur, & patrat; dum mille apprecantur salutes alii, ille sancit decreta mortis; dum innatat vino, unà insontis sitit, & haurit cruorem. Et eò usque vinum ascendit, ut peteret caput nunquam non sobrium, non Nazarenum.

Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9.

Idcircò hoc nixus fundamento, jure authorem cædis vinum augurer, nisi aliunde magis reum sacri Codices, & testes perhiberent. Et quemnam illum?

§. II.

Rex Herodes cædis insimulatur, & defenditur.

VII. ALterum ex fortioribus fortissimum judicavit secundus Regem. *Rex est fortior.* Et hujus supra datæ rationes. Nũ ergo Rex tanti reus flagitii?

Nimis fœtæ mortibus, Regum manus habentur, nimis delicatæ aures eorum ad correptiones excipiendas, nimis credulæ ad delationes iniquas vindicandas. Haud citra basim dictum: *Procul à Jove, procul à fulmine.* *Regum tyrannis.*

Sæpenumerò audimus minores gentium Deos, & non nisi fimeto suo propositos tridentẽ arripere, tonare, fulmina quatere in familiam, filios, uxorem, totâ terræmot⁹ ciére domo, furere, ac ferire. Quid mirum, si id apud Majores usuveniat, quorũ, quò major potestas, eò plurimum ferocior. Si Joañes in sua manssisset solitudine, si lactucis silvestribus colligendis se impendisset, si turbæ venienti Interpretem se Numinis exhibuisset, ictum tam mortiferum evasisset. Verùm quum Jovem, Regem, quantumvis fide optima, & zelo entheo accesserit, hoc supra caput suum fulmen detraxit.

Fidẽ adstruere videtur S. Lucas sat evidente hoc testimonio: *Ex omnib⁹ malis, quæ fecit Herodes, adjecit & hoc super õnia.* *Luc. 3. 20.*

&

& incluſit Ioannem in carcere. Ad cumulum, & ultimam nequitiæ ſuæ menſuram, colophonem impoſuit caput S. Joannis Baptiſtæ.

Erat inſuper Herodes infanticidæ illius filius, qui ne procul à proprio cecidiſſe ſtipite videretur, iiſdem & tyrannidis, & ſuperbiæ vitiis inclitus evaſit. Quippe & ipſam æternam Dei ſapientiam in ſibilum pallio ſtultitiæ donavit, quando veſte illuſam albâ Pontio Præſidi remiſit. Jacobum itidem fratrem Domini interemit, & aliis SS. Apoſtolis, ac fidelibus mortem machinatus erat. Hæc itaque, aliáve ſatis perorare videntur, ipſum Herodem, hac in parte fulminandum, ac reum cædis proclamandum.

Herodes libenter audit Ioannem. Mar. 6. 20

VIII. Verùm utut reus eſt, ipſius propagata à ſtirpe malitia, aliique furores apud me haud omnino evincunt; cùm ex parte altera laudabile pro illo teſtimonium à D. Marco Evangeliſta accipio; ait enim: *Herodes metuebat Ioannem, ſciens eum eſſe virum juſtum, & ſanctum, & cuſtodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Non audiebat tantùm, inquit ille, ſed & cum voluptate quadam obtrectantis ſibi Vatis voces mulieroſus princeps accipiebat; & quæ in aures demittebantur adulteri, ea in Regis dexteram transmeare Ioannes lætabatur. *Et audito eo multa faciebat.* Inciderat quidem verbum Dei in ſpinas voluptuarii, ſed ſatore pudico obniti ſpinæ lilio nequivêre.

Quomodo itaque is mortem intentare auſus eſſet, qui percellebatur voce clamantis profundiùs, quàm rugitu Leonis? Qua ratione jugulum illius peteret, quod amplexabatur medullitùs? Qui vocem illam intercluderet, quam cum aviditate, & guſtu hauriebat? Quomodo perſequi, quem non tam in pœnam, quàm ſecuritatem, ne ab aliis quidpiam adverſi illi irrogaretur, honeſtæ commendavit cuſtodiæ? Neque enim ſurdâ aure illum accipiebat, ſed libenter; vel ut Græcus legit, *cum ſuavitate, & guſtu.* Quin etiam audita magna ex parte exequebatur: *Et audito eo, multa faciebat.* Credere proinde nullatenus ſuſtineo, illum primarium tam immanis homicidii authorem extitiſſe.

§. III.

Machinatrix cædis mulier.

IX. TErtius, Zorobabel homine, fortiſſimam omnium enuntiavit mulierem. *Tertius ſcripſit: Mulieres ſunt fortiores*; nimirum non viribus, ſed blanditiis; non manu, ſed linguâ; non Marte, ſed arte.

Sed num his tantùm ſcelus adſcribendum, quos natura ipſa ad omnem humanitatem, ac clementiam elaboraſſe videtur? Num illæ ſanguinem ſitient, quibus plus lactis quàm ſanguinis ab eadem eſt diſpenſatum? Num in Furias adibunt, quas cælum Gratiis fecit eſſe cognatas? Ah, non abibunt equidem, nec ſitient cruorem probæ, ac piæ; ſed bene impiæ, ac Herodianæ. Sicut enim bona muliere nihil eſt melius; ita mala nihil deterius.

Non eſt, teſte Eccleſiaſtico, *caput nequius, ſuper caput colubri, & non eſt ira, ſuper iram mulieris.* Quantò horribilius, magiſque metuendum eſt caput Baſili-

Mulierum rabies. Eccli. 25. 22.

Basiliſci, quàm caput hominis, tantò implacabilior eſt ira, & furor mulieris, quàm viri. Indignatio excandeſcentis viri zelotypi ingens eſt, ſed umbra habetur ſapienti, intuitu mulieris efferatæ. *Non eſt ira ſupra iram mulieris.* Caput leonis, lupi, tygridis, aut alterius animalis dentibus duntaxat officit illi parti, aut eam comminuit, quam arripuerit; caput verò Amphisbœnæ unam partem tangens, omnes alias inficit, & venenò enecat.

Ira viri modica.

Æqua ratione mulier nequam, non uni duntaxat membro dentem infigit, verùm identidem in corpore, & anima interimit: *Non eſt ira, ſupra iram mulieris.* Vir ſi quando torvam ſupercilii nubem in fulmina exaſperat, levibus verborum, aut alloquiorum Etheſiis hilaratur. Mulier furoribus prægnans haud componetur, quoad fulmen conceptum cum cruciatu enitatur. *Non eſt ira ſupra iram mulieris.*

X. Sed hoc forſitan ſpiritu privatò, & aſſenſus cuidam ex ſuis uxoribus, aut concubinis ſcripſit ſapiens? Quæcunque hæc ſomniat, audiat Deum ipſum, mulierem definientem.

Legimus ſæpenumerò Numen optimum viris nomina, eáque honeſtiſſima indidiſſe, aut commutaſſe, fœminæ (ut Sarai taceam, cui litera una dempta) non niſi unicæ. Quodnam verò illud? An à pietate deſumptum, ob quam illas nonnulli celebrant? An à pulchritudine, manſvetudine, quæ illis, utpote tenerioribus agnata eſſe deberet? An indigetavit Roſam, ob virtutum fragrantiam? Catharinam, aut Pulcheriam ob venuſtatem? Agnetem, ſeu Agnam ob manſuetudinem? An Agatham ob ſanctitatem, Abigaël ob prudentiam, Margaritam ob dignitatem? Neutiquam. Num ergo Barbaram ob barbariem, & inhoſpitalitatem? Num Vaſthi ob arrogantiam, & faſtum? Num Uriſulam, quòd Urſos identidem murmure imitentur? Non aſſequor. Quâ tandem nomenclatura donata? *Voca,* (inquit ad Oſeam Patrem & Vatem Dominus,) *Nomen ejus abſque miſericordia.* Voca crudelitatem, tyrannidem unam. Hoc nomen proprium eſt mulierum nequam, (non dico bonarum, quarum de ultimis finibus terrarum pretium eſt) quod nomen illis indidit, qui ſolus novit abſcondita cordium Deus. *Voca nomen ejus abſque miſericordia.*

Gen. 17. v. 15.

Mulier quo nomine à Deo initiata. Oſeæ 1. 6.

Eheu, quæ mihi hîc funera, qui campi cruditate mulierum inſtrati obverſantur! Video Medeam in proprios, eoſque innocentiſſimos filios tam crudeliter deſæviiſſe, ut propriis dilaniatos manibus, hinc inde per latifundia camporum diſſeminaverit. Video Attaliam pari furoris flammâ in proprios ſuccenſam agnatos, unà omnes offocaſſe, ſolo non niſi Joas parvulo clanculùm ſubducto. Video Tulliam Servi Tullii Romanorum Regis filiam patre ſuo per fraudem circumvento, ac contrucidato, curru triumphali invehi, & renitentibus equis aurigam timore perculſum, curſum ad latus vertentem increpare, ut per proſtrati parentis cadaver iter rectà urgeat, pedibus equorum, rotiſque effedi in maſſam conterendum. Video juſtum illum Nabuthum à Jezabele trucidatum.

2. Paral. 22. v. 11.

Video alias prope innumeras ſua viſcera depaſtas eſſe. Video mira quadam ſanctitate ac fortitudine inclytiſſi-

mos heroës Adam, Samsonem, Loth, Davidem, Salomonem, supplantasse, ínque summum, quà vitæ, quà salutis æternæ adduxisse discrimen. Quòd si verò id de honestioribus etiam per emphasim dictum est, de inhonestis, ac lupis omni Tripode verius certiúsque habendum. *Non est ira, supra iram mulieris.* Non est malitia, non est crudelitas, quæ cum earum furore, ac tyrannide in comparationem veniat.

XI. Testatum id reddidit de adultera Herodis par summorum Proto-Notariorum Domini, S. Matthæus, & Marcus. Sic enim ille: *Herodes tenuit, & alligavit eum, & posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui.* Matth.14. v.3. Marc.6.17 Et iste: *Ipse Herodes misit, ac tenuit Joannem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui.* Hæc igitur dici, credíque jure potest machinatrix cædis viri Apostolici, hæc voluptuaria Regis Syren spretis illius cytharæ modulis, ferocire occœpit; hæc furorem suum non nisi epoto sanctissimi Viri sanguine, sedare potuit. Hausto enim veritatis ebria vino, ac timore perculsa, ne ferventi suo zelo entheus Ecclesiastes animum adulteri mariti sui meliori vitæ redonaret, atque à latere ipsius avelleret, furiis correpta sedari, componíque neutiquam valuit, quoad primum in vincula, tum in necem virum, quo dignus non erat Orbis, egisset. Herodes enim, quemadmodum innui, reduci poterat, quum sanam doctrinam, & monita minimè aversaretur, & bene gnarus vitæ D. Præcursoris, illius prodigiosæ geneseos, ac sanctitatis, eundem devenerabatur. Sola Herodias necem urgebat, rata sibi malè consuli, nisi perversa in Divum consilia movisset.

Videant hîc Joannes, id est, DEO grati, seu in gratia constituti, quantopere sibi cavere debeant à fœmina nequam, ne, quod Baptista perpessus ab adultera in corpore, ipsi magis experiantur in anima. Videant, ne ut ille in latomias conjectus, ita ipsi earum veneficiis inescati, compingantur in inferno. Videant, ne ut Ioannes vitam temporalem mulieris livore perdidit, ita ipsi sempiternam.

§. IV.

Veritas vapulat.

XII. VErùm enimverò, ut rectè addidit præfatus Zorobabel: *Super omnia autem est Veritas.* Etiam fœminæ mitigari ac componi imprimis fuco mendaciorum queunt. Verùm, si veritas illis dicatur, tum vel Agnæ transformantur in Leones. Veritas ergo est, ob quam Michæas Vates missus in nervum, ob quam Isaias sectus, Jeremias, aliíque sanctissimi Prophetæ lapidibus contriti, Joannes capite est imminutus. *Veritas exosa.*

Gonsalvus Mendoza refert, in Chinis ad carcerem in tabula affigi solitam causam, ob quam quisque in carcerem conjectus, v. g. N. Fur, Latro, N. Catechista, N. Adulter. Quòd si ad eundem modum causa Joanni affigenda foret, non alia posset, quàm, Veritatem dixit. Clamabat Joannes ad Herodem: *Non licet tibi*, ô Rex, *habere uxorem fratris tui.* *Gonsal. Mend. hist. Chin. lib. 3.*

tui. Illa reululabat: *Da mihi in disco caput Joannis Baptistæ.* Non peto dimidium regni tui, quod offers, non peto gemmas, & thesauros, non peto quicquam aliud, præterquam invisum hoc mihi caput. *Da mihi in disco caput Ioannis Baptistæ. Hæc unica erat causa,* ait Euthymius, *ob quam missus est in carcerem Ioannes, quia veritatem prædicabat, & quia veritatem jugulare non potuit, præconem jugulat veritatis.* Erat nimirum Herodes, & consors ipsius, ex cœtu impiorum illorum, qui conveniebant in unum, dicentes: *Circumveniamus justum, quia improperat nobis peccata legis, morte turpissima condemnemus eum.* Erat ex collegio illorum, qui expetebant præcones vaticinantes sibi acceptabilia: *Loquere nobis placentia.* Erant ex albo illorum, quibus omnis lux invisa, omne pharmacum amarum, omnis virtus virus quodpiam videtur. Eapropter exosam habuêre veritatem, & coërcitam imprimis tenebroso ergastulo, diræ subinde morti adjudicarunt.

Euthym. h. l.

Sap. 2. 12.

Isa. 30. 4.

Veritas triumphat

Verùm utut impugnari ab impiissimo tyranno, & Furia Herodiade potuit, vel in ipsa morte vicit, & triumphavit. Læditur nimirum veritas, non extinguitur; premitur, non opprimitur. Etenim eadem luce, qua Herodes suum finiit natalem, eadem auspicatus est suum, nullo ævo terminandum S. Ioannes. Herodes & uxor ipsius fucatam murice purpuram perdidit; Joannes, cruore suo fulgente purpura, in sempiternum triumphabit amictus. Illorum aures nunquam non feriet lamentabilis echo gemituum; istius nunquam non empyrea demulcebunt carmina. Illorum theatra voluptatum, tragica metamorphosi, conversa in scenam cruciatuum ac dolorum; hujus momentaneæ tribulationes in thronum gloriæ, in Oceanum voluptatis. Illi mercedem exercitæ tyrannidis in tartaro perceperunt; hic æternis triumphat victoriis, ornatur areolis, coronatur laureis in paradyso.

Videant hæc, & expendant, qui veritatis gratia premuntur, aut exterminantur; & ex epilogo instantium gaudiorum, discant temperare prologum mœrorum. Videant, qui veritatem universo proscriptam intendunt imperio; ne tandem fuco mendaciorum illusi, in tenebras proturbentur sempiternas. Videant hæc justi, eligántque veritatis amore, modico intervallo, excarnificari, ut coronentur. Videant impii, & percellantur, ne persequendo insontes, & ipsi cum Herode, ac Herodiade gehennali incendio concrementur. Averte id Christe Redemptor per immensa redemptionis nostræ pretia. Amen.

* * *

CONCIO III.

IN DOMINICA III. ADVENTUS.

Tu quis es?

Joan. 1.

ARGUMENTUM.

SPHYNX DETRIUMPHATA,

SEU

Cognitio sui commendata.

I. POëſis priſca, quum abominandam vitiorum fœditatem germanis, ac conſanguineis præſentare lineamentis ſe poſſe diffideret, ementitis eandem adumbrare conata eſt coloribus, ut vel ex ſcenica imagine conjicerent impii, quid de propria foret ſentiendum. *Aud.* Hoc artificio ab impotentis iræ tyrannide eos vindicatura, vel ejus criminis incuſſura horrorem, commenta eſt Furias, ſerpentino capillitio metuendas, ſulphureas ejaculantes oculis flammas, flagris, facibúsque armatas improbis, ac efferatis hominibus à tergo inſtare. Hoc eodem ingluviem in forma Harpyarum unguibus ſeſquipedalibus, facie emaciata, & collo gruis inſtar extenſo, circumſcripſit. Hoc ipſo Curioſitatem in figura turpiſſimarum Lamiarum adumbravit, quæ uno oculo, eóque exemptibili prædítæ, eundem, ſi fortè domo exeundum foret, fronti inferebant, cæteroqui in arca oppilatum cuſtodiebant. Hoc eodem, ut alia mittam, teſte D. Fulgentio, ad ignorantiam ſui exturbandam, Poëſis dicta ſparſit in vulgus monſtrum quodpiam abſurdiſſimum, Sphyngem dictum.

Sphynx ſymbolum ignorantiæ. S. Fulgent. in Mythil.

Vitia ſub ſpecie mōſtrorum propoſita.

Cùm itaque eâdem nonnulli laborent, occaſione, & ductu hodierni Evangelii, proponam Vobis ob oculos hunc defectum, & quidem in ſpecie monſtroſiſſimæ Sphyngis. Erit res, & ad Evangelii intelligentiam, & ad mores informandos peraccommoda, ſi modò is qui ſolvit librum ſeptem ſignatum

tum ſigillis, ſuo adfuerit adjutorio; & Vos auditorio.

PARTITIO.

NE de via exorbitem, & planiùs, rectiúsque incedam, repræſentabo imprimis perſonam ipſius Sphyngis; tum modum ipſius procedendi diſcutiam, denique Oedipum adducam.

§. I.

Perſona Sphyngis proponitur.

Sphyngis deſcriptio.

II. ORdior à perſona illius, quam ex facie virginea alis aquilinis, & leoninis pedibus, juxta vulgatum verſum, præfati Vates componunt.

Auſonius

Sphynx volucris pennis, pedibus leo, fronte puella.

In qua id mihi primitùs mirationi eſt, monſtrum hoc ignorantiæ, vultu nobilitatum virgineo. Nam quidnam quæſo aut rari, aut novi eſt, quòd virgines fallat? Quid, quòd non augurentur, expiſcentur? ſi tamen quidpiam illud eſt, certè illis agnatum eſſe videtur, nôſſe ſe ipſas, faciem propriam, momentis propè ſingulis contemplari.

Fœminæ prudentis.

Ut plurimum abſtruſioris ſapientiæ magiſtri adumbraturi primam ex moralibus virtutem Prudentiam, pingunt eam contemplantem faciem ſuam in ſpeculo. Auditores mei, quos virgines, totidem apud me Prudentiæ; quot matronæ, totidem virtutes Cardinales; quæ in contemplatione, & agnitione hominis verſantur.

Intuitus eſt ſemel Gyneceum, ſeu coronam mulierum, vetus ille aulicus Plautus, apparantium ſeſe ad nuptias, & ecce jam hæc, jam illa cum conſiliario ſuo ſpeculo communicatura acceſſit, illa cum Veneto, hæc cum Gallico. Plautus interea non citra tædium præſtolabatur comes itineris, ſeu pronubus futurus. Tandem pertæſus moræ, ad ſocios converſus, exululat: *Dum comuntur, dum ornantur, annus eſt.* Ecce quot mulieres, totidem Prudentiæ in ſui ſpeculatione diſtentæ. Quo ergo ex capite Ignorantiæ monſtrum facie donabitur virgineâ, cùm quævis mulier ſit prudentia, ſui gnara, aut ſpeculativa?

S. Jacobus Apoſtolus deſcribens hominem ſideratum, exiguæ circa res ſuas meditandas ſolertiæ, vultúsque ſui incurium, confert illum viro vix unquam, aut non niſi per tranſennam ſpeculum conſulenti: *Comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo, conſideravit enim ſe, & abiit; & ſtatim oblitus eſt, qualis fuerit.* Homo imprudens, & ſui ignarus, non tam aſſimilabitur mulieri ait, quæ diu, multúmque ſe conſiderat in ſpeculo; ſed viro rariſſimè, & obiter contemplanti in eo vultum ſuum; quod ubi conſpexit, ſe illico avertit, recedit, ſuíque obliviſcitur. Itaque conſultiùs depingenda foret ignorantia vultu virili, & non fœmineo, ſeu contemplationi ſui addicto. *Iac. 1. 24.*

Deſcenderem pronâ in eam ſententiam voluntate, & prolixo horrendam barbitio Sphyngem colorandam eſſe, definirem, ſi fœminæ ſuas duntaxat facies contemplarentur; nec itidem eas obnuberent, pingerent, ceruſſarent, niſi adultæ, & rugoſæ virgines glabellæ, ac nitidæ haberi ambirent; niſi defectus ſuos celare, aut honeſtare quoquo modo poſſunt, adniterentur.

Fœmina fucata. Aug. lib. de Past. c. 15. Ambr. in Ps. 118. Hier. Greg Cant. 2. 14

III. Respexit identidem in vultus sui imaginem illa dilecta, in Canticis deprædicata, & tamen teste sancto Augustino, & aliis Patribus, à cælesti redarguta est Sponso, faciésque ipsius germana expostulata: *Ostende mihi faciem tuam.* Nam si præsens aderat, si alloquebatur, si fruebatur delitiis sponsa, quâ ratione petere potuit videre faciem illius, quam incoram habebat? Num fortè obvelavit illam dilecto suo? Num verbulo aliquo ab eodem perstricta, mentum suspendit vaccinum? Vel quænam illa est facies, quam efflagitat? Propriam utique, non personatam, non fucatam. Vult dicere: Ostendis mihi faciem, sed ementitam, sed cerussatam, non germanam, ac nativam: *Ostende mihi faciem tuam.* Fingis te longè aliam in cute, quàm reverà sis in corde. *Ostende mihi faciem tuam.*

Excusationes calvæ in peccatis.

Est hoc convitium in eos prolatum, qui proposito sibi, sive in examine, sive in confessione hac quæstione: *Tu quis es*, nimirum in conscientia, in anima tua? Et defectus varios, tanquam in speculo observantes, coloribus obducunt mendacibus, incrustant primis motibus, prætexunt causas, ad excusandas excusationes in peccatis, E. g. Notat quampiam in se iracundiæ labem, quòd nimium in familiam, in liberos, maritum ipsum debacchetur, ac sæviat, zelo tamen, & justæ indignationis purpurisso colorat, id est virginis honestissimæ, ac sanctissimæ, quantumvis citra ullam causam, aut occasionem proprio animi sulphure succensa crepet, flagrétque. Altera item observat in se maculam haud levem detrahendi aliis, taxandi, ac censurandi aliorum mores, redarguendi ad confusionem propalam alios. Sed & hanc honestat specie virginis pulcherrimæ, nimirum fuco sinceritatis; quòd meliora sint vulnera amantis, ac redarguentis, quàm fraudulenta oscula blandientis. Advertit alium in se nævum invidiæ, aut ambitionis, quòd non libenter alteri cedat, quòd sinistro eum intueatur oculo, quod illius fortunæ intuitu contabescat! & cerussa magnanimitatis inumbrat. Pari calculo alios ad numerum revocat errores, sed nullum tam candidè, ac sincerè, quin spumeum minimum illi inducat colorem.

Execratur fucum hunc cælestis Sponsus, & efflagitat etiam, atque etiam propriam, germanámque faciem: *Ostende mihi faciem tuam.* Agnosco, quòd hæc facies tua sit adultera, non propria; agnosco fucum, & non veritatem. *Ostende faciem tuam*, ne cum aliis extermineris. *Quoniam si laveris te nitrô, & multiplicaveris tibi herbam Borith, maculata es in iniquitate tua coram me.* Utere nescio quibus herbis odoriferis, ungaris nardo pretiosissima, abluere aquis, & liquoribus pretiosissimis, nisi veritatis amans fueris, *Maculata es iniquitate coram me.* *Ier. 2. 1.*

Sphynx cur alata.

IV. Secundò eidem monstro volucrum alas eadem antiquitas attribuit. Et idipsum in hieroglyphicum ignorantiæ, quæ perinde ac cornicula Æsopi, plumis, id est, donis divinis sese condecorat; & ex vilissima, abjectissimáque conditione sua, ad altissimam de se opinionem evolat. Nam quid quæso est pulchritudo, præterquam psittaci plumæ? Quid honor, quàm pavonis cujuspiam cauda; quâ in momento efferuntur; & tandem tota in æter-

Mundanorum penna. Sap. 5.

æternitate cum illis insipientibus eam detestantur: *Quid nobis profuit superbia nostra, & divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia tanquam avis, quæ transvolat in aëre.* Leviores sunt pennis honores mundani, & in aura populi, ut effertur remigio alarum suarum fama; sic evanescit, ut remigat, ita emigrat decus omne.

Divitiæ penna Aquilæ. Prov. 23. 5.

Quid item habendæ divitiæ? Nónne pennæ, & quidem Aquilæ? *Ne erigas oculos tuos*, inquit idem Sapiens, *ad opes, quia facient sibi pennas quasi Aquilæ, & volabunt.* Rectè quasi Aquilæ, quoniam ut hæ aliarum volucrum pennas absumunt, sic divitiæ tenuiorum plumas, quoad ipsæ in auras abeant.

Quid ipsæ ingenii dotes? nónne plumæ, & quidem angelicæ, quibus itidem supra cæteros elevamur? Quid ipsa devotio, pietas, sanctitas, extases, miracula? An non alæ, quibus alii sese ad sidera usque elibrant, quásque Psaltes concupiisse videtur, quum oc-
Psal. 54. 7. cineret: *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Quis, inquit, hoc me donabit favore, ut columbæ instar, per amorem Dei, & proximi, per vitam activam, ac contemplativam, per opera externa, ac interna, ex his transitoriis, ad sempiterna me sublevem? *Quis dabit mihi pennas?*

Sæpenumerò tamen, quantò quis ampliùs hisce abundat charismatibus, seu donis; tantò arrogantiùs sui ignorantia effertur, tantò sublimiùs per inanem jactantiam evolat, motum vel cum cornicula Æsopi risum, vel cum Icaro subiturus naufragium, utinam non sempiternum.

Notitia sui difficilius.

V. Ad extremum adduntur eidem monstro pedes leonini. Et hoc quamobrem? Fortissima, & validissima est ignorantia, intimisque insita membris; ut nec facilè exuperari, nec eradicari queat.

Laërt. in Diog.

Diogenes nominatissimus Philosophorum, quæsitus, quidnam in orbe foret difficilimum? Respondit, ignorantiam vincere, & se ipsum nosse. Leviore brachio domabit quispiam Leones, ac Dracones, inferiore studio radicitùs evellet annosas quercus, subvertet mœnia, exsufflabit montem, quàm ignorantiam exuperet. Amor quippe sui, cùm cœcus sit, lynceos sese habere oculos reputat, & quod sibi persuadet, quamvis falsissimum, absurdissimumque sit; justissimum, verissimum, ac sacrosanctum arbitratur. Hinc tametsi multa sciat, seipsum ignorat; cùm cælorum cursus, terrarumque arcana investiget, se ipsum in terris haud perspicit.

Adam cur sibi nomen non imposuit. Philo l. 1. de alleg. legis.

Philo Judæorum disertissimus inter alia arcana, ac sapientissima theoremata quæstionem movet, quid rei sit, quòd Adam, qui omnibus animantibus, & consorti propriæ nomina imposuit, semet ipsum quopiam non initiaverit? Et scitè respondet, quòd faciliùs sit alios, quàm se ipsum nosse: *Mens*, inquit, *quæ inest unicuiq; cætera potest comprehendere, se ipsam nosse non potest. Quemadmodum oculus alia videt, se ipsum non videt: sic & mens intelligit alia, se ipsam non comprehendit.* Arduum itaque, & leoninum exposcens animum, opus est se ipsum nosse: & cum Hercule leonis circum-

cumferre exuvias dignus habebitur, quisquis suimet intima penetraverit; ignorantiámque prostraverit.

Sic perspecta persona sphyngis, quæstionem ipsius expendamus.

§. II.

Ænigma Sphyngis proponitur.

VI. COmminiscuntur iidem prisci Sapientes ænigma sequens cum ea interminatione à sphynge propositum, ut nisi viator appositè illud enodasset, in præcipitium, quod pluribus evenit, eum datura esset; aut è contra ab eadem victor pœnas illas exposceret, si solvisset. Erat autem ænigma istud: Quidnam rei manè esset quadrupes, meridie bipes, vesperi tripes. Seu breviùs: Tu ô homo quis es? ésne quidpiam hujusmodi?

Sphyngis ænigma.

Jam advertite quid factum sit. Eo itinere, ut autumo, præter alios, non sine copioso satellitio, & fastu profectus est Rex Tyriorum; quod ubi sphynx eminus conjecit, illicò advolans, percontata est hominem quis esset? *Tu quis es?* Rex ille totus à semet ipso aversus, & ad suam conversus pulchritudinem, contemplabatur forsitan vultum in tiara fulgentem, vestes obryzô, gemmisque pretiosissimis fulgidas, annulos in digitorum decus inflammatos, circumpedaneos ipsos smaragdis, & adamantibus graves, & harum adjectitiarum rerum splendore perstrictus, elatúsque reposuit: *Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi, in corde maris.* Quo audito, sphynx hominem actutùm arripuit, & stultitiam illius redarguens, ait: Quid blateras siderate, ac excœcate? *Tu cùm sis homo, & non Deus, & dedisti cor tuum, quasi cor Dei. Et quia elevatum est cor tuum in decore tuo, in terram proijciam te, ante faciem Regum dabo te, ut cernant te.* Sic prolocuta arrogantissimum Summatem ad supercilium rupis attractum, in abyssum præcipitem egit, pereundum corpore & anima, quem voluntaria insania excœcâsset.

Hominis superbia.

Ezech. 28. 2.

Ibid. v. 7. 17.

VII. Subsecutus eundem haud inferiore fastu Cajus Romanorum Imperator, & ipse eadem petitus quæstione, subsimili insania respondit: *Deus sum, & arbiter mundi.* Unde id probas, subjecit sphynx, cùm hominem præteferas? Inde profectò regessit Cæsar, quòd homines regam. Etenim ille qui regit, & pascit capros, caper neutiquam est; item qui pascit boves, bos ipse non est; qui pascit, & regit porcos, porcus non est; sed supra porcos; quemadmodum alii capris, & bobus multò quid eminentius, & alterius ordinis ac dignitatis. Ergo & ego, qui rego homines, altioris debeo esse Hierarchiæ, & quum nulla alia præter divinam dari queat, convinco evidenter, me Numen esse quodpiam. *Deus ego sum.* Ita de eo Philo: *Cajus persuaserat sibi, quòd sicut aliorum gregum magistri, opiliones caprarii, subulci, neque ipsi sunt boves, neque capri, neque sues: ita quoque Imperatorem, præfectum gregi humano, non esse hominem, sed excellentioris naturæ, hoc est, divinæ; ideoque referendum esse in numerum Deorum.* Sphynx exsibilans hominis impotentis insaniam, apprehensum eodem, quo superiorem, mulctat supplicio, ostenditque tantò se submissiorem debuisse

Caj. Imp. Fastis. Philo lib. de Legat. ad Cajum.

debuisse gerere, quantò sublimior dignitate cæteris evaserat.

Soldani arrogantia.

VIII. Rursum idem legebat iter Persarum, Carthaginensiúmque Princeps Soldanus. Huic cùm ad quæstionem propositam respondendum esset, ait: *Pontan. in bellariis, p. 3.* *Ego Rex regum, hæres siderum, ac frater Solis ac Lunæ.* Alter verò: *Ego Omnipotens Carthaginis, Dominus Jordanis, tutor paradysi, Rex regum, amicus Deorum, Jovis, & Solis nepos.* Sed & istos deductos in verticem proturbavit, eò profundius, quò altius per superbiam caput extulissent.

Venerunt denique alii, atque alii, & quæsiti itidem à monstro: *Tu quis es?* Unus ait: Ego nobilis Polonus, Elector regum, & Rex alter. Secundùs: Ego liber Baro. Tertius ego Illustris, Perillustris, Illustrissimus &c. Nescitis, nescitis, regessit sphynx, & vos respondere; sedebitis humi, ostendam vobis mox, quàm furvi, quàm nigelli, quàm coracini sitis, sicque involans jam hunc, jam illum depressit.

Vidit hanc credo rupem Rex Solymæ, & obstupescens ad tantas minas exclamavit: *Psal. 35. 13.* *Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem*, omnes fastuosi, & arrogantes, *expulsi sunt, nec potuerunt stare.* Ibi decidit Luciper dum similis affectat esse Altissimo. Ibi Proto-parens hominum eadem à superbiæ principe inflatus libidine; *Eritis sicut Dii.* Ibi Alexandri, Pompei, Pharisæi &c. &c. *Deposuit potentes de sede.* Confregit capita inimicorum reges: descenderunt in profundum quasi lapis. Ibi vertiginem passi, quotquot ambulaveruut in mirabilibus supra se. O verè periculosam rupem! ô monstrum reformidandum! in quod impingunt, quotquot se ipsos ignorant.

Cognitio sui necessaria.

Auditores mei, nos cuncti viatores sumus: cuncti viam universæ carnis ingressi sumus, omnibus proponendum, ac discutiendum hoc ænigma, & nisi solverimus, nisi nos ipsos cognoverimus, idem nos manet supplicium. *Nemo*, loquor cum Mellifluo, *sine sui cognitione salvatur*; nemo evadit superbiæ, jactantiæ, præsumptionis aleam; & nemo qui in altis ambulat, extra præcipitium est. Ignari virium suarum Icari, dum nimis in sublime alarum explicant suppara, cera diffluente, ac viribus infirmantibus in profunda tartarei proruunt incendii. Videndum itaque, ac discutiendum penitius hoc ænigma.

§. III.

Oedipus adducitur.

Oedipi solutio.

IX. FIngunt denique Sapientes Oedipum Regem Thebanorum ænigma præfatum elucidasse, ac ostendisse, quòd monstrosum illud animal esset miser homuncio, qui in juventute sua quadrupes per terram, nisi fulciatur, aut feratur, reptat; in meridie autem, seu virili ætate bipes, id est, erectus incedit; sub vesperum tandem, seu in decrepitis annis tripes, nimirum cùm baculo ambulat; sicque sphyngem ipsam triumphasse, ac in abyssum præcipitasse.

Verùm cùm ea extrinseca duntaxat hominis esset descriptio, sapientiores exactiùs, studiosiúsque propositam in hodierno Evangelio quæstionem, seu

ipsius definitionem discutere sunt aggressi.

Et ne forte hallucinarentur coactô imprimis creaturarum conventu, singulas prope respondere coëgerunt: Quid est homo? Dic cælum, dic tellus, & ea quæ in te sunt.

Homo quid.

Ad quod imperium, cælum, atque elementa deciderunt esse substantiam, eò quòd in substantia cum ipsis communicaret. Flores aboréque dixerunt esse vivens, eò quòd cum illis viveret, ac cresceret. Assumpsere secundum illos belluæ vocem, & exululârunt: Homo est animal, simile nobis in corpore; Angeli item suam conferentes symbolam pronuntiarunt, est rationalis; eò quòd unum ex alio ratiocinando inferat. Conclusit demum Universum unanimi voce: Homo est omnis creatura, quia omnis creaturæ aliquid habet homo.

Hominis definitiones varia.

Verumtamen quia hæc magis ad pompam dicebantur, fastúmque ingenerandum, non contenti alii his responsionibus, celeberrimas quasque consuluêre Academias. Et in iis Dialectica ait: Homo est enthymema pro antecedente habens ortum, pro consequente interitum. Astrologia, quòd esset imago Lunæ mutabilis, nunquam in eodem statu permanentis, sed semper ad corruptionem vergentis. Ut enim crescit proficit, completur; ita deficit, & ad ultimam quadram mortis deproperat. Hanc excepit Physica, & paucis hisce essentiam hominis complexa est. Homo est animal rationale, mortale; nimirum secundum corpus homo animalis, & bestialis; secundum animam autem rationalis, & angelis suppar; secundum unionem, qua corpus cum anima concatenatur, mortalis. Quid Mathesis? Homo inquit est figura spherica in puncto, à quo incipit terminata. Quemadmodum circulus, à quo puncto inchoatur, in eodem terminatur; æqua ratione homo è terra procreatus, in terram revertitur; definiente Domino ipso: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Gen. 3. 19. Rhetorica, cujus proprium est rerum naturas facundè describere; Orationem esse voluit; cujus Exordium est nasci, Narratio dolere, Epilogus mori. Tandem Theologia missis aliis scientiis, conclusit, ex Tripode altiore: *Deum time, & mandata ejus serva, hoc est enim omnis homo, &c.* Eccle. 12. v. 13.

X. Congestis hisce in unum definitionibus, quæritur, sitne in Orbe quispiam sapientior, qui vel inter illas discerneret sententias; vel aliam probatiorem redderet? Quibus de capularis quispiam senecio inter crebrò repetitos tussis suæ paroxismos emussitare cœpit: Est utique, & is quidem quem propediem præstolor hospitem Mors. *O quàm rectum est judicium ejus.* Mors sapientissima. Nullius ipsa respicit personam, nec vultum, aut ætatem, sed pro æquitate, ac veritate decernit. Hanc si interrogaveritis, decidet sapientissimè. Advenit interea expectata Lachesis sua armata falce, clepsidram in vertice diadematis gestans loco. Hæc ut sensum suum depromeret rogata, falce silentio indicto ait: Mirum vos in re tantopere necessaria, ac luculenta hallucinari; miror amplius in homine definiendo, in tam varias abiisse sententias; nec tam ex ipsius visceribus, quàm ex parergis quibusdam appo-

appositis, aut accidentibus illam eruisse. Etenim ingenium, sanguis, ceræ, & si quæ alia, adjectitia sunt, certè aliunde mutuata, aut à creaturis emendicata sunt. Quocirca definitio ab iis desumi neutiquam potest. Definitiones enim æternæ veritatis esse necessum est, ita ut mutari nequeant. Hominem verò aut subsistere, aut vivere, aut excellentis esse ingenii, & similia, accidentia sunt, non essentia illius. Ergo datæ definitiones subsistere nequeunt. Quæ tandem? Ista sanè, quòd homo ex se sit *non ens.* *Homo non ens.* Nam si quæramus an ab æterno fuerit? Utique toto contestante orbe profiteri cogemini, quòd non. Rursus si instet quis, & roget an saltem victurus in perpetuum? Reclamabit experientia, quòd non. Tandem si urgeat alter, dicátque hoc saltem tempus, quod nunc exigit hominum quispiam, hæc vita ipsius, hæ actiones ipsius sunt. Protestor contra, & dico, non tam illius, quàm meas esse res, & hoc momentum, quod nunc agunt mecum, ex æquo dividere. Cùm itaque in omni statu physicè spectatus sit unum non ens, aut ens transiens; rectiùs circumscribetur, quòd sit unum non, seu nihilum. Unum non, quod ex se origine caret de qua oritur; medio, quo subsistit; fine, quo terminetur. Unum non, quod tempus emetiri, locus circumambire, circulus stringere, longitudo assequi nequit. Unum non, quod nec substantiam habet, nec accidentia, nec genus, nec formam, nec naturam, nec proprietates ullas.

XI. Hanc solutionem cælestis Oedipus, S. Joannes Baptista in præfato Evangelio non minus demisse, quàm sacrosanctè adduxit, quando rogatus num ipse foret Christus? reposuit: Non sum. An Elias? Etiam non. An saltem unus ex Prophetis? rursus ad suum ille *non* reversus, ingeminavit: *Non sum, non sum.*

Indubium est, quòd S. Joannes Præcursor Domini ab originaria labe, in utero matris suæ, à visitante se Domino fuerit expiatus; quòd insigni sanctimonia, ac aliis muneribus cumulatus; quòd ipsos Prophetas anteceserit, quotquot ante ipsum fuerant. (*Non enim surrexit major, inter natus mulierum Joanne Baptistâ.*) His tamen aliisque omnibus dotibus, ac charismatibus non modò non, elatus non est; non modò non eadem sibi non arrogavit; sed perinde acsi omnino iis destitutus fuisset, replicuit: *Non, non, non.* Unde hoc? Quia Joannes erat: id est, quia cognovit, quòd gratia Dei erat, quod erat. Ita Chrysostomus: *Noluit hoc sibi adscribere, etiam quod erat S. Joannes. Fuit enim major Elia, major Prophetis; immo vox ipsa Verbi Incarnati: nimirum quia ex se nihil fuit, quidquid autem fuit, gratia Dei fuit, & gratia illius, in eo vacua non fuit.* Quodcunque ergo esse habere se sensit, totum id Deo suo in acceptis retulit, sibi verò tanquam servo inutili nihil omnino adscripsit. Non enim est malignantis naturæ, quidquid post se invenit, tollit.

S. Ioannis Bapt. humilitas.

Matth. 11.

S. Chrysost. h. l.

Nisi itaque & nos malimus esse asseclæ Luciperi, quam Joannis Præcursoris, & Baptistæ Domini, & ipsiusmet Christi, ab eodem discamus in nos ipsos descendere, nihil nobis arrogare, soli Deo omnia adscribere. Cum illo apostasiæ authore cadat necesse est, quisquis sibi cum eodem per dona collata

ad fastum, & superbiam gradum architectatur. Architectatur autem, quisquis se ipsum non agnoverit, & Deo datori bonorum omnium, quidquid habet in acceptis, retulerit.

Discamus inquam, ab hoc Oedipo cælesti definitionem, ut eò profundiùs in demissione vera, ac sincera crescamus. Qui novit pauperiem suam, quòd de terræ natalibus, seu spuriis prognatus; quòd ejus, aut parentum ipsius evulgata sunt Orbi scelera; tametsi præclarè alioqui sese gesserit, memor suorum natalium, aut scelerum, haud præsumit alios inter gloriari, cæteros despuere, aut sua commendare. Timore enim percellitur, ne dedecora ipsius refricentur; & quidquid gloriosè ab eo patratum est, notâ illâ vitæ, aut natalium divulgatâ, obfuscetur, ac dehonestetur: Æquâ ratione vel ad concava sublimata supercilia deprimemus; si substantiæ nostræ, seu nihili manticam studiosè discusserimus; si memores fuerimus originalis maculæ; si aliorum patratorum scelerum; si miseriæ, ac indigentiæ; & perinde ac latro quispiam notatus infamiâ, coram quibusvis demisse, humilitérque geremus. Nam si fratricidæ illi Caino vultus concidit, ob notorium, ac evulgatum scelus suum, qua ratione tu erigeris, qui ipsi Filio Dei violentas manus, ídque toties, intulisti.

Discamus quæso, hanc Oedipi resolutionem, quatenus æstimemus immensi Domini Dei nostri in nos amorem. Ipse enim ejusmodi animal miserum fieri dignatus est; nam, cùm obstetricem non habuerit, nec manibus B. Virginis Matris semper ferri potuerit, credibile est, sæpè sæpiùs ipsummet, ut fieri solet, à picoris quadrupedem, id est, manibus, pedibúsque reptasse, qui pugillo mensus est aquas, & tribus digitis sustentat molem terræ. Ipse deinde grandior ætate bipes, assurrexit ut Gygas ad currendam viam Patris sui; Ipse tandem cum cruce, quasi tripes egressus est ex hac mortalitate.

Discamus hæc, ut Sphynge, seu ignorantiâ devictâ, gloriosè de ea triumphantes, cum S. Joanne Præcursore sublimari mereamur. Fiet id auxilio tuo Christe JESU.

Amen.

CONCIO IV.

CONCIO IV.

IN DOMINICA IV. ADVENTUS.

Parate viam Domini.

Luc. 3.

ARGUMENTUM.

LITHOSTROTA CÆLESTIS,

SEU

Via Regia Christo adornata.

1. IAM tertiùm voce liquidâ, ac contentâ, ad expediendum Domino iter, evocamur. *Aud.* Ingeminatur nobis toties quoties edictum ipsius: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Complanate vias Regi vestro venturo, impedimenta omnia impigrè amovete, & ad perpendiculum adæquate, ac elaborate.

Luc. 3. Isa. 4. 3.

Verùm, quorsum istud? Numquid lutum reformidat, qui ambulat super pennas ventorum? Numquid non *via ejus, via pulchra, & semita ejus pacifica?* Numquid non trita via ipsius, tot Sanctorum, atque Electorum vestigiis? Ita sanè, si de itineribus æternitatis, de arcanissimis consiliorum viis, de callibus rectitudinis, ac æquitatis, quos sibimet adornat, agatur. Non opus ea in parte Domino Præcursore, non Lithostrota, aut viarum directore.

Prov. 3. 17.

At verò, si de nostratibus res sit, multa in iis reperit remorantia adventum suum, multa distorta, atque inæqualia. Ea ut amoveamus, jam olim ore Isaiæ, nos ipse exhorratus est Dominus, dicens: *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons, & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas.* Quod quâ ratione præstare possimus, elucidandum erit.

Isa. 40. v. 4.

PARTITIO.

II. PRoposita tria obstacula Domini ad nos adventum remorantia, alia non sunt, præter ea, quibus mundus in maligno positus constituitur, ac nititur. Illa, inquam, de quibus dilectissimus Domini discipulus enuntiavit: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* An enim non mons, ipso vertice, cælo minitans superbia? An non mons, cujus ascensus facilis, sed statio lubrica, & descensus præceps? An non mons Æthnæ, aut Vesuvio persimilis, nunquam non suis nutriens visceribus flammas, ac fumum vanitatis exhalans? An non mons, quem fulminat æther? *Feriunt celsos fulmina montes.* An non mons, cui meritò dicendum: *Tollere & mittere in mare*, in profundum inferni?

1. Ioan. 2. 16. *Superbia mons.*

An item concupiscentia carnis vallis non est, vorago, & abyssus, in quam bene multi lubricitate gressu devolvuntur? Stagnat terrestris vallis paludibus, & ista effunditur, ut aqua. Nidulantur in illa bestiæ, & amphisbœnæ; non minùs in ista. *Et Syrenes in delubris voluptatis*, ait de Babylonicæ voluptatis fano, seu abysso, Isaias Vates.

Luxuria vallis.

Isa. 13. v. 22.

An non denique prava, & aspera concupiscentia oculorum, quæ & iniquè coacervat, & alios livido, ac torvo conspicatur supercilio? Nullum est in illis præcordiis justitiæ vestigium, in quibus sibi avaritia architectata est tabernaculum. Nihil tam sanctum, quod non violet; nihil tam munitum, quod non expugnet; nihil tam rectum, & æquum, quod non inflectat.

Hæc verò obstacula, utpote Domino è diametro adversantia, ad votum tollit, & adæquat Pœnitentia.

§. I.

Pœnitentia montes arrogantiæ deprimit.

III. PRimùm enim per eam tolli montes arrogantiæ, ac fastus, liquidissimum, compertissimúmque est.

Pœnitentia tollit superbiam

Dionysius Apostolorum discipulus, & Tertullianus, definientes Pœnitentiæ Sacramentum, ajunt: *Exhomologesis est prosternendi, & humiliandi hominis disciplina.* Disciplina, inquam, quam corde, ore, ac totius corporis habitu pœnitentibus profiteri necesse est. Corde equidem cognoscendo suam miseriam, fragilitatem, ignominiam, proclivitatem in malum, reputando sese vilem, abominabilem, & gratiâ Dei indignum. Ore autem cum omni demissione se accusando, palinodiam recantando, & suam cœcitatem, ac dementiam profitendo. Corporis demum habitu, se tanquam reum sistendo Judici, flexis coram eo genibus procumbendo, pectus receptaculum omnium criminum feriendo, & sententiam illius prono corpore, & animo excipiendo. *Exhomologesis est*, &c.

Pœnitentiæ definitio. Dion. Areop. Ep. ad Demop. Tertul. l. de pœnit. c. 9.

IV. Desumpta est hæc definitio ex ipso rationis, ac judicii dictamine. Etenim cùm in omni peccato homo se, ac creaturam præferat Deo, recedendo ab ipso; justissimum profectò, æquissimúmque est, ut convertendo se iterùm ad illum redintegret honorem læsum, præferat ipsum omnibus rebus, & vitæ suæ,

Pœnitentia sit humilis.

ſuæ, séque quantum poteſt, coram tremenda majeſtate ipſius abjiciat ; Digniſſimum, ut qui cum Protoparentibus ſuis in averſione uſque ad ambitionem Divinitatis aſſurrexit ; in converſione uſque ad vilipenſionem ſui ſe dimittat; Sanctiſſimum, ut qui ex creaturarum abuſu , tanquam ex centonibus quibuſdam ſibi paludamentum arrogantiæ conſarcinaverat, in pellibus viliſſimis cum Adamo, & centonibus attritis coram Deo ſuo exoraturus veniam conſiſtat.

V. Commorante in monte Sinai Moyſe in colloquio Domini, populus in abominandum idololatriæ ſcelus devolutus eſt, & poſthabito Deo vivo ac vero, vitulo thura ſuccendit. Indignante ea de cauſa, ut par erat, Domino, intervenit ſequeſter Moyſes, veniámque devotiſſimè exoravit, clementiſſiméque obtinuit. Admitto, inquit Dominus, preces tuas; ſed tamen agant pœnitentiam ſuper peccato ſuo. Quam illam, ô Domine, replicat Moyſes ? At ille: *Iam nunc depone ornatum tuum, ut ſciam , quid faciam tibi.* Quando in ſcholis à Magiſtro, aut Correctore audit Scholaris quiſpiam verbum hoc, depone , jam totis artubus contremiſcit; jam nihil aliud, quàm virgas, plagásque ſibi ominatur. Quid eſt, quod Dominus hîc intendit? Cur acturos pœnitentiam mandat gloriæ ſtolas exuere, ſeminudos in lacernis incedere? Cur veſtimento ſtatui cujuſque proportionato interdicit? Cur nulli virginum reliquit monilia in collo, nulli ſponſorum annulum in digito, nulli principum cidarim in capite, nulli ſenatorum paludamentum in tergo, nulli nobilium fibulam in toga? Numquid Numen ſatius reſpicit habitum, quàm præcordia? Vel numquid in purpura dolor elici, in ſerico amor inflammari nequit? Id aſtruere nolim.

Pœnitentiam decet vilis habitus. Exodi 33. v. 5.

Dico tamen, etſi veſtimenta pretioſa ex ſe non jugulent contritionem, ac amorem ; nihilominus nec nutriunt, nec fomentant. Dico, veſtium pompa, & raritas , non tam obſtetricatur ad pœnitentiam, quàm ad arrogantiam. Tantò altiùs vexillum ſuperbiæ attollitur, quantò ſplendidiùs corpus exornatur. Quid agit Numen optimum, habiliores redditurus ad pœnitentiam, tollit omnia inſtrumenta ſuperbiæ, & per exteriorem confuſionem, ac nuditatem in corpore, inducere ſatagit ruborem, ac confuſionem in mente; quatenus ſe ipſam agnoſcat omni dignam confuſione, depreſſione, contumelia; & veſtimenta ipſa, quæ ſervierant ad ſaltum, & idolomaniam, jam aptentur ad planctum, & pœnitentiam. Æquiſſimum enim eſt, ut quidquid ancillabatur ad culpam, jam adminiculetur ad pœnam. Juſtiſſimum , ut qui collum contra Deum per præſumptionem, & faſtum ereximus , per humiliationem deprimamus. Nam ſi homo homini, quem per contemptum læſerat, pronus accidat, ac deprecetur; quantò rectiùs, ut pari habitu, ac demiſſione veniam efflagitet à Deo? Si ipſe unigenitus Dei Filius acturus pro nobis pœnitentiam, tegillo carnis noſtræ ſeſe operuit , & pannis viliſſimis intexuit ; quidni nobis, vel in panniculos deſtruſtata veſtis defluat? Quidni in ſumma ſui demiſſione pœnas à ſe perpetrati ſceleris expoſcat? *Exomologeſis eſt proſternendi*, &c.

VI.

Ionæ 2. Matt. 12. 31.

3. Reg. 21. 29. Luc. 18. 13.

VI. Talem pœnitentiæ habitum deprædicavit Dominus in Ninivitis, in saccis & cinere pœnitentiam agentibus. Talem coram Elia extulit in Achabo alioqui impiissimo principe: *Vidisti Achab humiliatum coram me.* Talem in publicano eminus consistente in vili lacerna, nec audente oculos ad cælum attollere; sed percutiente pectus suum. Talem in aliis verè pœnitentibus, ac resipiscentibus.

Concolor nostra sit necesse est, si & ipsa laudem, ac veniam mereri exoptat. Si ob respectum, ac consuetudinem eam publicè agere non possumus, vellem tamen ab iis, quos graviores noxæ tenent obstrictos, si sincerè pœnitere concupiant, quatenus domi suæ in abscondito, ubi solus Pater misericordiarum eos observat, gausape, ac penulâ vilissima tecti, priùs Divinæ Majestati adgeniculentur, veniamque exorent. Vellem ut tanto demissiùs se gerant in conversione, quantò arrogantius sese extulerant in aversione. Nam *Exomologesis est prosternendi, atque humiliandi hominis disciplina.* Et si humilitas defuerit, pœnitentia vera non erit.

Cineribus cur utamur in Quadrag.

VII. Compertissimum vobis perquam est, nos cineribus initiari ad pœnitentiam, sub tempus quadragesimalis jejunii dignè agendam. Si id vobis imaginâmini fieri ad lixivium parandum iis, qui sudoribus Bacchicis sub tempus Saturnalium dierum nimium capita sua conspurcarunt, modicùm id profectò esset, nec sufficerent sacerdotes iis fricandis, pexendis, expiandis. Si autem vobis persuadetis, furori Bacchantium, perinde ac pelago insanienti, objici pulveres, ut vel sic confringant tumentes fluctus suos, tunc ex omnibus collecti fornacibus cineres, pares non essent ad aggerem vel uni despumanti insaniam, ponendam. Si credant alii id institutum, quatenus ex iis sibi pœnitentes specula efformarent, ad suam originem, ad suum exordium, & exodum vitæ dignoscendum. Rectè id quidem ageretur, sed pauci tantum sibi studii assumunt, quo eliquari cineres in ejusmodi specula queant, vel ut artifices tanti operis esse velint. Agitur itaque hæc cæremonia in Ecclesia Dei eo imprimis nomine, ut se hoc pacto coram divina Majestate, tanquam pulverem terræ conterendum, piantis Domini subjiciant; ut tanquam mortuos, & in pulverem per peccatum redactos se sistant; & illius sibi clementiam, solis humilibus gratiam dispensantem, hoc pacto concilient. *Quia Exomologesis est*, &c.

Quòd si itaque Pœnitentia suo munere fungatur, si detrahat inductam altioris supercilii nubem, si se totum quantum supplicem abjiciat, si gauzapatus peccator incedat, & in pulvere faciem suam ponat; nulli est dubium, quòd primum obicem tollat, & Domino hac ex parte iter expeditum reddat,

§. II.

Pœnitentia valles æquat, & exaltat.

Pœnitentia contrariatur delitiis.

VIII. VErùm, ut hoc exactissimè præstat Exomologesis, ita non minus aliud obstaculum amolitur, & valles sensualitatis æquat, vel etiam sub-

sublevat, & exaltat. *Omnis vallis exaltabitur*, id est, exaltetur.

Pœnitentia enim noxias infrænat cupiditates, & lupato mortificationis ad castimoniæ iter tenendum, urget. Ipsa est, quæ ablactatos ab uberibus voluptatis carnalis, jejuniis macerat, mœrore conficit, & concupiscentias, perinde ac sanguisugas cineribus à suis delitiis desuescit. Ipsa est, quæ docet orare impensiùs, diem luctu, vigiliis noctes transigere, prostratos in cilicio, cinere, sordibus volutari, & post indumentum Christi deperditum, omnem festivum recusare amictum. Ipsa est, quæ exarat continuis fletibus genas, quæ mollia linteamina, ac serica, pretiosissima asperitate cilicii cummutat; & longos risus, perpeti fletu, ac gemitu compensat. Ipsa est, quæ mentes impiorum è vallibus, ac lacunis spurcissimarum voluptatum, quibus immersæ fuerant, attractas, ad cælestes delibandas delicias assvefacit, & ad divinum quærendum manna extimulat.

Filii prodigi lapsus. Luc. 15.

IX. Exemplô sit famosissimus ille, optimi parentis degener, ac prodigus filius. Hic ut erat liberaliore genio præditus; ita paternarum admonitionum, ac consuetudinis impatiens, & in flagitiorum convictu, ac societate frequens. Extortâ tandem importunis precibus, hæreditatis suæ portione, paterna domo excessit, atque ut ad licentiosiorem vitam, semoto arbitro sese laxiùs discingeret, ad exteras emigravit oras.

Ubi lubricitante in deterius gressu, luto cœnosarum voluptatum demersus, brevi decocto cum meretriculis patrimonio, ad eas prolapsus angustias, ut porcos pascere cogeretur; nec aliis, quàm gregis sui epulis famem explere. Ad talem identidem terminum veniunt, qui Venerem sequuntur. Ad talem finem semper edacitas tendit, ad talem scopulum impingit pudendæ voluptatis effusio. Mittuntur ad porcos, qui vixêre ut porcus, prono semper in terram ventre, & ad vitiorum abyssum propenso. Nec tamen, vel ipsorum pastu saginantur, voluptate expleri nescia. Quò enim plùs sunt potæ, plùs sitiuntur aquæ. Libido extincta reaccenditur, usu crescit; nec rationi paret, quæ impetu depravatæ naturæ rapitur, & impellitur. Hac via prolapsus in barathrum, in vallem infamiæ, miseriæ, ac extremæ egestatis degener filius, tyranni patiebatur imperia, qui optimi parentis pervicax nauseabat edulia, respuebat consilia.

Filii prodigi conversio.

X. Agedum, jam videamus, quo adminiculo caput erexerit, atque ex hoc volutabro eluctatus sit? *In se reversus*, scribit Hægiographus, *ait intra se: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, & ego hic fame pereo?* Quàm longè absum à mensa fratrum meorum, à conditione filiorum, quibus panis Angelorum cibus est, vinum germinans virgines, potus est? Quid ago, itáne porcos assiduò pascam, qui ad hæreditatem opulentissimam genitus sum? Itáne siliquis porcorum me saginem, qui ad delitias usque enutritus sum? Excutiam servile hoc jugum, reassumam animum, atque ad patrem mei amantissimum me recipiam. *Surgam, & ibo ad patrem*, qui ex sublimi filiorum apice in hanc miseriarum vallem decidi. Surgam per pœ-

nitentiam, qui per carnis lubricæ prolapsus sum petulantiam. *Surgam cum omni demissione*, qui lubricavi ex præsumptione.

Verum (loquor cum Chrysologo) quo animo? *Quâ* confidentia? qua spe? *Illâ, quâ pater est. Ego perdidi, quod erat filii, ille quod patris est non amisit.* Apud patrem non intercedit extraneus, intus est in patris pectore, ipse qui intervenit, & exorat affectus. Urgentur patris viscera, filium iterum genitura per veniam. Ibo ad patrem licèt reus, sed pater viso filio cooperiet confido reatum, & dissimulabit Judicem, qui magis implere vult genitorem. *Facilè sententiam*, vertet in veniam, qui redire gestit filium, non perire. *Surgam, & ibo ad patrem, & dicam illi: Pater peccavi in cælum, & coram te.* Non præstolabor, quoad primò mittat, quoad calamitatem meam ex aliis cognoscat, qui magis exulcerare poterunt viscera parentis, quàm mitigare. *Surgam*, & dicam: *Pater peccavi in cælum, & coram te.* Qui solus es scrutator cordium, ac renum omnium. *Peccavi*, & tua imperia præfractè transgressus sum, tuam hæreditatem fœdissimè dilapidavi, tuum honorem, meúmque, per omne dedecus profligavi. *Peccavi*, quia sapientiæ tuæ, qua me instruebas; patientiæ, qua sustinebas; amoris, quem exhibebas; gratiæ, quam offerebas, prorsus oblitus sum.

Chrysol. serm. 2.

Eapropter confiteor, quòd non sim dignus filii nomenclatura, qua me olim honestare dignatus es. Filii enim sunt, qui ad nutum, & nictum parentum præstò sunt. Filii sunt, qui patrem, non hæreditatem spectant. Filii sunt, qui portantur ad ubera: *Ego autem non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Relinquo aliis dilectis specioſos titulos, relinquo sinum, & brachia, relinquo mensam, ac conclavia, mihi si concesseris atrium, & panem gregarium, satis erit. *Fac me, sicut unum de mercenariis tuis.* Felicem, ac beatum me prædicavero, si vel sic in album eorum admitti merear. Hæc meditando filius, ad limina patris prope appulit.

Quid jam agitat bonus pater? Ambulat is, vel in atrio, vel in solario domus suæ invigilans curis œconomicis, & ecce arbitratur eminus quidpiam fe movere, mox discernit esse hominem, dumque expendit, quis ille, an bonum de filio nuntium, an etiam citationem allaturus, dignoscit hominem mendicum, lacernosum, nudipedem, quasi è luporum faucibus ereptum; videt squallidum, oppletum sordibus ex hara porcorum, faciem ardoribus Solis exustam, pellem rore contractam nocturno, manus urso similiores, ungues aquilinos, oculos refugos, horridum, atque impexum capillum, & tandem ex certis indiciis, suummet esse filium, dignoscit.

Filii prodigi descriptio.

Quæ tunc mens patris, quis affectus in præcordiis palmam obtinuerit, arduum est decidere. Coëgisset alter animum in æthnam, & approximantem his, similibúsque verborum aculeis pupugisset? Quid hoc monstri? talémne te dimisi? Hæccine vestis polymita, quam tibi indigno tradidi? Hiccine baculus, equus Turcicus, quo domo excessisti? Itáne de tota substantia nec calceamenta in pedibus reportas?

Apage

A page hinc ocyùs, non novi te. Alter duriùs forsitan excepisset, aut omnino ejurasset. At nihil horum piissimus genitor, Pater utique misericordiarum, delicta noluit discutere, ne proderet, prævenit filii criminum confessionem, & commotis visceribus, filio cunctabundo, verecundante vultu, madentibus oculis, corde tristitiâ, luctúque confecto hærenti, obvius accurrit, perinde ac juniori Tobiæ, re bene ac feliciter gesta Tobias senior.

Quid multa? Filius abjicit se ad parentis pedes, irruit in collum filii pater; quò se filius in terram deprimit humiliùs, eò dejectum pater attollit benigniùs, quò se ille pudore suffusus retrahit longiùs; eò pater ut propiùs accedat, excitat animosiùs. Flet ex animi dolore filius de offenso parente, flet ex commiseratione pater super pudore inconsultissimi filii. Filius singultante voce incusat stultitiam suam, iterátque suum illud: *Pater peccavi in cælum, & coram te.* Pater, cujus pectus clementia redundabat, suavioribus recreat blandimentis, condonat omnia; nec paratam orationem ad petendam veniam absolvere sinit. Filius se tali parente indignum profitetur, & ut se mercenariis adscribat, efflagitat: *Fac me sicut unum de mercenariis.* Pater illico filii jura, dignitatémque restituit, imperat adferri stolam primam, digitis annulum, pedibus calceos inducit, saginatum vitulum mactat, convivium lautissimum adornat, festis personare cuncta vocibus demandat; *Quoniam*, inquit, *filius meus mortuus erat, & revixit, perierat, & inventus est.* Ergo quia fame pressus erat, apparemus ei convivium, denudatus erat, adornemus eum stolâ candida innocentiæ, calceis promptæ obedientiæ, & annulo fidei. Mortuus erat, admittatur ad osculum patris, ut inspirem ei spiraculum vitæ ac gratiæ. *Citò proferte stolam primam,* &c.

Luc. 15.

Ecce vallis ista, antè per sensualitatem depressa, ut per pœnitentiam sit exaltata, ut cælum, ut patrem respexit, ut ad amplexum, ad oscula ascendit. Ecce ut benignissimus pater amotis occurrit obicibus, & redeunti non solùm crimina non imputat, sed præmia, & gratias multiplicat. Hi, hi sunt effectus veræ pœnitentiæ; tantum potuit illa in luxurioso evincere juvene; tantum in quovis alio peccatore per eum figurato. Quod enim hîc in parabola narratur, idem de omnibus pœnitentibus verificatur.

§. III.

Pœnitentia prava in directa convertit.

XI. REstat tertium obstaculum, pravitas, & asperitas; id est, concupiscentia oculorum, seu avaritia. Nihil enim iniquiùs, nihil scelestiùs avaro est. Verùm & hanc pravitatem corrigere, & hanc asperitatem complanare pœnitentiâ, liquidissimum est. *Pœnitentia medicatur avaritiæ.*

Date, date avarissimum quemque, verè pœnitentem, (nam de fictis haud disputo,) & sentietis, quod dico. Date mihi Zachæum. Quem hominem posco? Nónne publicanum? Nónne prima fronte pravum, & distorrum? Nón-

ne ditissimum? Nónne in perdita civitate perditi operis magistrum? Nónne omnibus exosum, & peccatorem divulgatum? *Murmurabant omnes, quòd ad hominem peccatorem divertisset.* Hic incensus desiderio videndi Christum, *Ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum*; calcavit terram, superascendit auram, transcendit avaritiam, & totam divitiarum supergressus est molem, ut prosiliens in arborem veniæ, ac misericordiæ apprehenderet fructum, & de specula confessionis, indulgentiæ cernere mereretur largitorem. *Ascendit in arborem sycomorum mysterio, non causâ*, ait D. Chrysologus, *ut unde Adam texerat nuditatem corporis, Zachæus inde velaret fœditatem animæ.* Sycomorus ergo hîc, teste Anonymo, l'œnitentiam designat, quam profiteri cœpit, quum crucem, in illa figuratam, apprehendit.

Zathei status & conversio. Luc. 19.

Chrysol. ser. 54.

Anonym. apud Cord. in Cat. Græc.

Et videte, quæso, quàm rectus, quàm misericors, quàm liberalis mox evasit. Non jam portat divitias, sed proculcat, non curvatur opibus, sed levatur; non inflectitur, sed ad viam veritatis, ac justitiæ per eas dirigitur. Cogit divitias ad largientis obsequium, non ad avaritiæ tyrannidem. Deposuit fraudis onera, pondera cupiditatis, usurarum molem, magisterium publicani, exactionis crudelissimæ principatum. Ait enim: *Ecce, dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Non aliena erogo, sed quà ex paternis facultatibus ad me transmissa, quà proprio parta labore. Novi enim, quòd cumulet crimina, non emundet, qui aliena erogat. Novi, filicidio agnatam, & consanguineam esse rapinam; viduam, ac pauperem membratim depascentem. Novi quod docet Ecclesiasticus: *Sicut qui occidit filium, coram patre, ita qui offert sacrificium ex pecuniis pauperum. Dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Totum darem, nisi fraudes compensandæ forent. Idcirco dimidium teneo, ut habeam, unde refundam. *Si quem verò defraudavi, reddo quadruplum.* Oportet enim & rapta reddere, & de propriis alia adjicere injuria affecto. Nam quemadmodum fur, non eo ipso defensus, & excusatus est, quòd rapinam restituerit; sed insuper sæpesæpiùs innectere funi collum cogitur, vel multò pluribus, quàm furatus fuerat, vitam redimere: ita & iniquo arbitror haud satis esse, ablata refundere; sed insuper injuriam, ac molestiam compensare. Proinde, *si quem defraudavi, reddo quadruplum.* O quàm verè hîc prava conversa sunt in directa! quàm verè aspera in plana! quàm verè sincera pœnitentia universa sustulit obstacula!

Ib. Luc. 19.

Eccli. 34.

XIII. Eapropter Internuntius Domini S. Joannes Baptista, quum populum adhortatus esset ad parandam Domino viam: *Parate viam Domini*, illico hanc unam methodum parandi illam adjecit: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum.* q.d. Evolutum est tempus vaticiniorum, promissionúmque Domini Dei nostri, in quo instaurare universa, quæ in cælis, ac in terris sunt, novum cælum, ac novam terram condere, regnum Sathanæ subvertere, atque ab ejus tyrannide orbem vindicare constituit. Ad hoc opus

coro-

coronandum, non Angelos, non Prophetas, non Patriarcharum quempiam, delegit, sed quod summè admirandum, Filium suum unigenitum in vera carnis substantia, ad Divinitatis ejus consortium assumpta mittere dignatus est. Quocirca quæso vos, atque obtestor per magnum nomen Domini Dei nostri, ne committatis, ut in vobis, ad eum suscipiendum quidpiam desideretur. *Pœnitentiam agite*; & quidquid in vobis deprehenderitis asperum, conversatione pollutum, crudelitate durum, iniquitate depravatum, id eadem adæquate, ac complanate, ne superveniens Dominus inveniat, quod oculos ejus Majestatis offendat. *Agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cælorum.*

XV. Quod eo articulo ad suscipiendum Christum in carne demandatum Judæis est; idipsum nobis ad eum in spiritu amplexandum inculcat S. Mater Ecclesia: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Omnis vallis exaltetur, & omnis mons, & collis humilietur, & sint prava in directa. Subruite juga superbiæ humilibus pœnitentiæ officiis; vallium, seu sensualitatis, ac luxuriæ voragines obruite, mentem in immo defossam ad supera reflectite; distorta ad normam justitiæ revocate, aspera, saxosa, horrida, misericordia, ac lenitate complanate. Verbo: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum.* Hæc est methodus, quam ad Christum suscipiendum suaserunt Prophetæ, exaggerarunt Patriarchæ, prædicarunt Apostoli, docuerunt subinde Doctores, inculcarunt Ecclesiastæ, & eam tenere forsitan, & exequi detrectabimus?

XVI. Naamano Syro præstolanti ab Elisæo sanitatem, quum consilium ipsius, quoad Jordanis fluenta dirigebatur, duriusculùm accidisset: ait eidem ex fidelioribus amicis unus: *Pater, etsi rem grandem tibi præcepisset Propheta, facere debuisses, quantò magis nunc, cùm dicit, lavare, & mundaberis.* Quantò rectiùs id ego reciprocavero in vos Aud. meos. Si Deus noster imperasset nobis, ut non tantùm scinderemus cor contritione, sed & corpus ferri sectione; ut non lachrymas duntaxat, sed & sanguinem funderemus; ut non tantùm septies, sed septuagiès septies in Jordane pœnitentiæ ablueremur, id conari, & exequi pro salute animæ nostræ, & ad suscipiendum dignè Dominum, obstricti essemus; quantò magis nunc, cùm dicit: *Lavare, & mundaberis*; pœnitentiam age, & salvus eris, ac Deum videbis.

Pœnitentia agenda.

4. Reg. 5. v. 18.

XVII. Hem, quid non faciunt mundani homines ad excipiendum cum dignitate Dominos suos? Quos arcus, ac portas triumphales erigunt? Quas vias complanant, & adornant?

Peruani duas Regi suo vias incredibili cum labore apparârunt; quas Nierembergius jure regias appellat, à Casco ad Quitum usque; Unam per planitiem, alteram per montana, quæ ad viginti quinque pedes latæ, protendebantur per quingentas leucas; quatenus Huayma ipsorum regulus, iter instituturus, per illas commodiùs adæquatis ubivis profundis vallibus, ac editissimis depressis montibus veheretur.

Via ab aliis adornata. Nier. hist. nat. p. 140.

Abener Rex Indiarum poscente filio suo Josaphato, ut sibi ex palatio (quod ergastuli loco habuit) exspatiari liceret,

Damasc. in hist. Barlaã & Ios. c. 3. §. 5.

omnes luscos, claudos, morbidos, capulares senes ex iis arceri, ne quid infaustum incurreret in oculos, præcepit. Insuper omnem viam pretiosissimis convestiri aulæis, concentus musicos eum prosequi; choreas, & saltus instituit, & per transennam varia specula exhiberi curavit.

Chron. Polonia Ottoni Imperatori ad sacra D. Alberti Antistitis, ac Martyris lipsana deveneranda venienti, ad quatuor parasangas iter pannis, ac peripetasmatis splendidissime exornavit.

Ovid. de Ponto, El. 2. Hannibal ille Romanorum terror, per altissima Alpium juga, per immistas prope nubibus nives, per cælo minantia saxa, cum exercitu maximo in Italiam, veluti in alium terrarum Orbem sibi viam stravit; & ut canit Ovidius:

Deduxit scopulos, & montes rupit aceto.

Hæc, pariáve ad suscipiendos suos Reges, ad adornandum iter suis Summatibus, ad incolumem traducendum exercitum fecerunt, faciúntque mundi assecla. Vah, & nobis grave futurum, unum, alterúmve offensionis lapillum movere, supercilium deponere, cor aceto compunctionis modicè tingere, prava corrigere, quatenus Dominus Deus noster, sublatis hisce asperitatibus, cumulaturus in bonis desiderium nostrum, ad nos veniat, ac visitet. Quòd si hactenùs hac in parte incurii inventi sumus, hodie expergiscamur ad tubam nos animantem: *Parate viam Domini.* Audiamus voces Ecclesiæ ingeminantis: *Adorna thalamum tuum filia Syon, & suscipe Regem gloriæ, in salutem tibi venientem.* Obsecundemus Domino toties per Prophetas, & Evangelistas exhortanti: Parate, parate viam, quatenus illum hîc per gratiam suscipere, ibi in gloria triumphantem suspicere digni inveniamur.

Amen.

CONCIO V.

IN DOMINICA INFRA NATIVIT.

Non discedebat à templo ieiuniis, & obsecrationibus serviens nocte, ac die.

Luc. 2. 37.

ARGUMENTUM.

SANCTIMONIALIS VERA,

SEU

Modi Deum iugiter laudandi.

1. EXimia hæc laus piissimæ hujus Matronæ est, insigne præconium, religio vera, sanctimonia perfecta: *Non discedebat à templo jejuniis, & obsecrationibus serviens nocte ac die.* Vita ipsius in viduitate per octuaginta quatuor annos, nihil aliud erat, quàm continua oratio, inoccidua laus Dei, juge sacrificium. Veluti lineæ ad centrum suum, ita omnes pectoris sui inclinationes adusque omnimodam sui viduitatem in purissimi amoris sacrificium divinæ illius Majestati submisit. Aut veluti Ægyptia pyramis, è diffuso fundamenti amphitheatro in apicem se colligit, & fastigium cælo inserit, ita ipsa in omnibus ad unum quasi punctum templi collimabat.

Semper orandum.

Eundem fervorem, ac studium veræ, solidæque pietatis omnibus fidelibus inculcat S. Apostolus Paulus in Epistola sua ad Thessalonicenses, ita scribens: *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite.* Eodem tenore loquitur ipse Dominus: *Oportet semper orare, & non deficere.* Nunquam recedere debet laus Dei ab ore vestro, nunquam gratiarum actio à præcordiis vestris.

1. Thess. 5. 17.

Luc. 18. 1.

Sed quî id fieri potest? Num semper hærendum in templo? At id per ipsam loci reverentiam vix fieri posse videtur. Num semper aut corolla versanda, aut libellus precatorius volvendus, aut

aut contemplationibus mens affigenda? At homines sumus, & vel inviti ad alia corporis, vel proximorum commoda, ac munia abripimur. Quomodo itaque hoc consilium Apostoli, & ipsius Domini implere pollebimus? Quomodo religiosissimam Sanctimonialem Annam æmulari? Id discutiendum assumo, ad M. D. G.

§. I.

Methodus prima, laudandi Deum omni tempore.

II. PRimum modum indesinentis orationis tradit P. Fridericus Spee in aureo libello de Virtutibus Theologicis, in signis certis, in eum finem assumptis, seu in pacto quopiam cum Deo inito.

Laus Dei jugis in signis. P. Spee l. 3. de Virt. Th.

Fundamentum istius desumi potest ex capite nono Geneseos, in quo habetur, quòd Dominus Deus ipsemet fœdus obtulerit Noëmo, & cum ipso, nepotibúsque illius idipsum firmaverit, erecta in signum, seu mnemosynon sempiternum, iride in cælo. *Ponam arcum meum in nubibus cæli, & erit signum fœderis inter me, & inter terram. Cùmque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum.*

Gen. 9. 13.

Ubi indubium est, quòd nepotes Noë, & eos ipsi, quoties hoc signum nobis revocamus, aut suspicimus; toties in memoriam venire posse hujus fœderis, non secus, ac si ore, aut scripto intimaretur.

Liquidum item hoc signum nobis etiam tacentibus, atque indormientibus, ex instituto ipsius Numinis pacem, ac misericordiam indicare. Non secus, ac quodvis signum ex instituto significat id, cujus rei gratia est institutum, quamdiu perseverat.

Evidentissimum insuper, quòd signum illud in momenta quævis Dei oculis obversetur, idque ratum, gratúmque habeat. *Recordabor*, inquit, *fœderis mei sempiterni, quod pactum est inter Deum, & omnem animam viventem.* *Gen. 9. 16.*

Ad eundem modum possumus nos ipsi in omni simplicitate, & humilitate, cum Domino Deo nostro pacisci, & statuere in signum perpetuæ laudis ipsius, aut suspiria omnia, aut nictus oculorum nostrorum, aut arteriarum pulsus, aut imaginem quampiam collo appensam, ad testificandum, quòd quamdiu hanc succollaverimus, aut quoties respiraverimus, aut alio motu, & pulsu signum vitæ dederimus; toties velimus in ipsum credere, sperare, & amare ipsum super omnia; toties dolere, quòd unquam, aut uspiam eum offendimus; toties velle vitam profundere pro ipso, Illi omnia resignare, juxta sanctissimum ipsius beneplacitum; toties pœnitentiam velle agere cum firmo emendationis proposito. Præterea ipsum cognoscere, adorare, & ultimum finem confiteri, idque omni possibili modo, ac cultu, vel jam exhibito, vel exhibendo à suis Sanctis, &c.

Modus fœderis ineundi cum Deo.

III. Ejusmodi pactum Deo gratum, ac nobis notorium esse, evinco ex opposito.

Ponite quæso strigem quampiam, aut veneficum quemcumque ultrò sibi stigma inussisse, ad contestandum, se esse, & fore orci mancipium; aut ab ipsomet impressum, ultrò acceptare, ac pro-

Modus hic Deo gratus & meritorius.

protestari; se tamdiu irrevocabili voluntate devotum ipsi futurum, suaque opera omnia dicaturum, quoad indelebilis hic character perseveraverit; numquid hic eo ipso actu signato, & exercito non demerebitur apud Deum? Numquid non increscet per momenta singula illius culpa, ac individua comes ipsius pœna? Nónne si annis decem, aut supra in hac perversa voluntate, & pacto inito obstinatus permanserit; totidem continuatum æstimabitur scelus ipsius? Quidni itaque ex adverso ipsius merita, in momenta quævis incrementum referent, qui firmiora signa ponit, fœderáque sancit cum Domino Deo suo, tamdiu ipsi deserviendi, omniáque sua eidem consecrandi, quoad vixerit, vel eadem perseveraverint? Numquid non æquè hîc, aut multò ampliùs affixa manet omnium bonorum, ac meritorum operatrix bona voluntas; atque inibi malorum machinatrix perversa? Aut numquid Numen optimum propensiùs se ostendet ad irroganda supplicia, quàm ad dispensanda præmia?

Ponite alterum tam emotæ, ac desperatæ mentis, ut agnatum arteriarum suarum pulsum, aut motum quemvis alium assumeret, erigerétque in signum odii, aut aversionis à Deo, intendendo quovis motu, aut pulsu temerare adorandam illius majestatem, blasphemare sacrosanctum nomen ejus, ipsúmque inficiari Numen suum; nónne hic actus, & hoc pactum foret sumè execrandum, & tanto tempore divinę Majestati ipsius injurium, quanto non retractaretur? Infero. Quidni eodem jure, ac statuto aliud fœdus è diametro oppositum redderetur eidem gratum, & acceptum, toto illo intervallo, quo perduraverit.

Ponite tertium nudam quampiam Veneris iconem affigentem, ídque ex intentione tentandi, ac seducèndi alios, aut sui ipsius delectandi; nónne perpetuaretur crimen ipsius, quoad eandem non amoliretur? Quidni ergo pari ratione virtus, ac pietas alterius, piam quampiam exponentis, quatenus ex ejus intuitu, quà ipse, quà alii, in amorem ipsius, ac cultum prolectentur? Quidni quâ parte prior illi exosa est, illa altera hæc pergrata, & amicabilis existet?

Extra omne dubium igitur est, hominem quemvis fidelem posse uti hac methodo, & vi firmati cum eo fœderis, indesinenter eidem adhærere, noménque illius adorandum colere, ac magnificare, sua autem merita augmentare, & amplificare.

Verùm hæc laus etsi bona, pia, ac sancta sit, omnibúsque frequentanda; nihilominùs admodum est tenuis, & ut dixi in signo, sæpiùs per contrarium actum submovendo, nisi iteratis statuminetur ejusdem propositi, ac virtutum actibus. Quocirca cuivis ad perfectionem tendenti, & Deum suum amanti, ad sublimiorem modum laudandi Deum adnitendum. Quis ille?

§. II.

Modus alter Deum indesinenter laudandi.

IV. ALii in eo modum semper, ac semper laudandi Deum fundant, quòd quis illi firmiter adhæreat, neque in prosperis, neque in adversis ab eo avellatur.

Deum semper laudat, qui illi firmiter adhæret.

Fundamentum doctrinæ, ac methodi istius desumit Cæsarius Arelatensis ex viro secundùm cor Dei, Davide dico. Hic prodigio prope ex manibus Regis Achis, & faucibus mortis ereptus, gratum animum Domino exhibiturus, concepit firmum, atque inconcussum propositum perpetuandi laudes ipsius: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Arabicus legit: *Benedicam Dominum omni momento.*

Psal. 33. 1.

Expendit præfatus Doctor propositum hoc perquàm arduum esse, & prope impossibile, imprimis in coronato capite ad exequendum. Quî enim fieri potest, ut talis, ac tantus Monarcha semper chorum frequentet; quem jam pacis, jam belli negotia aliò avocabant; qui jam ad jus dicendum propriis subditis, jam ad pacta firmanda cum exteris descendere cogebatur, qui jam filiorum seditionibus, ac curis; jam uxorum altercantium molestiis distrahebatur. Si David privatam vitam egisset, si eremum incoluisset, & non palatium; tunc admitti votum ipsius, ac ratum haberi; tunc occinere posset: *Benedicam Dominum in omni tempore.* In tantis autem regni negotiis, inter prospera, & adversa, inter læta, ac tristia, inter dulcia, & amara, concatenata varietate sibi succedentia, Deum semper habere in ore, semper in corde, semper in opere, quî fieri potest?

Pet. Dam. lib. 8. Ep. 2.

Beatus Petrus Damianus Cintio gubernatori Urbis, nescio cujus, vitio vertit, quòd tanto studio consectaretur opera pietatis, & frequentationem Ecclesiarum, ac orationum; ut posthabitis forensibus negotiis, totum illis tempus consecraret: *Cave*, inquit, *ne propter peculiaris orationis studia disciplinam tam innumerabilis populi, qui tibi commissus est, negligas; & propter proprium commodum, salutem plebis, quæ justitiam à te præstolatur, omittas.* Exosa est Deo ratio status, quam observas, dum communem utilitatem, privato orationis amori postponis.

Quòd si præpostera hæc pietas extitit in uno Prætore, quanto magis in tantarum terrarum summate Davide. Quomodo itaque præconcipere votum potuit benedicendi Dominum omni tempore? *Quis est*, inquit, *qui benedicit Deum omni tempore? Quis est, in cujus ore semper sit laus Domini?*

Cæsar. Arelat. in Psal. 33.

Respondet sibimet: *Ille Deum omni tempore benedicit, & in ore ejus semper est laus Domini, quem nec felicitas corrumpit, nec adversitas terret.* q. d. Ille Deum omni horâ, ac momento collaudat, qui in secunda æquè, atque adversa fortuna, cælo sereno, ac lurido, tam in copia, quam in inopia; tam in desolatione, ac consolatione; tam in humiliatione, ac exaltatione, semper constans est in servitio ipsius; quem nec frangunt adversa, nec attollunt prospera, quem nec ad pusillanimitatem degravant dispendia, nec ad arrogantiam, & fastum sublimant emolumenta.

Huc collimabat ex mente hujus Doctoris David, nec minùs præstitit, quàm animo concepit. Etenim cùm tribulationibus variis angeretur, ad Deum suum sese recipiebat, eúmque in vota vocabat: *Ad Dominum, cùm tribularer, clamavi.* Cùm item carneam illam turrim prostravisset, cùm Philisthæos

Psal. 119. 1.

sthæos excidisset, cùm alias victorias, & regnum Domini sui obtinuisset, nunquam non benedicebat Dominum, dicens: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Psal. 113. 11.

Davidis constantia

Ita in veritate concipere, ac firmare propositum suum poterat David; eò quòd Deo nixus, mansit columna immobilis, & tanquam marpesia cautes in mediis fluctibus firmus, quem nec lambentes undæ prosperrimorum successuum ad inconstantiam pellicere, nec furibundæ insultantium adversitatum ad impatientiam commovere valerent. Quippe qui Deo nititur, eíque inhæret, altiùs mentem suam provehit, quàm ut à tumultuantibus hujus mundi meteoris infestari queat. Hinc quæcunque procellæ corpus inquietant, aut impetunt, despicit, quæcunque nubes illud involvant, de superiore culmine discutit.

In eodem constitutus esse deberet, quisquis Deo sincerè placere, cælum emereri, Deum laudare, omni gestit momento. Si illum Dominus benedictionibus suis irrorat, si evehat, si ditet; non extollatur, sed cum Davide occinat: *Non nobis Domine, non nobis.* Non sit arundo, quæ jam in hanc, jam illam, ad quemvis auræ afflatum, inflectatur partem. Non sit palpo, ut sibimet blandiatur, séque inde efferat. Non sit vesica, quæ inflata vento, & lapillis, aut pisis onerata crepet; sed quantò blandiùs, ac benigniùs æther aspiraverit, tantò demissiùs se gerat.

Si exadversum cælum desuper videbitur æneum, & terra ferrea, non excandescat, non ringatur, multò minùs animum despondeat; sed cum D. Paulo sibi occinat: *Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius,* &c. *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare à charitate, quæ est in Christo JESU Domino nostro.*

Constantia in adversis commendatur Rom. 8. 35. 38. 39.

Dicat cum Jobo viro fortissimo, Deíque amantissimo: *Etiamsi occiderit me, in hoc ego sperabo.* Non deseram te Domine, tametsi flagris me atteras, eneces fame, paupertate deprimas, cladibus affligas, immò, ipsam animam à me tollas. Quin etiam, quò gravius me premes, eò arctiùs ulnis dilectionis, ac fiduciæ nunquam infidæ te stringam. *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Iob. 13. 11.

Dico itaque ex mente hujus Patris, benedicit Deum omni tempore, quem nec felicitas corrumpit, nec infelicitas ab ipso avellit, ac submovet.

Et hic modus tametsi bonus, laudabilis, & omnibus Deo sincerè famulantibus familiaris, ac necessarius, attamen & iste est perquam tenuis, ac merè habitualis. Altiùs, credo, assurrexit sanctimonialis nostra Anna, dum serviret Domino die, ac nocte.

Quonam ergo?

***
**

§. III.

Methodus tertia actu semper laudandi Deum.

VI. EO sanè, ut omnia referret ad Deum, & intuitu ipsius operaretur. Quidquid justus facit, secundùm Deum, ad orationem referendum est. Etenim semper orat, qui semper benefacit, seu in bono opere perseverat; nec desinit orare, nisi cùm desinit justus esse. Semper item orat, qui ea, quæ pro ratione sui status exantlare cogitur, rectè exequitur, & ea, quæ justitiæ, ac charitatis sunt, curat. Semper orat, qui cum omni diligentia in libros incumbit, qui studiosè erudit liberos suos, attendit familiæ suæ, &c.

Opus bonum quodlibet est oratio.

De Isaaco Patriarcha perhibet Hagiographus, quòd sub adventum Rebeccæ dilectæ suæ Sponsæ, *deambulabat per viam, quæ ducit ad puteum, cujus nomen est viventis, & videntis, & egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinatâ jam die.* Lyranus ait, Hebræos propugnare, exivisse illum in campum, pro fundendis precibus ad Deum.

Gen. 24. v. 22, 23.

Cajetanus legit: *Egressus est ad loquendum*, quod mox interpretatur, dicens: *Egressus est ad loquendum non solùm causâ refrigerationis, sed causâ officii etiam venisse describitur, ut videlicet & alloqueretur agricolas, disponeretque de exercendo agro.* Quomodo autem hæc utraque subsistet interpretatio? Quâ metaphorâ allocutio hominis, fiet allocutio Numinis? Quo stylo consonabit, ivit ad orandum Deum, & ad ordinandam familiam? Hoc sanè, quòd & hanc dispositionem homo justus fecerit, ex officio suo, & ad Deum, omnis boni authorem, direxerit.

Cajet. h. l.

Quod ut intelligatis, sciendum est, hominem à Deo ita conditum, ut juxta vocationem, ac statum suum, ad quem vocatus est, obstrictus sit, variis fungi muneribus; ita quidem, ut jam laboret, ac desudet in suo opere; jam vires naturales per victum, somnum, recreationem conservet, ac redintegret. Id enim clarè liquet tum ex vocatione divina ad tam diversos status, tum ex ipso mandato transgressori, ac prævaricatori legis Adamo tradito: *In sudore vultus tui, vescéris pane tuo.* In quo, ut laborem imperat, ita refectionem dispensat; & per exantlatos sudores, quadantenus condire gestit cyathos, ac paropsides nostras.

Gen.

Quisquis itaque huic mandato, sive ex virtute obedientiæ, parendi Deo in omnibus, quæcunque injunxerit; sive ex virtute conformitatis cum divina ipsius voluntate, acceptandi, quidquid illi placitum fuerit; sive ex alio motivo supernaturali se submiserit, extra omne dubium idem prope merebitur in illo opere civili seu corporali, quod in alio quopiam morali, ex eodem motivo facto. Quippe in operibus moralibus, ac civilibus non tam attendendum est id, quod quis agit, quàm ex quo motivo agat, ratione cujus, & opus gratiæ, ab opere naturæ discernitur, & vilissimum quódque dignitatem, pretium, gratiam indipiscitur.

Hanc

Hanc methodum olim suis alumnis, seu tyronibus tradidit D. Basilius. Requisitus enim, qua ratione quispiam illud Pauli præceptum : *Sive comedatis, sive bibatis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*, explere posset; seu quomodo manducare, ac bibere in gloriam Dei? Respondit: *Si beneficiorum Dei memor, ita corpore, & animo sit compositus, ut non tanquam mancipium ventris ob voluptatem manduces, sed ut operarius Dei, ut vires habeas ad fortius Deo serviendum, & opera ac mandata ejus exequendum*; hoc est, ut paucis complectar, si comestionem tuam referas ad laudem Dei, non quærens cibi voluptatem, sed offerens eam, & ordinans ad Dei gloriam.

S. Basil. in Reg. brev. Reg. 196.

Hanc methodum insinuavit Abbas Lucius, in Vitis Patrum, suis hospitibus Eremitis. Eos enim postquam fraternè salutasset, & excepisset, inter alia pia colloquia intulit, quibusnam manualibus operibus distinerentur? Cui illi : Nihil omnino manibus nostris operamur; sed secundùm quod dicit Apostolus, sine intermissione oramus. Quibus senex : Ergo nec manducatis, nec bibitis? Etiam reposuêre illi. Subjecit senex: Numquid non dormitis suo tempore ? At illi : Homines sumus, sine hoc vivere non possumus. Institit ille : Quando ergo comeditis, bibitis, dormitis, quomodo semper oratis? Illis autem obmutescentibus ait: Indulgete ergo mihi, quoniam non facitis, sicut dicitis : Ego autem dico vobis, quomodo manibus meis operans sine cessatione oro. Sedeo enim de mane usque ad horam constitutam, & pauca palmarum folia infundo, & facio exinde funiculos, & interim oro, dicens: *Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam.* Cumque implevero opera manuum mearum, vendo illa, & partem pretii do pauperibus, parte alia me sustento. Quando ergo dormio, illi orant pro me.

Vitæ PP. lib. 3. p. 531.

In qua methodo duplicem attigit praxim continuò laudandi divinam Majestatem. Primam quidem laborando bona intentione, quatenus seipsum sustentaret, & erogaret Eleemosynam. Alteram dispensando ipsam, quatenus vel is, qui eam accipit, vel ipsa Eleemosyna muto quidem eloquio, sed efficacissimo pro eo exoraret.

Luculentissimè autem hunc modum explanavit ipse Assertor noster D. Gertrudi sibi in paucis dilectæ. Nam cùm feria V. ante Bacchanalia, post matutinum audivisset in culina pulsari servis laboraturis ad prælibandum, illaque dixisset: *Heu me, mi Domine, quàm manè surgunt homines, ad infestandum te cibo!* Ad quod Dominus blandè, quasi subridens dixit: *Noli ingemiscere carissima, quia hi, quibus modo pulsatur, non sunt de numero illorum, qui contra me crapulâ sæviunt*; Cujus illi eo causam subtexuit: *Quia per hanc prælibationem ipsi vocantur, & incitantur ad laborem. Unde & ego delector in eorum cibo, quemadmodum quis delectatur in refectione sui jumenti, quod pabulo pascit, ad ministrandum sibi.* Illos deplora, qui cibo, ac potu non tam se confortant, quàm enervant; non libant, ut mihi serviant, sed ut vomant, & insaniant.

Lib. 4. Insin. c. 14.

Eidem piissimæ Virgini alia vice inspiravit Dominus: *Benignitas mea acceptabit, si unum vestigium tali intentione (bona nimirum) calcaveris, seu calamum de terra levaveris, vel verbum unum locuta fueris, vel alicui gestum amicabilem exhibueris.* Adeo nihil omnino est, excepto peccato, tam vile, quod cum charitate, aut bono fine factum non evadat aureum, ac divinum. Nihil operamur in bonum corporis, quod non queat referri in bonum, ac salutem animæ nostræ. *Lib. 4. Insin. div. c. 7.*

Atque hinc intelligere poteritis oraculum Domini, apud S. Matthæum prolatum: *Duo erunt in agro uno, unus assumetur, & alter relinquetur. Duæ molentes in mola, una assumetur, & alia relinquetur; duo in lecto, unus assumetur, & alter relinquetur.* Nam quid obsecro causæ est, tam disparatæ electionis, ac reprobationis? Vadunt duo agricolæ ad campum Petrus & Paulus, unus ex pago isto, alter ex alio, aut ex eodem, unus placet Deo in opere suo, alter displicet. Vadunt duo pistores ad molendinum, molunt, percolant farinam suam, unus cum Pharaonis pinsore suspendio multatur; alter gratiis redonatur. Vadunt duo ad lectulum unum, pono uxor & maritus, in eodem stramine, in eodem gossypio aut plumis resupinantur, ista assumitur ad thalamum cælestis Agni, hic ejicitur in lacum leonum, in tenebras exteriores; aut contra. Quid causæ? Num ager? Num mola? Num lectus? Neutiquam; siquidem in eodem versantur, in eodem desudant, in eadem mola percolant, in eodem grabato quiescunt. Quid ergo. Istud sanè, quòd unus eorum omnia intuitu Domini Dei sui fecerit; alter Deum ex mente sua exluserit. Qui justè, piéque vixit, assumet secum in gloriam, qui impiè, relinquet in suis sceleribus, reprobabitque. Nam ut ait S. Ambrosius: *Qui assumitur, rapitur obviam Christo in aëra, qui autem relinquitur, improbatur.* *Matth. 24* *S. Ambr. in Luc. 17. 35.*

Quod ut pateat manifestiùs, reducite vobis in memoriam, opiliones, & quosvis pastores gregis, quanta vobis eorum caterva animo obversatur, ex his assumptus Jacob, Moses, David, atque alii pauci; ex his relicti prope infiniti.

Reducite vobis operarios, agricolas, opifices, quantus & istorum numerus? Ex his assumptus S. Crispus, & Crispinianus, Petrus coriarius, S. Isidorus, & alii, quorum nomina sunt in libro vitæ, reprobati verò multò plures.

Reducite matronas, virgines, ancillas; & harum quanta copia. Ex his gratiam merita S. Catharina Senensis, dum in culina operaretur, S. Brigitta, cùm vaccas mulgeret, ac custodiret, Martha, ac Petronilla, dum mensæ ministraret, pœnam aliæ cum insipientibus. Qua de causa? Quia nimirum illi & illæ etiam in vilibus Deum quæsiverunt, & invenerunt; hi & hæ mundum, & perdiderunt.

Quocirca A. si Dominum Deum vestrum diligitis, si merita vestra cumulare itenditis, si SS. Cælites irrequietis acclamationibus Dominum deprædicantes, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth*, imitari arderis; omnia opera vestra, maxima, minima, spiritualia, corporalia, civilia, ac divina eidem dicate. Nihil fit in opere, nihil in ore, nihil in

mente, quod ad Dei gloriam, & ad cumulum meritorum veſtrorum non referatis. O quàm felices erimus hac in parte, dum vel in lecto dormientes cum Themiſtocle, vel ad abacum ſedentes, cæleſtium gratiarum uniones piſcari poterimus.

O quanta vobis erit conſolatio in confinio vitæ, ac mortis conſtitutis, domino Deo veſtro tot annis deſerviiſſe, omnia ad ejus gloriam, & voluntatem [illegible] direxiſſe? Quàm alacres cum S. Hilarione dicere poteritis: Egredere anima mea, quid times? tot annis Deo ſerviviſti & times? Hactenus laboraſti in vinea Domini [illegible] non una hora aut altera, ſed tot annis, jam reſtat, ut groſſum æternæ retributionis percipias. Vel cum S. Paulo: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.*

2. *Tim.* 4. *v.* 7.

Quantum ſolatium in ipſo diſtricto judicii die, ubi omnia ad unguem expendentur, & de omni verbo otioſo reddenda erit ratio, per multos annos nullum vel verbum otioſum elocutum eſſe, aut cogitationem vanam nutriviſſe, aut opus inutile patraſſe, omnia cogitata minutiſſima tanquam paleas, omnia verba tanquam ſtipulam, omnia opera tanquam granum in horrea Domini invexiſſe, piæ intentionis eſſe-do.

Quod ſi hactenùs negleximus, jam nunc cum inſtante novo anno reaſſumamus, & quod in propoſitis, ac votis noſtris labefactatum, inſtauremus; quod frigidum, inflammemus; quod omiſſum, reſarciamus. Ut paucis complectar, cum novo anno Deo Domino noſtro, de novo vivere occipiamus.

Fiat.

CONCIO VI.

IN DOMINICA I. POST EPIPH.

Ascendentibus illis Ierosolymam, secundùm consuetudinem diei festi, remansit puer JESVS.

Luc. 2.

ARGUMENTUM.

RUDIMENTA PUERITIÆ.

I. EXtra omnem controversiam est, Christum Dominum à primis cunabulis, omni ætate sua insignes, heroicas, ac Theandricas exercuisse virtutes, prodigia innumera perpetrasse, atque ita vitam suam instituisse, ut omnes dies, horæ, ac momenta illius dignissima forent, quæ cedro committerentur, atque aureis tabulis, gemmeisque lapillis signarentur. *Aud.* Nihilominus de tota vita ipsius, ad annum usque trigesimum traducta, nec quicquam aliud accepimus, quàm quod in hodierno comprehensum est Evangelio. Quid causæ? Num fortè religiosæ vitæ tyrocinium posuit, operéque in ipso ostendit illud vulgatum: *Amane sciri, & pro nihilo reputari?* An universim edocere gestiit, magis Deo placere vitam in abscondito, quàm in publico actam? An verò sæcularibus exemplo prælucere voluit, ne ante tempus splendescere, & coruscare occipiant, ne id illis, quod Phœbo eveniat, qui dum citò oritur, citò occidit, & emoritur? Vel an hæc vita ipsa, in præsenti Evangelio litterata, synopsis est, & norma totius juventæ ritè efformandæ? Ita est, Aud. mei, si ad hanc composueritis vos, & mores filiorum vestrorum, confidere potestis, eosdem cum Infante JESU, in sapientia, & gratia apud DEUM & homines incrementa desumpturos. Quod dum ostendo, ab eodem Parvulo Doctore benedictionem, à Vobis benevolas aures exposco.

***

PARTI-

PARTITIO.

IN triplici ſtatione nobis hodiernum Evangelium puerum JESUM proponit. Prima agitur in templo, altera in propyleo ipſius, & quaſi in ſchola, tertia in officina. In prima orat, in altera diſputat, in tertia laborat.

Hæ ſunt claſſes, ad quas à probis parentibus pueri ducendi, & in quibus erudiendi eſſent.

§. I.

Prima ſtatio puerorum in templo.

II. PRima eorum inſtructio ſita ſit in eo, ut à teneris ad pietatem manuducantur, ſeu, ut ab ipſa infantia ad divinum cultum informentur, & à vitiis deſuefcant.

Puerorum educatio à pietate.

Motivum aliud adducere in eum finem nolo, quàm quod lego in præſenti Evangelio de ipſo Servatore noſtro adductum, nimirum bonum piæ conſuetudinis : *Secundùm conſuetudinem diei feſti*, ait ſacer textus. Etenim tam firma, ac potens illa eſt; ut planum, ac facile reddat, quidquid adverſum, & aſperum fuerat; & in naturam alteram commutet, quidquid quaſi exoticum aſſumptum fuerat.

Luc. 2. 42.

Conſuetudinis vis.

Adſtruit idipſum luculentiſſimo ſuo teſtimonio Sapiens, dum dicit : *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab eo.* q. d. Non diſſentit à flore fructus, ab aurora meridies, à puero tenero maturus vir. Qualis tiro, talis miles; ſtabit in acie vir, qui puer pueros didicit non formidare. Guſtabit citra omnem ſenſum fœmineum fel; qui abſynthio ſolitus victitare. Decurret per aſpera mortificationis, qui non lubricitat per mollia diſſolutionis. *Adoleſcens juxta viam ſuam &c.* Teſta recens diu, & ſoporem, & odorem retinet, quo primùm imbuta eſt. Arbor, ſi in propagine ad pravitatem, ſeu diſtortionem deflexerit, nunquam in ſtirpe adulta ad rectitudinem reducetur. Homo, ſi gibbum à teneris in dorſo nutrire perrexerit; eodem in adulta ætate gravabitur. *Adoleſcens juxta* &c. Nemo cogitet natum ad ardua, quem cunæ ſybariticæ exceperunt; nemo cogitet erectum ad magna virum; quem puerum videt ad voluptates abjectum; nemo cogitet virtutis meſſem, ſe collecturum in autumno ſenectutis, qui primævum ætatis ver exegit in vitiis. *Adoleſcens juxta viam ſuam* &c. Si ad rectam deflexerit, in ea perſiſtet; ſi ad ſiniſtram exorbitaverit, in deterius, ac deterius prolabetur.

Prov. 22. v. 6.

S. Ioan. Bapt. amor Chriſti à teneris. Matth. 11.

III. Intueantur Juvenes S. Joannem Baptiſtam, & ſapiant, quod dico. Hic in ergaſtulum incluſus ab adultero Herode, ex illo miſit duos ex diſcipulis ſuis ad eundem dicens : *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Liquidum eſt, Joanni compertum fuiſſe, Chriſtum eſſe verum Meſſiam, & Servatorem mundi, utque idipſum noſſent alii, ac firmiter crederent, nec in carcere deſtitit adhortari. Si vel mille repagula, aut mœnia poſuiſſet Herodes, Vox clamantis Verbum inclamaſſet, Joannes Chriſtum prædicaſſet.

Quid cauſæ? Illud ſanè, quòd à teneris Chriſtum prædicare, ac manifeſtare didiciſſet. *Mirari*, ait D. Ambroſius,

Ambr. ſer. 1. de Ioan. Bapt.

non debemus, quòd ab Herode missus in carcerem, clausus Christum suis discipulis intimaret, cùm clausus in utero, eundem Dominum gestibus prædicârit. Si materni adhuc inter uteri claustra septus, Christum saltibus, quem voce nequiverat, enuntiavit; nihil mirum, quòd eundem in ergastulo carceris prædicavit. Si Christum totâ vitâ suâ ore circumtulit, quid novi, si in morte ad eundem discipulos suos destinavit. Agnatum enim est, eorum meminisse, & agere in mortis vicinia, quæ tractare in vita consuevimus. *Adolescens juxta viam suam*, &c.

Susannæ constantia Dan. 13.

IV. Intueantur Virgines, ac Matronæ Susannam in sacris Literis apud Danielem decantatam. Hæc equidem Hierosolymis, in communi veluti fidei emporio nata; sed ab ipsa infantia in Babylonem urbem, idolorum amantem, dæmonum servam, & omnium vitiorum metropolim abducta est. *Erat autem delicata nimis, & decora specie, nec unquam verbum inhonestum ex ore ejus auditum est.* Passa est tentationem gravissimam à senioribus populi sui, sed maluit innocens perire, quàm peccare in conspectu Domini Dei sui. In ipsis ergastulis fiduciæ anchoram, omnibus aliis deficientibus, in ipso solidavit. *Erat enim cor ejus habens fiduciam in Domino.* O verè mulierem laude dignam! ô perfectum fœmineæ virtutis, ac sanctimoniæ simulacrum, jure ab omnibus suscipiendum!

Ib. v. 31.

Ibid. v. 35.

Unde verò tanta hæc pietas, tanta fiducia, tanta fortitudo profluxit? In quibus exhortationibus, in quibus scholis, in quibus cathechesibus eam edidicit Numinis sui notitiam, timorem, cultum, ut præeligeret millies mori, quàm Deum offendere? Fundamentum ejus, & originem, aut scholam aliam non noveritis fuisse, præter parentes ipsius. *Parentes illius cùm essent justi, erudierunt filiam suam, secundùm legem Moysi.* Pater ipsius, & imprimis mater, (ad quam proximiùs pertinet filiæ institutio) erant Doctores, ac Professores pietatis illius. *Juvit indolem puellæ institutio, quæ naturam vincit, aut ducit*; ait Eusebius Emissenus. Siquidem probè à teneris instituta fuerat in lege, atque in fidei versata articulis, nihil erat illa castiùs, continentiùs, sanctiùs. Pulchritudo illius non tam erat illicium amoris, impurioris, quàm retinaculum libidinis.

Dan. 13. 3.

Eusseb. l. 8. strom. c. 1.

Consuetudo characterem imprimit. Philo de Abel & Cain.

V. Hinc fortè Philo Hebræorum doctissimus, propugnavit consuetudinem imprimere characterem quempiam aut pietatis, aut malitiæ indelebilem. Nec immeritò.

Nam quid quæso causæ est, quod in Sanctorum veneramur lipsanis? Quid religionis in uno cadavere fœtido, in cineribus, seu carne dissoluta, in ossibus putridis potest supersesse?

D. Ambr. serm. de SS. Nazario & Celso.

Audite D. Ambrosium defensorem: *Honoro*, ait, *in carne Martyris, exceptas pro Christi nomine cicatrices; honoro viventis memoriam, in perennitate virtutis, honoro per confessionem Domini sacratos cineres, honoro in cineribus semina æternitatis.* Manet illis quædam virtus insita, inhærent characteres longâ consuetudine impressi, & ipsis Lemuribus Avernalibus reformidandi. Si pietas, si religio est momentanea, aut actu uno, & obiter exercita nō penetrat fibras, nec inviscerat ur in medullis intimis;

mis; at si sit longo usu & ætate continuata, penetrat cordis intima, infigitur, & æternat.

Quid item causæ est, quòd impiorum sempiternus futurus cruciatus? Respondeat amicus Jobi disertissimus: *Ossa*, inquit, *ejus replebuntur vitiis ab adolescentia ejus, & cum eo in pulvere dormient.* Juventæ vitia, quæ cum ætate ingrandescunt, seu adolescunt, non tantùm ætatem ferunt, sed ævum; non tantùm ad senectutem, sed in æternitatem sempiternant. Quâ quæso ratione? Numquid hominis caro fœtens, ac putrida etiamnum efflorebit ad vanitatis producenda folia? Numquid proculcatum corpus superbiet ad gloriam? Numquid ambibunt honores, aut opes emortua membra, & in pulverem redacta? Quid? frigida ossa vel in sepulchro ardebunt intestino lasciviæ incendio? Quo ergo pacto verè potuit dicere Iobus, quòd ossa peccatoris ab incunabulis vitiis enutrita, adhuc in pulvere retineant perversum habitum? In extrema ætate id evenire vix potest, & fiet in sepulchro? Profectò, qui in puero à peccandi consuetudine naturam mutuatus est, vel in senio eam neutiquam deponet; sed qui annis vetulus est, ut juvenis viget ad peccandum, & qui in sepulchro cadavescit, adhuc vigere adolescentiæ vitiis reputatur. Nam qui in frigida senecta jam caducus, & capularis est, juvenili etiamnum vigore censetur vigere ad delinquendum, & referre characterem bestiæ, seu peccati, nullo unquam ævo eradicandum; nullis Erebi caminis exustulandum, nullis furiarum scalpris eradendum. *Ossa ejus implebuntur*, &c.

Iob. 20. 11.

Consuetudo prava.

VI. Compertum id apprimè erat Puero JESU, atque idcirco *secundùm consuetudinem*, id est, redux ex Ægypto, singulis annis templum frequentare voluit; quatenus & in hoc omnibus exemplo præluceret parvulis, ad se imitandum, ac æmulandum.

Dicetis forsitan, pueros incapaces esse institutionis, utpote usu rationis destitutos? Respondeo cum Cajetano: *Licèt puer non est capax doctrinæ, est tamen consuetudinis.* Etsi non est capax informationis interioris, est tamen exterioris; etsi nequeat penetrare mysteria regni cælestis, seu fidei, potest tamen eadem certis signis, seu indiciis testari, v. g. Infans quispiam nequit professionem fidei facere oretenus, potest tamen signo crucis contestari; necdum novit orare, discat saltem manus componere; nondum novit conteri, sciat saltem pectus tundere. Prospicit enim Dominus, quid sibi ea signa velint; & si Angeli gaudeant super uno peccatore pœnitentiam agente; sanè non minùs, super uno innocente pœnitentiam contestante. Delectantur vel umbrâ pietatis, ubi ipsius nuclei, seu substantiæ deficit facultas.

Cajet. h. l.

Informatio interior & exterior

Ubi verò paululùm sapere occœperint, & ad judicium formandum adoleverint, multò accuratior hac in parte cura adhibenda erit: tum enim sub noxa graviore obstringuntur parentes filiis cognitionem Dei instillare, timorem Domini ingenerare, & ad eliciendum actum divini amoris provocare.

VII. Utinam autem non inveniantur, qui priùs deducant filios, ac filias ad symphoniam, quàm ad preces; priùs ad theatra, quàm altaria; priùs ad ludos

dos scenicos, quàm ad mysticas, & Deo dignas reverentias exhibendas. Quot puerorum necdum nôrunt orare, at jam sciunt pejerare, ac blasphemare; vix noverunt rectà pedibus incedere, & jam contendunt per flagitia ad infernum lubricitare. Ah! quot ipsemet in sacro tribunali audivi se incusantes de blasphemiis sacrorum mysteriorum, Passionis dominicæ, ac vulnerum Domini, & ignorabant à me postulati, quidnam esset Sacramentum; quis, vel quid pro nobis passus; quid Decalogus, immò quid sancta Trinitas. Quid mirum, si tales per avia, & devia vitiorum ferantur, & si ad Acatholicos deflexerint, desciscant à fide avita, ac impura dogmata arripiant? Quid mirum, si in sibilum cedant totius orthodoxæ religionis, dum errores suos pro fidei articulis evulgant? Quid mirum, si characterem indelebilem ad tartara deferant, quem iteratis actibus incusserunt?

Educatio mala.

Et tantorum lapsuum, aut scandalorum, quis in causa, præter parentes, patrinos, tutores, quorum id muneris est, in parentum defectu?

In hos germanè quadrat, quod jam olim in Hebræo populo sanguineis lachrymis prosecutus est Jeremias Vates: *Lamiæ nudaverunt mammas suas, & lactaverunt catulos suos, filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.* Hæretici, Turcæ, Judæi sua pignora fovent, instruunt, imbuunt à teneris incunabulis veneno perfidiæ suæ; populus Catholicus instar struthionis ferrum digerentis, susque deque habet omnem instructionem; perinde acsi ad illos nullatenus pertineret. Lamiæ, id est, apostatæ, & orcodoxi, cum lacte instillant perfidiam; filia populi, id est Orthodoxi, nec cum solido cibo fidem. Illorum etiam ancillæ nôrunt, plus quàm earum statum addecet, esse in disputando garrulæ, nostri sodales nec hiscere audent. *Lamiæ nudaverunt mammas suas*, &c. Draconibus & aliis bestiis major inest affectio, ne catuli eorum vitâ periclitentur, quàm multis parentibus, ne filii ipsorum æternâ morte occidant, sempiternisque abdicantur suppliciis. *Lamiæ nudaverunt mammas suas*, &c.

Thren. 4. 3

§. II.

Statio altera puerorum in Gymnasio.

VIII. SEcundò invenimus Christum Dominum stantem, vel sedentem in medio Doctorum. Non ea sanè intentione, ut quidpiam addisceret, cùm per Divinitatis potentiam, verbum scientiæ ipsis suis Doctoribus ministraret; verùm quatenus doceret exemplo, erudiendam esse infantiam in literis, disciplinis, bonis moribus.

Filii informandi bonis moribus.

Quod non eo fine dico, ut omnes scholas frequentent, (non enim omnibus datum est ire Corynthum,) sed ut omnes, qui liberioribus emancipantur, mœchanicis dent operam artibus, vel certè salutaribus monitis, ac præceptis ad omnem honestatem efformentur.

A D. Clemente Alexandrino, & aliis SS. Patribus, ac Politicis, filii, matrimo-

Filii flores cur.

trimonii flores, vulgò nuncupantur. Sed unde ista, aut ex quo capite transumpta metaphora ? An à brevitate vitæ ? Citò enim flores pereunt, citò violas & lilia pestilens aura corrumpit, citò ac facilè tenera ætas læditur, ac defloreſcit. An à pulchritudine? Quid pulchriùs, quid amabiliùs flore? quid nitidiùs lilio ? quid ſpecioſiùs rosâ ? *Conſiderate* , ait Sapientia æterna, *lilia agri*, (& flores alios,) *quomodo creſcunt* , *non laborant* , *neque nent*; *dico autem vobis*, *nec Salomon in omni gloria ſua veſtiebatur*, *ſicut unum ex ipſis.* Et pueris bene moratis nihil delectabiliùs ? An à puritate ? Odit enim flos ſui etiam minimum attactum, & quavis compreſſione vitiatur. Unde Adrianus hujus nominis VII. in ſymbolum aſſumpſit lilium inter gladios conſtitutum, adjectâ Epigraphe: *Odit attactum.* An à ſpe fructuum? Ubi enim flores non præceſſerunt , (ſi pauca demas,) vix fructus ſperandus. Hæc etſi aliáve concinnè aptari queant juventæ, & comperta ſint omnibus; attamen vulgò in floribus æquè, ac puritia bonus odor requiritur. Quis ille? niſi de quo vaticinatus eſt Iſaac in filio ſuo Jacobo : *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Quis ille ? niſi de quo S. Paulus in Epiſtola ſua ad Corynthios : *Chriſti bonus odor ſumus Deo.* Quis, inquam, niſi bonus odor famæ, & morum. Etenim Patre mellifluo teſtante : *Habent mores odores ſuos, habent & colores; odorem in fama, colorem in conſcientia. Colorem operi tuo dat ejus bonitas, & cordis intentio; odorem modeſtia, & virtutis exemplum.* Quemadmodum ex adverſo mali mores, & fœtore, & horrore afciunt.

Elem. Alex. lib. 2. Paed. c. 8.

Luc. 12. v. 27.

Mundus ſymb.

Gen. 27. 27

2 Cor. 2. 15.

S. Bern. ſerm. 21. in Cant.

IX. Ejuſmodi flores odoratiſſimos extitiſſe mihi perſuadeo natos ſereniſſimi Parentis, ac Regis Davidis, de quibus teſtatur ſacer textus : *Erant autem filii David Sacerdotes.* Sacerdotii autem à principe Sacerdotum Aarone ſymbolum flos, ſeu virga florida. Quippe altercantibus inter ſe capitibus populi Iſraëlitici de prærogativa ſacerdotii, præcepit Dominus virgas ſingularum tribuum poni coram arca; ut ea tribus illa dignitate gauderet , cujus virga effloruiſſet. *Quem ex his elegero* , (ait Dominus) *germinabit virga ejus.* Ut hoc ipſo prodigio indicaret, ſacerdotalem nunquam debere marceſcere gratiam, floridam virtutibus, & odoriferam bonæ converſationis exemplo eſſe debere vitam.

2 Reg. 8. 18.

Flos ſymbolum ſacerdotii.

Num. 17. v. 5.

At, qua de cauſa hoc titulo inſigniuntur filii Jeſſe ? Certum enim eſt, non fuiſſe Sacerdotes propriè in tabernaculo miniſtrantes. Num propter habitum ? At ſi fortè parentes filiolo clericalem induant veſtem , ſi Abbatias impetrent, & alia pinguia ſacerdotia , non eo ipſo Sacerdotes evadunt. Quis enim eos unquam ante altare vidit , aut circa tabernaculum deſervientes ? Sunt hi metaphorici Sacerdotes, de loco proprio ad impropium translati. Illorum vita, ac mores exigebant veſtem polymitam ſæcularem , non togam , aut caſulam , & idcircò haud quadrat translatio.

Filii David cur Sacerdotes dicti.

Qua ergo de cauſa Sacerdotes filii David? Loquatur Abulenſis Toſtatus: *Vocantur Sacerdotes*, ait, id eſt, *potentes*,

Abul. h. l.

& excellentes virtute. Quia ſacerdos ſignificat principem, & honorabilem virum, & hoc erat in filiis David. Erant filii ejus ætate quidem immaturi, at virtute adulti, mole deſpicabiles, ſanctitate perinſignes; corporibus leves, ſed modeſtia ac moribus graves. Quæcumque ad eos perveniſſent præcepta, non ſiſtebant in pueris, ſed ad virilem procedebant maturitatem. Quæcumque monita attigiſſent mores, haud deſerebantur ab ore, ſed alebantur in opere; quæcunque conſilia comprobaſſent, non deficiebant inter aures, ſed præibant ſequentes meliora. Ab ipſis prope crepundiis aris accumbere docti, ut quam in vere ætatis polliciti eſſent pietatem, in autumno illius religioſius profiterentur. *Filii autem David erant ſacerdotes.* Eò illos culti mores, ac virtus extulerat in juventa, quò alii nec in ipſa decrepita aſſurgunt ætate.

Pueri à teneris formandi.

Ut ejuſmodi flores & vos mei parentes alatis, & ad maturitatem provehatis, ne in ſentes, aut urticas degenerent, ſeriò vobis cum illa dilecta invigilandum eſt. Sæpiùs vir mulieri, aut mulier viro occinere deberet: *Manè ſurgamus ad vineas, videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt.* Manè, manè invigilemus plantulis noſtris, mane irrigemus inſtillando pia monita; manè præſcindamus, quod in ſtolones degenerat; manè alligemus, & conſtringamus, quod fluxum, ac diſſolutum eſt; manè ſurgamus, ut odore filiorum noſtrorum paſcamur; ut videamus, an flores fructus parturiant, an oraverint filii, an penſum abſolverint, an fuſum ducant filiæ. *Manè ſurgamus ad vineas, &c.*

Cant. 7. 12.

Quod ſi præſtaretis, non utique vobis exprobraret Sapiens in parabola campi, ac vineæ dicens: *Per agrum pigri hominis tranſivi, & per vineam ſtulti, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant ſuperficiem ſpinæ.* Nihil reperi in filiis veſtris præter calameta, præter ſpinas, ac tribulos inurbanitatum, ac vitiorum. Et cur? Quia nimirum ad omnia alia vigilatis, in ſolis filiis rite educandis deſides eſtis. Ut fundus ſit optimus, vires, nervoſque intenditis; at quod chariſſimum & principe oculo curandum, negligitis. De calceo, ut ille luſit, ſolliciti eſtis, pedem neutiquam penſi habetis. Quid itaque mirum, ſi claudicent filii, ſi degenerent, ſi tetram ubivis vitiorum mephitim exhalent. &c.

Prov. 24. v. 30.

§. III.

Statio tertia puerorum in officina laborum.

X. INvenio tertiùm puerum Jeſum in domo, & officina parentum laborantem; ac imperia eorum exequentem. *Et deſcendit*, ait Hagiographus, *cum eis & venit Nazareth, & erat ſubditus illis.* Erat obſequens puer in iis, quæ pueris demandantur, adoleſcens in iis, quæ adoleſcentibus committuntur; & in labore manuum ſuarum cum putatitio patre ſuo cibum, ad triceſimum uſque ætatis annum merebatur.

Filii aſſuefaciendi ad labores. Luc. 2.

Pulchrum hîc interatò juventuti exemplum datur, ex quo obſequi diſcant parentibus ſuis, nec in otio, ac inertia, ſed in labore impigro vitam tranſducant.

Laudo

Laudo parentes illos, qui filios suos, ut primùm à scholis emancipantur, aut opificio honesto imbuti sunt, feriari non sinunt. Virtutis enim studium, in laboris contentione situm est, & supra studia deambulat indefessa. Nec ulli libentiùs, quàm labori credita felicitas sui copiam facit.

Laudo, qui emeritos ad exteras mittunt, expoliandos, & intra annos certos vetant domesticos revisere penates. Quotidiana enim comprobatum experientia est, quantum lucri, ac commodorum adferat peregrinatio. Remigrant alii cum Jacobo Patriarcha in opulentia, ac divitiis multis; alii probis imbuti moribus, alii exculti artibus, ac disciplinis.

Peregrinatio commendatur.

At verò criminari cogor eos, qui domi otio, ac inertia marcescunt, quidve extra oppidum patrium agatur, ignorant. Qui enim domi otio torpescunt, vel œstro libidinis icti in turpitudinem, ac dedecora præcipites prolabuntur; vel potentia nixi ferales assumunt affectus, & per quævis debacchantur flagitia. Nec minus ipsi, ac ager quivis iners, & incultus; quò is ex se fertilior, eò deformiùs spinis ac vepribus inhorrescit; ita & ipsi, quò actioris sunt indolis, eò pluribus vitiis dehonestantur.

Adam cur tam citò peccavit.

XI. Sciscitari hîc libet, quanam ex causa Protoparens noster tam citò deliquerit? Et sanè si de motivo intrinseco, seu origine quæstio moveatur, liquet, voluntatem perversam causam extitisse. Ideo peccavit, quia voluit. Sed ego de exterioribus ago, & inquiro cur tam citò prolapsus sit?

Et hîc in antecessum Politicorum quispiam suam adferre posset symbolam dicendo: Quòd citò sponsam duxerit. Vix enim lucem aspexit, vix à lutosa genesi exiccatus erat, & illico adducitur ei sponsa, futura illi in muscipulam. Quippe, ut observat S. Augustinus: *Statim post formationem mulieris fuit secuta transgressio.* Comprobari id posset ex facta subinde experientia, quòd festinæ nuptiæ, raro festivæ. Si paululùm gravior ætate fuisset Adam, facile repulisset dilectam cum ficu, seu pomo suo, & regessisset: Numquid puer sum ego; ut pomo regnum vendam. Apage, apage, non est hæc esca pro meo stomacho, tinctum hoc est toxico edulium; & ut non sit, pœnitere tanti non emo. *Aug. lib. de Genesi ad lit.*

Alter obtenderet, quòd Adam properè scholam, ac studia deseruerit. Quamdiu enim instructore, ac Pœdagogo Spiritu S. disputavit, ac Salomon à cedris Libani, usque ad hysopum; quamdiu laboravit, ut agnata nomina herbis, floribus, arboribus, & omnibus animantibus inderet; quamdiu mentem subtili speculatione pavit; tamdiu justus & rectus inventus est; ut primùm curas studiáque sepposuit, ut primùm blandiri cœpit sponsæ, illámque deprædicare: *Hæc vocabitur virago*, ista est corculum meum, os de ossibus meis, illico hallucinatus est. Quòd si Adam non Philosophiæ, sed insuper Theologiæ vel Juri operam dedisset, vel saltem philosophari perrexisset, in innocentia sua permansisset. Vobis hoc sit in cautelam, qui ut primum fonte Caballino, aut eloquentiæ, labro tinxistis, illico ad alia studia vos obvertitis non honori, sed dedecori futura.

Non

Non, inquit tertius, mulier sola, aut studia in causa fuêre, sed potius immaturo collatum dominium. Cùm enim omnia sibi vidit subdita, & se absoluti juris Dominum reputaret, nec esse quemquam, quem revereretur, apotheosim ipsam ausu temerario appetiit, & licere sibi, quidquid libet, putavit. Eheu! quot præcocibus abusi dominiis, se unà cum bonis omnibus, aliósque pessumdedêre.

Ego, salvâ aliorum sententia, ipsum otium judico ansam interveniisse ipsius interitus. Positus erat Adam in paradyso, ut custodiret illum, & operaretur in illo. At numquid unquam ligonem, aut palam legitur sumpsisse in manum? Numquid mulier vel unum excaudicavit loliolum? Numquid inhibuêre ambo aditum malis bestiis? Neutiquam. Et serpens intravit, & lolia, ac stolones per eos increvissent. An ergo mirum, quòd ceciderint miserrimè, nosque unâ involverint ruinâ?

Quòd verò etiamnum bene multi ad scelera quævis recingantur, quòd ab optima institutione citò degenerent, quòd homines nullius frugi evadant, iners ac putridum otium, ut plurimum, in causa est.

XII. Parvulus JESUS etsi nunquam non ad excelsos virtutum actus propensus, etsi extra omne delinquendi periculum fuerit, etsi Divinitatis insignitus esset characteribus; ita tamen institutus est, ut & à teneris ad pietatem formaretur, & in sapientia ac gratia apud homines adolescere videretur, & nunquam non decenti aliquo exercitio distineretur.

O quanto itaque accuratiore studio filios vestros ad paria virtutis, pietatis, ac sedulitatis opera manuducere par est, (quos à corrupto naturæ genio propensos esse in malum liquet) si eos frugi, ac honoros esse intenditis? Si is, qui unà Deus erat, ad nos instituendos admisit directionem, quantò amplius ij, qui perinde ac cera in omnem partem flecti queunt; illa opus habebunt? In id itaque omni studio contendite, & brevi deprehendetis, & filios vestros crescere apud Deum, & homines sapientia, ac gratiâ. Amen.

CONCIO VII.

IN DOMINICA II. POST EPIPH.

Vinum non habent.

Joan. 2.

ARGUMENTUM.

Aqua tribulationis vino mixta, prosperitatis saluberrima.

I. VBivis gentium major copia est aquæ, quàm vini. *Aud.* Aqua in fluminibus, & lacubus, aqua in montibus & vallibus, aqua in campis & silvis, aqua in ipsis terræ visceribus invenitur. Nec oppidum ullum, nec domum exhibere est, in quam indies quidpiam aquæ non inferatur. Nec epulæ ullæ, quarum delicias aqua non temperet.

Vinum exadversum perrarum nostris præcipuè in partibus, & à multis ab Orbe condito sæculis incognitum. Sin in una, aliáve domo potitatur, in decem aliis ignoratur. Si propinetur in capite, aut exordio mensæ, sæpiusculè deficit in pedibus, & exodo. Si servatur diutiùs, acrescit, & in acetum degenerat. In ipsis hodiernis nuptiis inter alia sex hydriæ aquæ sunt positæ, & forsitan vix amphora vini; quæ etiam illicò defecit. Ita multum ubivis aquæ, parum vini prostat.

Verùm quid causæ, quòd Universi Conditor, non ampliore mensura istud, quàm illud propinaverit? Videamus, & fructum ex hoc ipso haurire contendamus.

§. I. *Prothasis.*

Vini affluentia Orbi pernitiosa.

II. EXtra omnem controversiam est, divinæ omnipotentiæ nutu, ac nictu æquâ facilitate potuisse affundi Universo, seu creari vinum, ac aquam. Quemadmodum enim hanc, cæteráque omnia verbo unico condidit: suppari ratione vinum in pari abundantia, æquabili potentiâ procreasset. Prægnans itaque mysterio res est, quòd optimum, ac benignissimum Numen largiùs nobis lymphã, quàm Liæum propinaverit.

Nec meo judicio potior, quàm quòd vini abundantia Orbem universum in dementiam, ac extremam miseriarum cataſtrophen deductura esset.

Vini copia pernitiosa.

Age enim, ſtatuamus tam raram apud nos ſcaturire aquam, atqui vinum ex torcularibus expreſſum; & vinum tam copioſis fluere riyis, ut in præſenti aqua exundat. Exareſcat illa cunctis in ciſternis, ac fluviis, & illud ſcaturiat obviis ex fontibus, volvatur fluminibus, ſtagnet lacubus, hauriántque illud maximi infimíque, viri fœminæque, juveneſque ſeneſque, hem quæ facies futura orbis? quis ordo rerum? Vix crediderim alium, atque nunc eſt Aſotiorum, ſeu helluonum in cauponis, vel anſerum in lacubus. Videre eſſet eorum inſtar pleroſque congregari in unum, decuriari in coronam, mutuis ſeſe poculis inundare, helluari, debacchari, inſanire. Audire lepidum eſſet eorum ritu *gaga* inclamare, ſeu gingrire jurgia, contentiones, æmulationes ſuſcitare, diſcordi confuſa omnia ſono reboare. Ibi exurgeret uxor Aſota cum cratere exululans: Proſit mi marite; vivamus. Inibi maritus Halophanta reciprocaret: Vive muliercula mea &c. Alibi chorus alter concineret: Ambulet hauſtus felix & fauſtus, & dicant convivæ: Vive, vive millies. Obſervare eſſet more eorumdem anſerum jam in hanc, jam in illam partem lapſabundo ſemper greſſu, atque in ruinam prono, in tranſverſum perpetim reciprocari, capitis vertiginem in pedes uſque demittere, omnia helluonum ritu veluti per ſomnium peragere, ſacra profanáque deſpicere, conculcare, ſcelerare. Quia ſi hac ipſa tempeſtate bene multi in potu ſimpliciore beatitatem ſuam conſtitutum eunt, illique corpora animoſque immergunt; quàm certo Tripode augurari fas eſt, tantò enorminùs vino abuſuros, quantò id vulgari zytho eſt excellentius. Si nunc tanto facultatum ſuarum impendio ſacram ſibi Bacchi feſtivitatem celebrant, quid facturi ſi citra diſpendium agere indultum foret? Si nunc ſub hedera tanti exaudiuntur tumultus, contentiones, chori, quanti ſub Jove libero non inſtituerentur, audirentúrve. Tantò enim minus ſibi quiſque temperaret, quantò magis obvium eſſet, quod appeteret. Et eò ardentiùs appeteret, quò ſuaviùs influeret, quod deperiret; quantòque potentior eſſet liquor, tantò vehementius ad inſanam licentiam inflammaret. Quo pacto itaque mundus ſubſiſteret in tanto potuum diluvio?

Vinum cauſa ægrieudinum.

III. Statuamus ajo iterum ſublatum aquæ uſum, quid eſſet mundus, quàm pandochium quodpiam infirmitatum? Laborarent illius incolæ jam febribus peſtilentiſſimis, jam vertigine capitis rotarentur, jam calculo torquerentur, jam podagra, paralyſi, elephantiaſi, tremore, aliiſque morbis innumerabilibus conflictarentur. Inde enim provenit, quòd illi Summates contractis manuum, pedúmque articulis in grabato reſupinantur, quòd vulgaribus ſequeſtratis penatibus, aquâ dico, Libero patri liberius ſacrificaverint. Ergo ſi in præſenti vinum magno ſtudio, ac induſtria plantatum, & pretioſè potatum, idque ad menſuram, tantorum malorum obſtetrix eſt, quid ſperandum, eo perinde ac aqua in uſum quotidianum conceſſo. Eheu, quæ malorum Ilias inde

de

de non redundaret? quæ malorum catena non necteretur? quæ pharmacopolia iis tollendis sufficerent?

Vinum tollit rationem.

IV. Statuamus tertiò eundem casum, nónne civitates universæ, & oppida in mandras pecorum, & latibula bestiarum converterentur? Nonne inversa foret in sapientibus ratio, sequestrata à mulieribus honestas? proscripta ab omnibus verecundia?

Noë ebrietas. Gen. 10.

Argumento hîc mihi sit vel unicus ille Servator Orbis Noë. Prô quantus ille vir? quantis ore Divûm celebratus encomiis? quàm inclytus virtutibus? quàm gravis meritis? Hic tamen ubi primùm ex plantatis à se vitibus expressum liquorem liberiùs hausisset, femora illa, quæ sexcentis annis ad perfectissimam honestatis normam velaverat, in dedecus, ac ludibrium suum denudavit, non causante id in eo perverso ex intemperantia contracto habitu, aut recincto ad ejusmodi dedecora animo, verùm unica potus ignorantia, aut incognita illius vis, ac operatio.

Et non pudenda magis operaretur in iis, quos ipsa enixa est malitia, lactavit licentia, educavit libido, quibus pectus ad monstruosam usque petulantiam fœcundum, oculi in propudiosam proni lasciviam, animus ad publica etiam scelera emancipatus; quibus haud secus ac igni pro ratione alimentorum, agnatum prope est nutrire incendia flagitiorum?

V. In Sodomis certè haud aliam reperio ruinæ originem, præterquam panis abundantiam. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ*, ait Ezechiel, *superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius.* Hæc causa perditionis illius, quòd imprimis pane, fructibus, otio abundarent. Exinde enim luxus, incestus, & alia infanda redundarunt.

Ezech. 16. v. 49.

Minoráne ego dicam eventura in summa insuper vini aliarúmque rerum abundantia, in expugnata Lyæi potentiâ ratione; in vesania, ac dementia sponte introducta, aut accersita.

VI. Taceo Israëlitas, qui in eremo illa, absente Moyse, & pro ipsis in monte deprecante, ac jejuniis macerante, liberiùs usi pane illo cælesti, ac otio, in fulminandam prolapsi sunt idolomaniam. *Sedit*, inquit Hagiographus, *populus manducare, & surrexerunt ludere.* A mensa ad saltum, à saltu ad oblivionem Numinis, ab oblivione ad idololatriam, adolescente semper in pejus scelere devoluti sunt. Quid quæso evenisset, si Bromius in crystallo arrisisset? quid si non lympha de consequente eos petra, sed Lyæus scaturiisset? an non magis infanda perpetrassent?

Exod. 32. v. 6.

In patria nostra non pauci pane proximè quotidiano laborant, & quanta cum abominatione videre est, non viros, sed & mulierculas, obvio potu madidas, humi volutare sese, aut fallente vestigio huc illucque reciprocare, lutóque sordidare. Ubi ergo maneret virtus, innocentia, honestas, Bromio ad dedecora quævis inflammante.

Ex his præmissis, vel modicè limato capiti concludere pronum est, quàm sapientissimo Numinis consilio, subtracto vini carchesio, suffectus sit aquæ caliculus, in quantum malorum æquor sese vinum exoneret,

in quantum ex adversum bonorum liquor.

Quidni igitur exclamare cuipiam libeat: O nimium benedicta à Domino lympha! ô nimiùm electa, & dilecta Deo! ô nimiùm salutifera hominibus! Tu mederis corporibus & mentibus! tu & sordibus expias, & calorem attemperas, tu susurro recreas, & in mille formas ad commodum nostrum te transmutas. Tu licèt orbis universus ob Protoparentum culpam fulminatus sit, sola exempta fuisti, & digna habita, quæ in primum Divini Pneumatis vehiculum eligereris. *Et Spiritus Domini ferebatur supra aquas.* Gen. 1. 2.

At verò maledictum vinum, quod ut blandè ingreditur, in fine mordet ut coluber, dementiam ingenerat, morborum satellitio gravat, substantiam exhaurit, & ex vitro, veluti ex cornu Amaltheæ malorum flumina profundit.

§. II.

Aquæ, seu tribulationis emolumenta.

VII. PErcipitis opinor, quid sub hoc tropo intendam proponere, quámve lucem sub hac umbra præferam. *Vinum lætificans cor hominis*, teste S. Gaudentio, *virtus lætitiæ est*, symbolum hilaritatis, ac prosperitatis, quod rarò præmodùm in hac miseriarum valle plantatur, aut magnis impendiis invectum fert ætatem. S. Gaudent. in Bibl. hom. tom. 1. Dom. Ep.

Aqua tribulatio.

Aqua est symbolum tribulationis, de qua liberari expetebat Hymnopæus dicens: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ, usque ad animam meam.* Aqua, quæ in quovis statu, atrio, angulo invenitur. Non enim antè nascimur homines, quàm patiamur. Vitæ ipsius primitiæ lachrymæ sunt, primi flores fletus, & lamenta, à quibus auspicia ducimus. Aqua, quæ imprimis in statu matrimonii sese diffundit. Cætera namque vitæ genera, tametsi non careant suis molestiis; hæ tamen compositæ cum miseriis conjugatorum, imber, aut ros exiguus videntur, intuitu torrentis conjugatorum. Psal. 68. 2.

Nuptiæ à nubibus derivatæ.

VIII. D. Ambrosius inquirendo nuptiarum etymologiam, arbitratur à nubibus derivatas esse. Ait enim: *Nubes itaque sunt, & graves nubes, quæ nupserint. Namque à nubibus verbum nubentium tractum arbitror.* Sed quid quæso relationis, aut affinitatis habent nubes cum nuptiis? Illæ super terram, istæ in terra, illæ elevatæ, hæ depressæ, illæ feruntur hinc inde per aëra, istæ alligatæ inter se mutuò. Quid itaque relationis?

Tradunt Philosophi, ac Mathematici, quòd elevato virtute Solis vapore, atque exhalatione in mediam aëris regionem, ibidemque frigore exhalationem circumambiente, calor exhalationis vapori inclusus fortior reddatur, inflammetur, egressumque moliatur, quem cùm non facilè reperiat, vi tandem erumpat, aut si nondum fuerit incensa ejusmodi exhalatio, ipsa sui eruptione, motu, ac collisione nubium incendatur. Addunt, si diuturna ibi fuerit inclusa exhalatio, condensetur, ac concoquatur in lapidem, qui erumpens tonitrua excitet, coruscationes procreet, & proterat in quæ impegerit. An non nuptiæ hac in parte similes nubibus? Num & in illis nonnunquam vapor

por quispiam sinistri affectus insurgit, qui subinde inflammetur in iram, rancorem, & si diuturnior extiterit, etiam in fulmina, ac tonitrua, & ut nubes inter se collisæ fulgurent, ac fulminent?

IX. Vidistis nonunquam atra caligine nubium involvi cælum, gravidámque vaporibus ac fulminibus nubem ipsam approximantem, haud citra terrorem spectastis. Ad hanc avertendam convocantur horrendo campanarum boatu incolæ, exorcistæ conceptis divinæ paginæ verbis, eam adjurant, ne impendentia fulgurita in gregem suum profundat; alii candelas consecratas incendunt, aqua lustrali parietes conspergunt, amuletis se muniunt, ad tutiora, ac sanctiora loca se recipiunt. An non idipsum in nuptiis evenire solet, quando nimirum uxor fuliginosam supercilii nubem in fulmina exasperat. Hem, quæ tunc consternatio totius domus! tremunt pueri, familia stupet attonita, oratur, pulsatur, & sæpiùs incassum, cogitur maritus domo propria excedere, & aliò quietem habiturus, migrare.

X. Memini Iridem pacis nuntiam exoriri, si Phœbus in nubem roscidam, opacam sese reflexerit. An etiam in nuptiis, seu connubio arcus fœderis appareat; si vir tanquam Titan exoriatur splendido oculo in domo, nubémque suam plorantem respexerit? *Nuptiæ Nubes.*

Quidquid sit, illud indubium, nubes gravidas esse nimbis, aquis, grandinibus, quin etiam lapidibus, fulminibus. Nec minus liquidum, nuptias gravidas esse curarum grandinibus, solicitudinum fulminibus, inquietudinum radiis, miseriarum plurimarum nimbis largifluis. *Multiplicabo*, ait Dominus Evæ, & successoribus ipsius, *ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Non una duntaxat ex parte cruciaberis, sed pluribus. Senties ærumnas tuimet uteri, ærumnas à viro, ærumnas à prole, ærumnas à familia, ærumnas jam in fœcunditate, jam in sterilitate. Gen. 3. 16.

XI. Unde quæso hoc, & qua de causa benignissimum Numen tum in alios status, tum præcipuè in conjugatorum catharractas aquarum amarissimarum solvit & effundit? Cur illis identidem deficit vinum, superabundat aqua?

An etiam hîc verum evadit, quod supremus Judex in Babylonem edixit: *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctus?* Quantum sibi vini affundere voluptatis nituntur; tantum miscere illis aquas acerbitatum. Quantum litant Volupiæ, tantum immolent ægrimoniæ, ac mœroribus. Apoc. 18.

An amor hanc cum igne cognationem habet, ut cùm vehemens sit, alatur, & excitetur ipsa aspersione undarum intensius; proritetur vexationibus, afflictionibus vehementius? Id scio ex altiore scientia, quòd *aquæ multæ nequeant extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Nulla ærumna, nulla afflictio tam gravis, quæ sopire polleat flammam sinceræ charitatis. Id scio, quòd initio creaturæ *spiritus Domini*, qui amor est in SS. Triade, *ferebatur super aquas* elementares; nec dubito, quin etiam super morales; si easdem in patientia, & fortitudine epotemus. Cant. 8. 7. Gen. 1. 2.

An verò non minus conducit omni statui aqua amaritudinis & afflictionis, quàm mundo lympha naturalis?

XII. Symboliſtæ indagantes, quonam in loco plantanda eſſet arbor omnium florentiſſima in frondibus, latiſſima in ramis, abundantiſſima in foliis, ac fructibus, firmiſſima in radicibus, fixerunt eam, teſte Brixiano, ſecus fluenta aquarum; adjectâ Epigraphe: *Et folium ejus non defluet.* Non plantârunt eam in montium jugis, ne fortè ventorum potentiâ excaudicaretur, non in arenis ſterilibus, ne brevi exareſceret, non patente in æquore campi, ne undique Solis radiis exureretur; ſed juxta fluenta in declivi, ubi & à procella tempeſtatum tuta perſiſteret, & à rivulo præterlabente continuò lactaretur.

Brixianus V. Platanus.

Arbor ejuſmodi imago eſt hominis juſti, & florentis virtutis, non autem puſilli, & enervis animi. Ubi autem ſerenda? Ajo cum Davide: *Erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecùs decurſus aquarum.* Ibi radicabitur, ibi firmabitur, ibi Spiritu S. afflante, impinguabitur, ac dilatabitur. *Et folium non defluet.* Ibi ipſæ aquæ obſtetricantur ad fertilitatem, ipſi Aquilones ancillantur ad firmitatem, ac fortitudinem.

Pſal. 1. 3.

Ponite ex adverſo aliam in aprico, in æſtu ac calore nimio, in ſecundiſſimo ſemper, & ad votum ſuccedente ſtatu, quem fructum polliceri poteritis? Quis aſpiraret ad fontem aquæ vivæ, ad ubertatem domus Dei, ſi hic indies falerno jucunditatis inebriaretur, idque citra laborem. Si nunc vitam hanc plenam miſeriis, nuptias refertas ærumnis tantopere deperimus, lentiſſimis paſſibus ad ſupernam beatitatem contendimus, quantò minùs in alio ſtatu id præſtaremus, ſi prælibatâ terreſtris jucunditatis dulcedine, impius alter ore blaſphemo nuntium cælo remiſit; quid non attentarent alii, plenis buccis citra nauſeam delitias hujus mundi helluantes? Si nuptiæ terrenæ manarent lacte, ac melle indeſinenter, quis ambiret connubia Agni cæleſtis?

Neceſſarium ergo, & ſalutiferum tum in omni ſtatu, tum imprimis matrimonii, ærumnarum excogitatum eſt à Deo inventum; mirabile atque divinum contra peccata conſilium; ut ſubtractis ſenſuum jucunditatibus, cogamur quærere bona vera, gaudium defœcatum, pacem inconcuſſam, divinum artificium, ut morbis, cruciatibus, adverſitatibus, perinde ac abſynthio ablactemur, & ad verum ſolidúmque cibum conquirendum incitemur. Inventio digna Deo, ut oſcitantibus, ac deſidio marceſcentibus in via mandatorum Dei morbi, cruces, dolores calcar nobis evaderent, quo ad currendum incitaremur, immo veredarii, quibus in cœleſtia palatia inveheremur. Noluit itaque benigniſſimus Servator à nobis hanc adverſitatum clientelam manumittere, ne tantis nos privaret commodis.

Proinde etſi conſiderando res, ut in ſe ſunt, & non ſecundùm accidentales circumſtantias, melior omni alio ſtatu ſit proſperitas, (non enim inficiari poſſumus, Beatorum gloriam infinitis partibus meliorem pœnis inferni, aut purgatorii.) nihilominùs conſiderando conditiones vitæ humanæ, conſiderando ſtatum Conjugatorum, magis proficua eſt in hac mortalitate unda adverſitatis, vino proſperitatis. Præſtat nos refrige-

frigerari in hac vita aqua tribulationum, quàm inflammari vino prosperitatis. Præstat haurire lympham, quàm regum œnophoro potari. Præstat mactari infortunio, macerari curis, tempestatibus concuti, quàm secundissimis provehi in summa malatia successibus.

§. III.

Vinum dilutum, seu mediocritas fortunæ saluberrima.

XIII. NIhilominus expendenti hodiernam aquæ in vinum conversionem, alternatásque lymphæ, & Liæi vices, pronuntiare cogor, eum optimum in hac mortalitate statum esse; in quo vinum aqua dilutum delibatur; seu cùm aqua in vinum convertitur, ist est, cùm tentationem comitatur proventus, tribulationem solatium.

Constat in Orbe aliam inveniri partem, quæ appellatur Zona torrida, aliam frigidam, aliam temperatam. Zona torrida est immediatè Æquatori subjecta, ubi profligata hyeme, soli propè æstus fixum obtinuêre imperium. Frigida est, polum Arcticum & Antarcticum versus, in quo, toto anni dimidio tetra nox, & intollerandum ob Solis absentiam frigus dominatur. Temperata hæc est, in qua frigus calore, calor frigore mitigatur, vel sibi invicem succedunt imperio, vel fasces ita attemperant, ut alter alteri nec in minimo officiat. Quam quæso ex his decernitis salubriorem, commodiorem, fertiliorem? Certè si sapitis, temperatæ calculum adjicietis. Quippe Zona illa torrida ob defectum humidi, raros, aut nullos prope progenerat fructus; nec tam hominibus, quàm draconibus, basiliscis majori ex parte à Cosmographis habitata creditur. Frigida itidem ob frigoris tyrannidem inculta, & inhospita redditur. Zona temperata unica ubique colitur, seritur, habitatur. Una hæc animantibus reliquis, ac volucribus, tum imprimis hominum temperamento respondet.

Intelligitis facilè, quam in umbra imaginem præferam. Zona illa *torrida* prosperitas est, in qua ut plurimùm incentiva, & monstra vitiorum cubilia sua ponunt. *Frigida* itidem, ubi mare glaciatum, ac nullæ uspiam in aëre volucres, tribulatio est. Hæc si decumanis desæviat tempestatibus, si corpus excruciet doloribus, si animum irrequietis maceret curis; si afforis continuis grandinet flagellis, intùs torqueat angoribus, quis non frangatur animo, & vitam execrabitur? *Temperata* demum, in qua calor, ac frigus alternant imperia; in qua jam frontem explicat, jam contrahit Titan, in qua æstivos ardores, insequens temperat bruma, est status ille, in quo tristia lætis succedunt, dulcia amaris miscentur, grata & exosa alterno redeunt choro. Hic status optimus, saluberrimúsque mortalibus, in quo nec secundarum rerum proventu tam facilè abutuntur, nec adversis debilitantur. In hoc sequestratur occasio præsumendi, ac desperandi; in hoc præciditur causa omnis tum jactantiæ, tum impatientiæ; in hoc periculum evitatur multorum aliorum scelerum. *Status quis felix.*

XIV. Hunc credo statum poposcerat à Deo sibi Regum sapientissimus Salomon,

mon, quando provolutus humi Dominum obtestabatur : *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi, sed tantùm victui meo tribue necessaria* q.d. Non peto Domine, ut cuncta mihi ad votum fluant, ut ambas aduſque aures me impleas; ut ſim veluti Numen quodpiam in terris nullius indigens; ſed id exoro, ne me tanta exhaurìat, opprimatque egeſtas; ut oſtiatim obulum emendicare cogar. *Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi.* Prov. 30. 7

Cauſam intentionis ſuæ ſubdit, dicens: *Ne fortè ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus, furer, & perjurem nomen Domini mei.* q.d. Novi fragilitatem meam, novi paſſiones meas indomitas, & reformido, ne ſi forte ex parte una, à te largitore bonorum omnium torcularia mea repleantur, ſtagnentque ſolitò abundantiùs, mens in faſtum & luxum exuberet. Percellor parte ex altera, ne ſi item ad mendicitatis veternum redactus fuero, in ſervile murmur, in vernile faſtidium, in tædium coronarium, per impatientiam ſe exoneret. Timeo inquam, ne cum meis abavis ambroſiâ ſatiatus, cælum allatrem per ſuperbiam, aut pane mucido paſtus in idem eructem convitia. Ibid. v. 9.

Mendicitatem &c. Noverat enim, perrarum eſſe inter mortales mero proſperitatis citra ebrietatem ſeſe ingurgitare, nec in ſummo rerum ſecundarum affluxu de poteſtate rationis emigrare. Noverat arduum eſſe innatare, ac diffluere delitiis, nec mentem demergere. Noverat inſolitum ludente ad ſæculi modulos fortunâ, non tripudiare, alludentibus ad fortunæ carbaſa Favoniis, non velificari voluptatibus; ſaginato ſemper ventriculo, non recalcitrare imperiis. Parit enim ſatietas ferociam, ſecundæ res inſolentiam, abundantia rerum faſtidium, ſublimitas contemptum. *Mendicitatem* &c.

Imitemur Sapientiſſimum, & ſubſimilem à divina clementia ſtatum, ac gratiam efflictim exoremus; dicentes cum eodem: *Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi.* Nolo Domine, uti in hac peregrinatione totam mihi elargiaris mercedem, & ſubinde dicas: *Fili recepiſti bona in vita tua.* Nec efflagito virgam Midæ, quâ omnia in aurum convertantur; ſed ut operibus manuum mearum benedicas, & cùm aquas amaritudinis affundis, etiam vinum conſolationis, ac dulcedinis attemperes.

Id ut impetrem, per hodiernam Mediatricem B. V. Mariam ad te ſupplex confugio; exorando, ut ejus interventu, hæc mutatio ſuccedat dexteræ tuæ; quatenus hîc delibantes gaudia cæleſtia, ibi torrentibus illius inebriemur. *Fiat.*

* * *

CONCIO VIII.

CONCIO VIII.

IN DOMINICA III. POST EPIPH.

Filii regni eiicientur in tenebras exteriores. *Matth.* 8.

ARGUMENTUM.

PROSCRIPTIO FILIORUM REGNI.

I. NIhil infeliciùs homini misero, quàm aliquando extitisse felicem. *A.* Nihil grâviùs, atque iniquiùs, quàm de culmine felicitatis in abyssum miseriarum devolvi. Nihil intolerandum magis, quàm de solio ad stivam, de fibula ad subulam, de libertate ad cataštam metaphorâ perquàm aspera translatum esse.

Infelicitas maxima fuisse felicem.

Ejusmodi infortunium creditur deploraſſe vivorum patientissimus Jobus; quum in sterquilinio positus exulularet: *Quis mihi det, ut sim juxta menses pristinos?* q.d. Lyrano Interprete: Haud me lancinat, tam profundè prolapsum esse, aut à planta pedis usque ad verticem capitis ulcere pessimo incrustatum; aut acerbissimis excruciatum doloribus; quàm quondam extitisse fortunatum, ac opulentum, jam verò miserum, ac mendicum evasisse. *Quis mihi tribuat*, &c. Antehac *lavabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi rivos olei,* jam verò testâ radere saniem meam cogor. Antehac stipabant me equites, si fortè procederem ad portam civitatis, & *videntes me juvenes abscondebantur, senes assurgentes stabant*; nunc autem abominantur me, & halitum meum exhorruit uxor mea. Antehac si luberet cælum adire, *sedebam primus, & quasi Rex circumstante exercitu*; jam verò ad incitas redactus, factus sum omnium novissimus, & cum vermibus habitatio mea, & fimetum solium meum. *Quis mihi tribuat*, &c.

Iob. 29. 1. *Lyrah. l.*

Ibid. v. 6.

Ibid. v. 7.

Ibid. v. 25

Ita quem tot strages pecorum, ac filiorum invictum, tot ruinæ possessionum, ac domorum inconcussum, tot tantæque plagæ infractum, atque adamantinum invenerant, sola memoria pristinæ felicitatis, prope infirmum, ac enervem prostituit.

At si terrenæ beatitatis revolutio, si fucatæ ementitæque felicitatis catastrophe tam validè lancinat hominem miserum, exigite quæso, quàm intolerandus futurus epilogus, ubi filii excelsi, filii incliti, filii regni proscribentur, & ex imperio, quod illos manebat, ad cataslas; ex luce honorum, ac dignitatum, ad caliginem infamiæ, ac dedecorum; ex Superis ad inferos irreparabili damno, inexplicabili infortunio amandabuntur? Quid autem causæ? Sinite me paulò exactiùs easdem rimari, ne fortè ignorantiâ lapsi, cum iisdem eâdem multemur calamitate.

PARTITIO.

EXpendenti mihi favores cælestes alienigenis à Christo Domino dispensatos, occurrit ex eodem prope fonte illos æquè redundasse, ac ingratias in filios regni. Etenim ut illos gratiosissimos reddidit Fides, Spes, Charitas cum omni intensione perfecta; ita exadversum istos defectus earumdem virtutum exosissimos. Quemadmodum illi virtutum Theologicarum exercitio gratiam sibi coacervarunt; ita hi defectu earundem profuderunt. Ut illis contulere calculum virtutes divinæ ad regnum; ita his piacula suffragium ad supplicia.

§. I.

Fides candidatos Regni efficit.

II. PRimum suffragium ac calculus alienigenis pro Regno collatus, jure fidei prærogativæ adscribitur. Hæc enim, ut est sperandarum substantia rerum, & omnis sanctitatis, ac gratiæ basis, ita & gloriæ.

Aureæ eloquentiæ Præsul D. Chrysostomus, expendens promissiones cœlitùs factas, advertit, primam omnium in particulari regni cælestis, latroni (quem etiam opinatur Ægyptium, ac gentilem extitisse,) factam. Res profectò mira, nec vacans mysterio. *S. Chrysost. hom. de bono latrone.*

Magnus, & inclytus Dei servus extitit Abrahamus, qui vocanti obtemperaturus Numini, patriam, parentes, sanguinem deseruit, qui ambulavit coram Domino in omni perfectione virtutum, qui accinctus erat, amore ipsius proprium filium, sibique dilectissimum Isaac in holocaustum devovere, qui meritus, ut ex lumbis ipsius Filius Dei carnem sumeret; & tamen duntaxat terram, non cælum eidem pollicitus est. *Dabo tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam.* Gen. 17. 8. 9.

Magnus, & primæ admissionis servus Moyses, qui in omnia elementa imperium exercuit, & Pharaonem plagis decem castigatum, in profunda Oceani demersit, qui totas noctes in consortis sermonis Domini traducere solitus erat; qui animam ipsam efflavit in amplexu, & basio Domini. *Mortuus est Moyses in osculo Domini.* Et tamen non est dignus habitus, ut videret faciem ipsius; Unde ei dictum in extasi: *Posteriora mea videbis, faciem autem meam non videbis.* Deut. 44. Exod. 33.

Magni, ac præcellentes erant coram Domino cæteri Patriarchæ, ac Prophetæ, quibus concredita eloquia Domini, qui arcana penetrârunt mysteria, & sancti-

sanctimoniâ vitæ præstabant; & tamen nulli in specie regnum cælorum promissum legitur. Solus latro, qui antè sibi thesaurizavit iram, in die iræ; unus sicarius, qui merebatur millies in rotam agi, aut in crucis subsellium evehi; hic audiit primus felicissimum hoc nuntium: *Hodie mecum eris in paradiso.* Unde quæso hoc?

Latroni primò regnum cælorum promissum, & cur. Luc. 23. 43.

Revocant sibi nonnulli doctrinam D. Bernardi notantis, quòd alii cælum mercentur, alii furentur; & cogitant hunc nocturnum furunculum arte sua usum, subque tempus prodigiosæ ecclipseos illud clanculum conscendisse, & occupasse.

Occurrit aliis illud Christi Vindicis nostri: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, & arbitrantur, hunc latronem, hominem violentum, viribus suis usum, illud expugnasse atque diripuisse.

Matth. 11. 12.

Meditatur alter Christum Assertorem nostrum tanquam summum Pontificem fecisse pontem, (nimirum crucis suæ) quo transirent prædestinati per mare rubrum, ex Ægypto in terram promissionis, & latronem tanquam viarum insessorem, illum primum occupasse, ac transivisse.

Verùm præfatus Doctor gratiam hanc sicario huic collatam, imprimis merito fidei imputat; quòd Christum Dei virtutem in infirmitate; Regem sæculorum in cruce, Dominum cæli & terræ in Passione; Judicem vivorum, ac mortuorum in damnatione crediderit. Quippe in stipitem actus, defixis in unum Christum Dominum oculis, contemplabatur singularem ipsius patientiam, divinam in crucifixores ipsos clementiam ac charitatem, pietatem in Matrem, fiduciam & resignationem erga Patrem æternum, & tandem sublimiore illustratus lumine, quam fidem animo concepit, eructavit: *Memento mei Domine in regno tuo*, q. d. Credo firmiter te Dominum, non hujus mundi, sed cæli; credo, te Filium Dei, Agnum illibatum, ad occisionem pro mundi salute ductum; credo ac profiteor, te in ara Crucis tanquam Arbitrum inter nos, ac DEUM Patrem constitutum; seu, ut summum Sacerdotem offerre holocaustum, in eóque tibi commendatos habere dilectos tuos; supplico itaque demisse: *Memento mei Domine*, non eo fine, ut me ab his tormentis eximas, sed ut à sempiternis liberes. *Memento*, non ut vitam hanc caducam mihi proroges, sed ut alteram perpetuam indulgeas. *Memento*, ut quem socium nactus es in tormentis, eundem in consortium etiam regni tui admittas. Quid perfectiùs? quid mirabiliùs fingi potuit hac fide? Nullas ille Scripturas legerat, nullos Prophetas audierat, nullum signum patrasse Christum viderat, non mortuos suscitantem, non dæmonia effugantem, non mari imperantem observaverat. Nec dixit ad eum Christus, quemadmodum Petro: *Sequere me, & faciam te piscatorem hominum*; nec pollicitus est illi, quemadmodum discipulis suis, quòd assessurus sibi esset in judicio; nullum quin etiam verbum de regno cælorum, aut de gehenna ab eo audierat; & tamen quando eum Petrus negabat in terra, ipse latro eum confitebatur in cruce; quum Petrus vilissimæ ancillæ minas tolerare non sustinuit, hic homi-

Fides latronis eximia. Luc. 23.

cida circumstantem undique populum, quasi è specula despiciens, propalam, eum enuntiavit; cùm alii despuerent miracula patrantem, hic confessus est in ligno pendentem. *Memento mei Domine.*

Hac fide superavit Abraham, vicit Moysen, & longo post se intervallo destituit Prophetas. Nam quid mirum est, si Abraham credidit Deo de cælo loquenti, aut per angelos sermocinanti? Quid mirum si credidit Moyses de medio flammæ loquenti, & in tubæ clangore, ac tonitru præsentiam suam contestanti, aut propria authoritate legem danti? Quid mirum si credidêre Prophetæ, vel Dominum in throno videntes, vel alio modo, quantum fas erat humanæ naturæ, eum intuentes? Nonne vel infidelis quisque hoc artificio ab errore revocaretur? At si magnum extitit illud opus fidei in Patriarchis, ac Prophetis, maximum profectò in Latrone, qui nec curuli regio insidentem vidit, nec de cælo loquentem audivit, nec per angelos disponentem arbitratus est; & tamen in tormentis sibi sociatum, tanquam in gloria sedentem deveneratus est, in cruce tanquam in throno regnantem obtestatus est, inter convitia ac blasphemias Deum suum confessus est. *Memento mei.*

Hujus fidei prærogativa meritus est, ut præ cæteris primatus illi regni empyrei deferretur. *Hodie mecum eris in paradyso*; nimirum in regione pacis, in terra viventium, in gloria mea, in paradyso voluptatum omnium seminario. Mecum eris nec unquam à latere meo recedes, quod in cruce stipabas. O verè ineffabile fidei meritum, ac stipendium! ô supereminentem incomparabili differentia à filiis regni prærogativam!

III. Succedat huic Latroni (ut alios mittam) centurio hodiernus, & ipse gentilis. Quanta & hujus viri, quàm excellens, quàm mira, ac stupenda fides! Exoratus Dominus noster per amicos ipsius, ne dedignaretur servo ipsius in extremis posito succurrere, annuit lubens, & se venturum, ac curaturum illum promisit. Quod ubi Centurioni relatum esset, illico sese proripuit, obviam processit, seque indignissimum tantæ Majestatis præsentia contestatus est. Patere, inquit, Domine, quòd incoram compaream, atque obsequia mea deferre præsumam. Indignitas mea propalam hîc sese tibi subjicit, quæ tuam Majestatem intra Laris angustias suscipere haud sufficit. Sileni te ludum ludere ominor, & sub humanitatis sipario adorandæ Divinitatis imaginem occulere. Prodigia tua id evincunt, & vel obcæcatum intellectum in captivitatem fidei cogunt. Proinde id unum à te efflictim exoro: *Tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.* Manda & ad imperium tuum fugabitur langvor, emigrabit paralysis. Etenim si verbis meis parent milites, qui sub potestate sum constitutus! quantò magis tibi obsecundabunt morbi, adversum delicta militantes, qui omnem exuperas potestatem? Si ego polleo advocare, vel amandare meos Tyrones in subjectione, quid ni tu nictu, aut nutu unico in dominatione. Tuo, ut credo, imperio, tuo *Fiat* conditus est hic orbis maximus, cùm non esset; quidni eodem restauretur minimus, postea-quam fatiscere occœpisset. *Tantum dic verbo* &c.

Centurionis fides.

Matth. 8.

Quam

Quam professionem non citra admirationem audiens Christus, encomio luculentissimo deprædicavit dicens: *Non inveni tantam fidem in Israël.* Non reperi tam perfectum fidei actum in omni populo Judaico; non reperi in ullo, qui sanitatis gratia me accessit, aut recessit. Etsi enim eximiam de potentia miraculorum opinionem plerique conceperint, nullus tamen eorum se verbo redonandum sanitati confisus est. *Non inveni tantam fidem in Israël.* Eapropter etiam audire meritus: *Multi venient ab Oriente & Occidente* (inter quos & tu) *& recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno cælorum, Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* *Ibid.*

Conferamus jam fidem nostram, cum fide hujus Centurionis, ac Latronis. Quotusquisque tam firmiter, tam sublimiter credit, atque hic turmæ ductor, Deum sibi, (si ad salutem ipsius, vel gloriam suam expediret) verbo unico succurrere posse, suosque angores, ac ægritudines semovere. Quotusquisque firmâ fide assentitur, creditque cum Latrone etiam ipsi Christo non nisi per multas tribulationes iter in cælestia regna patere? Eheu quoties defectu fidei in afflictionibus nostris, tanquam in tempestate constituti, cum Petro incipimus mergi, & animum abjcere? Quoties in iis, in quibus rationis basim firmare non possumus, titubamus? Quoties contra ingruentes blasphemiarum catervas languidè, ac remissè voluntaris arcu belligeramus? Quid igitur mirum, si præcedant alienigenæ, si suffragia regni præoccupent, si primatu potiantur, & filii regni tanquam increduli proscribantur? *Fides nostra exigua.*

§. II.

Alterum Regni calculum confert spes.

IV. SEcundum regni cælorum suffragium confert fiducia in Deum sincera. Fides enim gloriam regni inchoat, fiducia consummat. Illa fundamenta ponit, hæc superædificat; illa dat principium, ista perducit ad summum; illa initia incredulitatis aggreditur, hæc ad consumationem virtutis meditatur.

Apis melliflua Clarevallensis spem pedi confert, ita ut in via Domini incedenti pes dexter sit fides, sinister spes: Ait enim: *Quemcumque locum calcaverit pes vester, vester erit. Pes vester utique spes vestra est, & quantumcunque illa processerit, obtinebit, si tamen tota in Deo figatur, ut firma sit, & minimè titubet.* *Bern. in Psal. 61.*

Et hæc quàm solida, atque excellens fuerit in Ethnicis, palam faciet Chananæa illa mulier, quam Syro-Phœnissam indigetat S. Marcus, id est ex Phœnicia Syriæ Provincia oriundam. Hæc è suis finibus egressa lamentabili voce Dominum pro filiæ incolumitate invocavit: *Miserere mei fili David, filia mea malè à dæmonio vexatur.* Miserere, quia mitis, & misericors es. *Miserere* mei, quæ angoribus filiæ meæ conficior; *Miserere*, quia filius David es, hæres non tam regni, quàm mansuetudinis, ac misericordiæ ipsius. *Miserere, miserere.* *Chananæa fiducia.* *Matth. 15. v. 22.*

Cujus voces allapsæ ad aures circumstantiũ, & imprimis discipulorum, usque adeo miserabiles visæ, ut nemo esset, qui ipsius adversis non indoleret.

Ad solius autem Domini aures allisæ, perinde tanquam ad petram in spumas abiêre. Quippe vel tempus tantæ conferendæ gratiæ expectans, vel occasionem manifestandæ latentis in corde virtutis subministrans, dissimulavit se audire, & aliò deflectere nitebatur. Quin etiam vehementiùs pulsantem precibus veluti indignam objurgavit, dicens: *Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus.* Non est æquum panem doctrinæ, ac gratiarum dispensandum filiis Abrahæ, dispensare catulis belluarum. Non est rationi congruum, margaritas projicere ante porcos.

Ibid.

Quis hîc non despondisset animum? quis non inexorabilem duxisset Dominum? quis non spem omnem impetrandæ salutis deposuisset? At non Chananea. Stetit enim ad hæc fulmina imperterrita, bene gnara nihil esse, quod sacrâ pertinaciâ, piaque importunitate non obtineatur. Itaque unde cadere animo debuit, inde ad exaggerandam fidem, ac fiduciam suam in Christum assurrexit: Reposuit enim: *Etiam Domine; nam & catelli edunt de micis dominorum suorum.* q. d. Verissimum est, quod oraculo tuo enuntias mi Domine, non subtrahendum esse panem filiis, & catellis in offam opponendam. Verumtamen non eo ipso victa succumbo. Nam etsi pane filiorum, & gratia omnino indigna sum; nihilominus ut catellæ, vel micam unam de mensa filiorum elargiri poteris. Siquidem; etiam catelli edunt de mensa dominorum suorum. Ego certè deinceps catella tua ero, tibi in omnibus fidelissima, & obsequentissima; tibi vilissimis meis blandiar servitiis, te sequar, nec deseram, quoad benedixeris mihi. *Miserere mei fili David.* O verè admiranda fides! ô stupenda hujus mulieris fiducia! unde etiam ab ipso Domino celebrari meruit: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Verè magna, & supra naturam, quia cùm audiret se canissæ æquari, necquicquam de firmitate spei suæ remisit. Verè magna, quoniam ad speciem inclementissimè habita, de ipsius clementia, ac misericordia neutiquam desperavit. Verè magna, quia fortissimè nixa in Deo salutari suo.

Ibid.

Tam perfectam, tamque inconcussam in omnibus tentationibus, ac angustiis nostris efflagitat à nobis meditata apotheosis. Insusurret quantumvis Sathanas, actum esse de nobis, incassum æthera nos pulsare, clausam esse januam anchora spei nullatenus rescindenda. Improperet licèt Angelus de cælo, bestia indigna es regno cælorum, quod tuis voluptatibus postposuisti; indigna omni gratia, quam toties spreviſti; indigna nostro auxilio, quod despuisti; nihilominùs spes retinenda, & regerendum. Etiam homines, & jumenta salvabit Dominus. Indignissimum me profiteri cogor omni gratia, & auxilio, sed confido in meritis Domini mei Jesu, & ex ipsis usurpo, quidquid mihi defuerit. Non enim ille commodo suo tantum coacervavit meritorum thesaurum, sed meo. Proinde etsi millies indignum proclames, etsi Numen optimum mihi iratum occinas, in hoc ego sperabo.

V. Non omittendus mihi in hoc puncto Centurio hodiernus, quem itidem in conclamata servi pretiosi valetudine

Centurionis spes.

tudine nullos alios accersiviſſe legimus Galenos, nullas conſuluiſſe Stryges, nulla amuleta in ſtygio pharmacopolio confecta adhibuiſſe, ſed unum ſolum, ac verum medicum Chriſtum, cùm per ſe, tum per amicos ſedulò inquiſiviſſe. Quod citra controverſiam homo ethnicus, & ut probabile ab aliis incitatus, feciſſet, niſi jam meliore imbutus ſenſu, ſaniorem de Chriſto mentem concepiſſet; niſi jam eundem pluſquam hominem credidiſſet, in eoque plus ſpei, quàm in aliis omnibus poſuiſſet.

Quid verò filii regni actitant? in quo anchoram ſpei ſolidant? quanta in Numen optimum feruntur fiducia? Tantumdem prope eſt apud pleroſque confidere in Domino, ac deſperare, commendare ſe Deo, ac de ſpe decidere. Si dicat medicus, commenda te Deo, intelligimus actum de vita, nullam ſpem ſupereſſe. Si miniſter Juſtitiæ decantet furi; commenda te, jam conijcit ſibi reſtem manere. Si conſoletur vicinus vicinum ſupra re perdita, aut damno illato, ſuadeatque illud committendum Deo; non aliud intendit, quàm abjiciendam eſſe omnem ſpem, & curam, damnum eſſe irreparabile, nec ſuperos illud æquaturos, aut reparaturos. Tota ſpes plurimorum in amicis, & divitiis, in potentia, & viribus. Quamdiu affluit æther, redundat olla, aſpirat aura, tamdiu ſpes manet inconcuſſa, ubi defectus ingruerit, periclitatur. Quid itaque mirum, ſi Dominus ſubtrahat manum ſuam, & qui nixi eramus arundini labili, cum confracta proruamus?

Iezabel casus.
4. Reg. 9.

VI. Invadente Jehu ex imperio divino Samariam, & ulciſcente ſanguinem Prophetarum, & omnium ſervorum Domini, cùm cuncta plena forent luctu, ac lamentis, cùm ſtagnarent rivis ſanguinum compita, cùm capita civium in gladio numerarentur, Jezabel tota quanta intenta erat ſpeculis, coloribus, veſtibus adaptandis, & concinnandis, *Porro Jezabel introitu Jehu audito, depinxit oculos ſuos ſtibio, & ornavit caput ſuum*; arbitrata ſe ducem illum cincinnis ſuis, & ſpecie, de qua præſumebat, irretituram. Verùm eheu fallax ſpei fundamentum! eheu vota delirantis animæ fugacia! Eadem ceruſſa, qua infaſcinare Jehu intendebat, eadem ad ultionem vehementiùs tanquam elephantem ſanguine, inflammavit. Ut primùm enim illam ita comptam advertit; illico ut præceps de feneſtra ageretur, præcepit. *Præcipitate eam deorſum.*

Fiducia crine nixa fragilis.

Et quoties idem iis evenit, qui ſpem ſuam poſitam habuêre in mundo, carne, ſanguine? Quoties Numen, tanquam Jehu præcipit in furore indignationis ſuæ miniſtris ſuis: *Ite præcipitate eam.* Præcipitate illum Prælatum ex culmine dignitatis, illum Principem ambitioſum, ſpes ſuas nutrientem ex ſanguine ſubditorum. Præcipitate in barathrum contumeliarum illum equitem nimium de ſe præſumentem. Præcipitate ab officio illum aulicum confidentem in unico Domini ſui benevolo oculo. Præcipitate illam Dominam ſpecie ſua gloriantem, in infirmitatem quampiam incurabilem. Præcipitate merces, ac divitias inſtitoris illius in ſinum profundiſſimi pelagi. Præcipitate, quod Superi avertant, animam in profundum inferni, non habentem fiduciam in Domino Deo ſuo.

Ibid. v. 33.

Quod

Quod ne cuipiam noſtrum eveniat, diſcamus vel ab ethnica Chananea, ſpem noſtram ponere in Domino Deo noſtro. Diſcamus non abduci diffidentia, ſi Numen ſanctiſſimum non illico annuat votis, ac precibus noſtris. Confidamus non ſecus ac vicinum illum, vel propter importunitatem daturũ, quod petimus. Si enim extemplo non exaudit, probat fidem, ſpem acuit, patientiam noſtram periclitatur. Diſcamus à Centurione primum, & ultimum refugium apud Chriſtum quærere, non ex Erebo, ſed ex Olympo amuleta accerſere. Diſcamus in omnibus ſpem habere in Domino Deo noſtro, ſi cum Abraham accumbere, & regni jura firmare intendimus.

§. III.

Tertium calculum Regni adjicit Charitas.

VII. TErtia cauſa, eaque princeps proſcriptionis filiorum regni eſt frigidior Charitas in fidelibus, quàm in infidelibus reſipiſcentibus. Charitas enim condidatos regni efficit, & diſtinguit inter filios Dei & filios Diaboli. Etſi fides, etſi ſpes calculo ſuo nos ſubvehat, ſi charitas deſit, nihil prodeſt. *Si habuero*, ait Doctor Gentium, *omnem fidem, ita ut montes transferam, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Nihil ſum in eſſe ſpirituali, in eſſe gratiæ, in futuro eſſe gloriæ. 1. Cor. 13. 2.

Hanc etſi nondum formatam, in excellenti tamen inchoatam videre eſt in hodierno etiam Centurione.

Devenerat is ex conſuetudine, ac converſatione inter Judæos, in aliquam notitiam ſupremi Numinis, & illico etſi perfidiam ſuam ob metum ejurare auſus non eſſet propalam; attamen conteſtaturus religionem ſuam erga Deum cæli, & affectus ſui in eum mnemoſynon æternaturus, Synagogam è fundamentis, in quo coleretur, erexit. *Synagogam ipſe ædificavit nobis.* Divitias quas vel in bello acquiſiverat, vel ſtipendio meruerat, vel à Parentibus hæreditate acceperat, eas omnes ad cultum Numinis convertit; quatenus ex iis vel gloriæ quidpiam ad extra illi accederet; teſtatúmque redderet, ſe illum pluris, quàm omnem mundi ſubſtantiam facere. Quantum hoc, quámque excellens indicium ipſius animi, quem evidens amoris divini jam ſe inſinuantis argumentum? *Centurionis charitas.*

At non minùs illuſtris charitas ipſius in proximum, id eſt, ſervum ſuum. Nullum non lapidem movit, quatenus ſalus ei redonaretur. Tractavit non ut ſervum ſubditum, ſed ut filium. Non ad Pandochium quodpiam, aut Probaticam eum miſit piſcinam in Jeruſalem, non amandavit ad ſtabulum, non manipulum ſtraminis infirmo ſubjecit, ſed in domo ſua, in cubili ad id aptato, in molli culcitra fovit, eidémque deſerviit. Potuítne quidpiam amplius à vernaculo exigi, immo vel à patre ſperari? Nónne hic Centurio implevit illam charitatis legem à Domino, & ab ipſo dictamine rationis promulgatam: *Quodcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*? Nónne dilexit proximum ſicut ſeipſum?

Jam verò quænam charitas multorum

rum Christianorum, multorum filiorum regni, tam erga Deum, quàm proximum?

Quæ dico erga Deum? Quis cultum Dei in tantum promovet, cùm possit? Quis illum præfert sincerè omnibus aliis bonis? Grave nunc est, sarta tecta templi conservare, quæ olim Antecessores nostri ingenti molimine, ac sumptu erexerant. Arduum quidpiam operis præstare in gloriam Dei, aut etiam lucernam accendere gratuitò. Ita verò orbes cælestes amplexamur, ut pugno terras neutiquam discludamus. Ita terrenis inhiamus, perinde acsi ad ea sola sectanda cum belluis nati essemus. Ita arcam Dei in ara cordis condere contendimus, ne tamen Dagonem amoris proprii profligemus. Judaizamus nimirum, & Deum non nisi in arca colimus, & adoramus.

Quæ item erga proximum? Nolo hîc taxare eos, qui vix non sanguinem exprimunt ex subditis; qui Vatiniano plusquàm odio per annos, immò & lustra inter se dissident, qui vitæ, ac fortunis aliorum insidias struunt. Rarum fortè horum ex cœtu hîc reperire est. At quot illorum, qui ipsas pacis notas, in odiorum vertunt Hieroglyphica? Quot, qui aliorum infortuniis adhinniunt? Quot, qui servos languidos, perinde ac ille Amalecita, puerum suum Ægyptium, in aprico destituunt? Quot, qui catellorum majorem, quàm proximorum curam gerunt?

Expavescant hi, ne reprobis Judæis jungantur in pœna, qui illis copulantur in culpa. Percellantur, ne viri Ninivitæ in judicio surgant contra eos, & condemnent illos. Horreant, ne alienigenæ filiorum regni sedes occupent, eosdemque excludant.

Et ne id serò tandem indoleamus, perfectam illorum æmulemur fidem, sectemur spem, flagremus charitate. Illorum induamus mores, ac virtutes, quorum gestimus esse gloriæ, ac coronæ participes.

Amen.

CONCIO IX.

IN DOMINICA IV. POST EPIPH.

Ipse veró dormiebat.

Matth. 8.

ARGUMENTUM.

LETHARGUS DOMINI.

I. PErvulgata à multis sæculis sciolorum quæstio est, nec ab uno sphynge sapientissimis Oedipis proposita; quidnam Deus patret, operetúrve in cælis? *A.* Compertum etenim est, negotiosissimum esse Deorum otium, & in altissima quiete irrequietis gaudere laboribus. *Pater meus*, inquit Verbum incorporatum, *usque modò operatur*, nec unquam laxat operas. Gaudent divina perpetuo motu, & jugi agitatione sese vegetat æternitas. In ipsis Summatibus dehonestamenti quodpiam genus est, continuas agere ferias, æternóque torpescere ævo. Verùm quodnam illud est, quod continuò versat Numen negotium?

Ioan. 5. 17.

Pacatus.

Augustissimus sacros inter Proceres Augustinus hoc super dubio consultus, respondisse fertur: Curiosis stuit infernum, & simplicibus apparat paradysum. Qui enim sublimia, & inaccessa Divinitatis arcana retuso speculatur ingenio, multa subinde caligine suffunditur, Salomone testante: *Qui scrutator est majestatis opprimitur à gloria.* In caligine autem quid aliud sibi architectabitur, quàm casam, errorem, ruinam, eámque sæpius exitialem.

Prov. 25. 27.

Primævi Christianæ professionis cultores ab insultantibus sibi Ethnicis eodem postulato irritati, quid nimirum faceret fabri filius? (ita per despectum Dominum convitiabantur) reposuêre: Quid agat, sandapilam adaptat Juliano vestro. Quæ responsio, etsi non nisi jocoserio prolata, ex Tripode sumpta videri potuit; quum haud multò pòst, perfidus apostata justissimas suæ impietatis dederit pœnas.

Deus quid agat in cælis.

Sole-

Solemnior, & sacris paginis conformior solutio est, quòd alta deprimat, depressa sublevet. Hic lusus est Superum, quem ludunt in Orbe terrarum coram filiis hominum, fastuoso elatos supercilio deponunt, abjectos, & aliorum protritos plantis sublevant. Desumptum hoc axioma imprimis ex Seraphica nostra Symphoniâ in entheo
Luc. 2. suo carmine concinente: *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* Deposuit Angelum Luciferum, & exaltavit hominem vermiculum. Deposuit purpuratum illum Epulonem genio indulgentem, & sublimavit Lazarum micas emendicantem. Deposuit altissimo rerum dominio pollentes, & exaltavit ancillulas obsequentes.

Mitto aliorum sententias. Mihi si hodierna luce idem proponeretur dubium, dicerem: *Dormit. Ipse verò dormiebat.* Et quidem non impiis duntaxat, sed & justis; non Judæis tantùm, sed etiam aliis Apostolis. Quod qua ratione intelligendum sit, paucis aperiam.

§. I.

Dormit Deus impiis per longanimitatem.

II. SAcrâ Regum perhibente historiâ discimus, Eliam legem Domini Dei sui flagrantissimè zelantem, omnem movisse lapidem, ut apostatas à religione avita Israëlitas, ad ejusdem cultum reduceret. Eum in finem, quodam tempore, coacto populo, & idolorum vanitate ob oculos posita, eos valido verborum alloquio, & vehementi affectuum tonitru est aggressus, dicens: *Quousque claudicatis in duas partes? si* 3. Reg. 18.
Baal est Deus vester, sequimini eum; si autem Dominus est Deus, sequimini illum. Compertum vobis probè est, quòd nemo duobus Dominis servire queat; itaque alterutrum deligite, & diligite. Si Baal præfertis, & arbitramini Deum verum, servite illi soli; si autem Dominum, illius vos servitiis ex asse dedite. Ne autem vobis dubium sit, quem eligatis, medium hoc vobis suggero. Ecce ego solus, & unicus ex Prophetis Domini superstes sum, poparum autem Baal quadringenti, quinquaginta. Si placet dentur nobis duo boves, mihi unus, alter ipsis; hos immolabimus in suo quisque altari, & quorum victimam Numen citra ligna, cælitùs incenderit, ille sit verus Deus. Audiit hæc avidè populus, & illico applausit. *Optima propositio.* Convocantur ergo eum in finem sacrificuli Baal, ara surrigitur; cæditur, & imponitur illi victima, fervet attonito ad spectaculum populo pomparum, poparumque ministerium. Etenim oblato, vel vindicato sibi offerendi primatu, vocibus inconditis, non tam cælum, quàm aërem ferientibus sacrilegè idolum suum pulsare adnituntur, sanguine & lachrymis propitiare contendunt, proprii corporis lanienâ in vota inflectere inardescunt. Hunc in modum quum dimidium prope diem incassum traduxissent, dente joculari excipiens eos Elias improperabat, di-
cens: *Clamate voce majore, Deus enim* 3. Reg. 18.
est, & forsitan loquitur, & in diversorio 27.
est, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur. Destinate validiores, efficaciores que vocum veredarios, vota vestra ad Baal delaturos. Forsitan ille confa-

bulatur in suo gynecæo, nec sacrificiis intendit; aut symposium cum sociis diis celebrat, aut forsitan profectus est ad Garamanthas & Indos, aut quod credibiliùs, laboribus fessus stertit, alto oppressus lethargo. *Clamate voce majore.* Et nisi saxum purum, putumque fuerit, accurret, nisi indormiverit, suscipiet vota, precésque. Cachinnus hic erat Eliæ, splene liberrimo in opprobrium idolomaniæ institutus.

Deus dormit impiis.

III. Ego nihilominus in sensu morali audacter depugno, dormire Numen optimum, & ut dixi, imprimis impiis per longanimitatem suam. Etenim si quispiam visitet domum cujuspiam viri gravis, & cordati, & deprehendat familiam inter se licentiùs agere; ancillas in uno angulo aures turpibus conspurcare colloquiis audiat; filios in alio nugis indecentibus distentos cernat; quid putatis, an non illum aut absentem, aut somno oppressum ominabitur? Item, si alter deflectat ad agrum, & lupos, gregem inter, tragœdos agere animadvertat, nónne opilionem stertere Morphæo delusum decidet. Vel si quis sub noctis conticinium prospecter per fenestram fumi, ignisque volumina, sese eglomerare, nónne vicinum suis indormire damnis conjiciet?

Et ego reflectendo me ad magnæ hujus œconomiæ regimen, eheu quæ incendia, quas rapinas luporum non observo! quibus insolentiis, & excessibus non cogor indolere? Video enim, aut minimùm audio, bene multos effractis pudoris claustris, igne libidinis æstuare, sacros conjugii thalamos per omne decus dehonestare, affinitatis vincula polluere, ac disrumpere, sine ulla reverentia Numinis, sine ulla verecundia sui, citra ullum hominum respectum debacchari. Video alios per omne nefas in proximorum fortunas, in famam, in corpus, in sanguinem grassari; video ex templis ardentissimum prædecessorum zelum; ex curiis jus, & æquum; ex aulis mores, & honestatem; ex urbibus fidem, ex vicis pristinam illam simplicitatem profligatam. Video indies latiùs serpere vitiorum lolium, exscindi urbes, depopulari provincias, religionem Orthodoxam opprimi, &c. Quid ad tam luctuosum dicam spectaculum? Quid sentiam?

Compertum mihi probè est, quàm severè in alios animadverterit, in confesso, ut olim universi Orbis insolentiam cataclysmo involverit; liquet Pentapoleos probra sulphureis expiasse ignibus; Pharaonem insultantem populo suo, maris rubri obruisse fluctibus, Judæos identidem gravissimis castigasse suppliciis. Jam verò cùm cessent judicia Domini, cùm scelera prævaleant virtutibus, cùm malevolus benedictiones præripiat, opes ancillentur sceleribus, & quò quis gravior est iniquitate, eò opulentior sit possessionibus ac divitiis; quid dicam? quid inferam? Dicam cum Eusebio Emisseno: Expectate modicũ, Dominus dormitat. Ita prefatus Author in hunc locum: *Dormire videtur pastor, quando lupi in ovem sæviunt, quando fures rapiunt, & non est, qui eripiat. Sic igitur & Christus, quamvis non dormiat, dormire tamen videtur, quando sæviunt tyranni, quando lupi in bonos insurgunt, quando boni vincuntur, & mali vincunt.* Longanimitas Domini Dei nostri, quâ

Euseb. Emiss. in Matt. c. 8.

&

& ſupplicia ſuſpendit, & inducias ad reſipiſcendum ſceleſtis diſpenſat, ſomni cujuſpiam umbram obtinet; ut quantumvis *non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſraël*; indulgentia tamen ipſius ſomnus, ac lethargus quiſpiam cenſeatur. *Pſal.120. 4.*

Longanimitate Dei non abutendum.

IV. Hac longanimitate, hoc ſomno identidem abuntur impii, & quò diutiùs Dominus connivet, eò inſolentiùs ad omnia ſcelera recinguntur.

Verùm quicunque ii ſunt, audiant ad ſeſe perorantem D. Paulum Apoſtolum: *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quòd benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit? Tu autem ſecundùm duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ.* Quæ veſania tua eſt, impiiſſime homuncio, ut ex patientia, ac longanimitate, ad graviora perpetranda ſcelera anſam capias? ut impudentiùs fræna laxes injuriis? ut iisdem innixus tot annis peccatorum ſordibus merſus hæreas. Multa anno evoluto à te comiſſa nôſti ſcelera, nec quicquam tibi adverſi accidiſſe, gaviſus es; nec unquam ad placandum Numen converſus es. Quid, an putas illud enerme, aut impotens jam eſſe ad ulciſcendum? Scito, quòd quo graviore venturum ſit pede, eò graviore manu. Dii laneos pedes habent, ſed ferreas manus, & tarditatem ſupplicii gravitate compenſant. Tantò enim diſtrictiorem juſtitiam in judicio exiget Deus, quantò longiorem indulgentiam ante judicium prorogavit. Scito ajo iterum, ut ut nunc dormire videatur, & connivere, invigilabit ſuo tempore in ultionem tui. *Numquid qui dormit, non adjiciet ut reſurgat?* Pſallit Hymnopæus. *Rom.2.4.*

Deus gravius punit, quò tardius.

Pſal.40.9.

V. Indormierat aliquantò prolixiùs Dominus temporibus Abrahæ Patriarchæ ſuper Sodomam, ac Gomorrham, laxarunt illæ, connivente ipſo, frænos cupiditatibus, & œſtro libidinis perciti humana, divinaque jura perfricta fronte violabant. Sed quid factum? *Excitatus eſt, tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino.* Excitatus eſt clamore ipſorum. Quippe: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggravatum eſt nimis.* Excitatus eſt hoc clamore, & ait: *Deſcendam, & videbo, utrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.* Videbo, quis hic tumultus? quæ inſania? quæ inſolentia? Vidit, & mox in furore indignationis ſuæ ſæviit in illos: *Et pluit Dominus ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur & ignem, à Domino de cælo.* Verè longanimis Dominus, verè miſericors, ſed & juſtus, plectens hoc graviore manu, quò graviore pede. *Pſal.77. 64.* *Gen.18.20* *Ibid.19.24*

VI. Indormierat item ſub tempus ſæviſſimorum Regum Ægypti, deſæviebant impiiſſimi Pharaones crudeliſſimè in populum Domini, annis circiter centenis; nec adultis patiebatur, nec infantibus. Illi laboribus ad caminos laterum exhauriebantur; iſti in flumen, ſolâ rei innocentiâ demergebantur. Videbatur eorum Dominus omninò oblitus, nulla iis ſpes deſuper, nullum ſidus propitium affulgebat. *Ipſe verò dormiebat.* Sed eventum accipite: *Excitatus eſt tanquam dormiens Dominus*, &c. *Et percuſſit inimicos ſuos in poſteriora, opprobrium ſempiternum dedit eis.* Etenim currus Pharaonis, (ut alia mittam *Exod.14.*

Psal. 77. 66. flagella) & exercitum ejus demersit in profundum maris.

Dormit etiamnum super regnum nostrum, sitiit pauperes opprimi à potentioribus, violari jura, sacra, profanaque misceri per omnia. Dormit super quemvis impium obstinatum, ac præfractum, sinendo ipsum ire secundùm concupiscentias suas, sed præstolamini modicum evigilabit brevì Dominus, & in exterminium ipsius exurget. Præstolamini oppressi, & videbitis vindicem dexteram; præstolamini subditi, & sentietis Dominum, vestrum adjutorem, adversariorum oppressorem: *Dominus enim*, ut scribit S. Gregorius, *est patiens redditor, quia peccata hominum, & patitur, & reddit. Nam quos diu, ut convertantur, tolerat, non conversos diutius damnat.* Tantò districtiorem de iis exigit rationem, quantò longiorem ante judicium prorogavit patientiam. Moram suam gravitate suppliciorum compensat. Nemo itaque abutatur ipsius indulgentia, ne eum serò licèt, sed seriò vindex apprehendat justitia.

S. Greg. hom. 13. in Ev.

§. II.

Dominus dormit justis in desolatione.

Christus dormit justis & quomodo.

VII. HUnc in modum Dominus dormit impiis, ac obstinatis in malo; sed non minus subinde, justis, & electis; idque tunc imprimis, quum eos sinit gravius tentari, exhauriri egestate, occupari ægritudine, fame stringi, aliisque furentibus excipi tempestatibus. Ita Eucherius; *Dormire Domini est anxiis tardiùs subvenire.* Hinc repetitæ illorum cum Psalte & ipso Christo Domino neniæ: *Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me.* Hinc illæ ejusdem: *Exurge quare obdormis Domine, exurge & ne repellas in finem.* Itáne tibi totus excidi? Respicio circumquaque, & non est, qui adjuvet. *Domini dormire est tardius subvenire.*

Eucher. lib. de formal. spir.

Psal. 21. 9.

Psal. 43. 23

VIII. Verùm utut uno oculo nictitat, altero acutiùs invigilat. Simulat se dormire uno oculo, ut periclitetur altero fidelitatem, ac virtutem nostram. Non quasi harum ignarus sit (ipse enim novit, quid sit in corde hominis) sed ut homo sibi ipsi, & aliis innotescat. ac Dominus, quod nonnunquam paterfamilias, qui sese in intimum subducit cubiculum, quasi somnolitaturus, interea per rimam prospicit, quid actitet familia.

Deus dormit, ad probandam fidelitatem nostram.

Hanc doctrinam comprobat doctissimus Cajetanus in illa verba Psaltis regii: *Palpebræ interrogant filios hominum. Metaphoricus*, inquit, *est sermo, ad similitudinem hominis claudentis oculos, ut experiatur, quid, se non vidente, alii faciant.* Fideles filii, qui dormitante, aut absente patre, vel versante in castris, ita se gerunt; atque in ædibus propriis commorante. Fideles famuli, & ancillæ, si quiescentibus dominis, æquè seduli inveniantur; ac illis vigilantibus, & inspicientibus. Fidelis conjunx, si ut casta Penelope, aut Lucretia, marito foris militante, domi suæ in laboribus sese contineat. Fideles alii discipuli, ac subditi; qui idem præstant suis Professoribus, Dominisque, aut vigilantibus, aut dormitantibus ipsis. Ita claudit etiamnum oculos Dominus, periclitaturus nostrum in se amorem, ac fidelitatem.

Psal. 10. Cajet. h. l.

IX. Hac

D. Antonii tribulatio. S. Athan. in Vita, c. 8.

IX. Hac ratione indormiit quondam magno illi Anachoretarum Conditori Antonio. Etenim à Lemuribus, permittente Domino, in tantum exagitatus est, in tantum monstris terrefactus, flagris concisus, ut se prorsus derelictum ab illo arbitraretur. Exantlato autem certamine, Solem sibi oriri sereniorem deprehendit, componi tempestatem, uberioribus favorum cælestium radiis illustrari, amœnissimis consolationum Favoniis afflari, verbo, Servatorem suum sibi adesse animadvertit. Tum ille, resumpto spiritu, divinum hospitem queribundis hisce alloquiis excipere: *Ubi eras bone IESU? ubi eras? quare non à principio adfuisti, ut sanares vulnera mea.* Videbaris indormiisse saluti animæ meæ, meique ab integro oblitus; aut à tuo, quod peccata mea merebantur, complexu omnino sequestrasse. *Ubi eras? Ubi eras?* Passus sum gravissimum ab Avernalibus Furiis insultum, & jam minis, jam blanditiis, jam verberibus tentatus, & pulsatus. *Ubi eras?* Cerne membra à vibicibus livida, ac sangvinolenta, intuere vestigia insultantium ferarum, & collige, quanto in periculo fuerim. *Ubi eras, ubi eras?* Cui Dominus: Mi Antoni hîc eram, sed expectabam videre certamen tuum. Nunc autem, quia dimicando viriliter non cessisti, semper auxiliabor tibi, & faciam te toto orbe nominari. His ille auditis, tantum se illico virium recepisse deprehendit; quantum nunquam antè perdiderat.

Catharina Sen. infestatio. Surius in Vita.

X. Hac eâdem de causa, mirum in modum divexata S. Catharina Senensis; ita ut & ipsa à Domino expostulaverit, quasi ipsam in conflictu cum Sathana deseruerit. Sed audite, quid retulerit? Nequaquam ita est, sed ego eram in corde tuo, & conatum tuum finémque certaminis inspexi. Non eram præsens oculis tuis, sed eram præcordiis tuis; illos pascere nolui, quatenus hisce abundantiùs oblectarer.

Vigilat itaque Dominus, & dormit, vigilat ad solatium suorum, dormit ad experimentum industriæ, ac virtutis nostræ desumendum. Ita Eusebius: *Non dormit Dominus, sed prælium intuetur; certaminis finem, & præliantium fidem expectat.* *Euseb. Emiss. l. de Bapt. c. 12.*

Christi somnus maternus.

XI. Dormit Dominus justis, sed somnum maternum. Quid nonnunquam actitat mater cum filiolo suo? Novit illa esurire filium suum, & mamillam appetere; nihilominus fingit se non audire, quin etiam omnino ronchos trahere; nutat capite, lassas manus demittit, & jam jam casura videtur, idque hoc unico intuitu, ut infantem ad petendum exacuat. Delusus hoc commento puellus, eam proinde ac somno pressam omni vi excitare adnititur; apprehendit velamen, & trahit, manus amplectitur, & pulsat, ubera distendere contendit, sed omnia incassum; matre dissimulante, & in corde de filii amabili sollicitudine exultante. Tandem ubi puer conclamatis aliis mediis lachrymari occipit, matrémque lamentabili voce inclamat; liquescunt viscera ipsius, evigilare se simulat, infantem amplectitur, affatur blandissimè, mulcet, consolatur, figit basia, ubera exponit, lac offert, laudat, blanditur, & quidquid valet maternus præstare affectus, exequitur.

Ita mater terrestris, ita & Parer cælestis amorem, & blanditias matris æmulatur.

latur. *Numquid poteſt mulier obliviſci infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui, & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui.* Dormire & ipſe ſe fingit, nec noſtris proſpicere neceſſitatibus, quin & obſurduiſſe ad vota noſtra. Ubi autem piis pulſatur precibus, trahitur deſideriis, ac votis, advigilat, occurrit, obſtetricatur, conſolatur.

Iſa. 49. 15.

XII. Hunc luſum luſit, cum Joſepho Patriarcha, quem tamdiu in ergaſtulis quadantenus deſeruit, quamdiu in pincernæ regis favoribus confidebat. At ubi in ſpumas illius abiiſſe ſenſit promiſſiones, ad Deum ſuum eò ardentiùs confugit, exaudituſque eſt.

Hunc cum filia illa caſtiſſima Suſanna, quæ tamdiu premebatur, arguebatur, damnabatur, ad locum ſupplicii trahebatur, domino cuncta diſſimulante, ac connivente, quoad in lamenta effuſa exclamaret: *Deus æterne, qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia, antequam fiant, tu ſcis, quoniam falſum teſtimonium tulerunt contra me, & ecce morior, cùm nihil horum fecerim, quæ iſti malitiosè compoſuerunt adverſum me.* Tunc enim adfuit, eripuit, ſalvam fecit.

Dan. 13. 41.

Hunc eundem cum ſuis hodie luſit diſcipulis. Si enim vigilante illo tempeſtas ingruiſſet, nequaquam afformidaſſent, aut ipſo intuente periculum, ad ipſum converſi, & in vota precésque fuiſſent.

Hunc eundem etiamnum ludum verſat nobiſcum, & cum S. Eccleſia ſua, in qua univerſi navigamus, quam concuti, ac quaſſari tempeſtatibus ſinit, quod frigidiùs invocetur.

XIII. Quid ergo ſanctiùs concipere, quid aptiùs adinvenire, quid fructuoſiùs exequi in calamitatibus noſtris, ac modernis Eccleſiæ poſſumus; quàm ut cum Apoſtolis ardentiſſimis precibus Dominum excitemus, & ſincero corde, flagrantiſſimis deſideriis, ſpiritu filiali auxilium illius ſupplices exoremus.

Nautæ illi, quibuscum ſolverat Jonas iturus in Tharſis à facie Domini, gentiles fuerant, & tamen territi decumanis procellis illico ad Deum converſi ſunt exorantes auxilium. *Timuerunt nautæ, & clamaverunt ad Deum ſuum.* Et Jonam cùm illo articulo ſopitum navarchus inveniſſet, illico excitavit, dicens: *Qui tu ſopore deprimeris, ſurge, invoca Deum tuum, ſi fortè recogitet Deus de nobis, & non pereamus.* Uſquequò tu ſtertes, mortalium ignaviſſime. Jam propè actum eſt de nobis, jam undæ impetu valido inſiliunt, jam ad tartara navis deprimitur, jam ſuper æthera ſublimatur, & tu vel ignarus & inſcius periculorum, vel incurius vitæ tuæ reſupinaris? Age te ociùs, propipe, ad Deum tuum te recipe, & coram eo ſupplex procumbe. Ita dico, paganos ſapere docuit tempeſtas, minúsve nos fideles, & Chriſtianos?

Jona 1. 5. 6.

Mergus avis, (Iſidoro authore) ſic dicta ab aſſiduitate mergendi, prævidens futuram maris tempeſtatē, quàm velociſſimè ad littora clamabunda tranſvolat, quaſi opem cælitùs efflagitans, ut ab imminente liberetur periculo. Quòd ſi hæc avicula ſolo naturæ inſtinctu erudita, ſeſe ad aſylum recipiens, agnato ſibi clamore opem implorat; an nos rationis capaces, inſipien-

Mergi admiranda natura. Iſid. lib. 14. Ethym.

sipientiores erimus, nec in tanta tempestate nostra, & Ecclesiæ œcumenicæ ardentiùs Numen supremum invocabimus?

Hoc minimùm facere solemus, quando aliàs tempestas cæli gravior ingruit, cùm fulgura micant, tonitrua mugiunt, fulguritis cuncta personant: quidni idipsum in præsenti agitamus telluris tempestate, cur non inclamamus intensius: *Domine salva nos, perimus.* Quid agis ô Domine mi? tu dormis, nos perimus; tu dissimulas, nos conterimur. *Exurge Domine adjuva nos, & libera nos*, si non propter nos, certè propter nomen sanctum tuum; propter templum tuum, propter Sanctos tuos. Exurge, evigila ô bone JESU, & porrige dexteram. Nonne aspicis quanta pericula, quantæ procellæ tuam cymbam infestent, quantæ nos ipsos jactitent; ut jam in altum attollant per arrogantiam, jam in profundum demergant per pusillanimitatem, jam huc atque illuc in scopulos propellant per præcipitia, ac reciprocationem peccatorum. *Exurge Domine, adjuva nos, & redime nos*, qui jactatum Pharaonis tempestate populum tuum ex Ægypto ad littus aureæ libertatis devexisti; qui Danielem ex faucibus leonum eruisti, qui Josephum ex prædore ad purpuram subvexisti, qui imperasti ventis, & facta est tranquillitas magna in aliis gravissimis periculis.

Psal. 24. 26.

Audiat imperium tuum æther, expaveſcat orcus, sonet vox tua in auribus meis: *Salus tua ego sum.* Et si fuero in profundo maris, latitabo securus, si in abyssо inferni emergam, si inter brevia, ac syrtes desperationum, expediam me. Oblatret nescio quis Cerberus, & dicat: *Non est salus ipsi in Deo ejus*, conclamatum est de ejus salute, tu Domine obtura fauces illius, & dic: *Salus tua ego sum*, & salvus ero. Ita nobis evenire velit, jubeatque Christus JESUS. Amen.

CONCIO X.

IN DOMINICA V. POST EPIPH.

Cùm autem dormirent homines, venit inimicus homo, & superseminavit zizania.

Matth. 13: 25.

ARGUMENTUM.

OECONOMIA DIABOLICA.

I. VUlgo Sathanas habetur omnium artium peritissimus. *Aud.* De eo non sine fundamento cecinit Vates:

Cui nomina mille,
Mille nocendi artes.

Diabolus mango. Ego nihilominus illum veteramentarium reputo, nec in uno quidem opificio, aut arte probè versatum. Quidquid attentasse illum accepimus, id rudissimâ Minervâ, & pingui, obesoque præstitit ingenio.

Et primùm quidem è Superûm proscriptus patria, inque hæc ima delapsus, sub arbore scientiæ boni, ac mali, Theosophiæ sublimissimam disciplinam profiteri attentavit; quando primogenitos duos, malesanâ de Divinitate doctrinâ imbutos, ad ambitionem usque ipsius pellexit, dicens: *Eritis sicut Dii scientes* *Gen.* 3. 5. *bonum & malum.* Verùm cùm tantam illis sapientiam appromitteret, planè excordes, ac præfatuos reddidit; unâque cum suis discipulis ex hac classe proturbatus est.

Frustratus itaque hac exedra exploratoris personam assumpsisse comperio. Quæsitus enim à Domino, unde veniret? reposuit: *Circuivi terram, & perambulavi eam.* *Iob.* 1. v. 7. Lustravi orbem universum, inspexi mores gentium, arbitratus sum, quæ agantur, quæ cudantur consilia in Asia, Affrica, America, Europa, observavi in his omnibus rara visu, ac stupenda auditu percepi. *Circuivi terram* &c. Sed & in hoc munere deprehensus versipellis, & mendax spretus à multis, & explosus est.

Ergo galeam, ac thoracem indutus chalybeam, fœderatisque sibi variis agminibus, internecina moyere certamina

mina exorsus est; plurimaque animarum munitiones suo subjugavit imperio. Sed & id astu, & offuciis magis, quàm virtute præstitit, & à fœmina quapiam turpissimè delusus dicitur. Etenim quum illam ad duellum evocasset, suscepit illud ea conditione, ut ipse tridente decertaret, se veru usuram. Diabolus ratus vetulæ tria, quovis ictu, vulnera inflicturum, haud abnuit; sed cùm dies dicta esset, & locus pugnæ designatus, stetit illa sub sepibus fodicando, & cruentando illum multis vulneribus, hærente interea intra virgeas sepes tridente Sathanæ. Sic obrutus risu, quò se vertit? In hodierno Evangelio ad agriculturam se contulisse legimus. Ille enim propriè inimicus homo est, qui torpentibus hominibus, superseminavit zizania. Operæ itaque pretium erit examinare, quatenus sese in hac arte exerceat, ut aratrum versat, boves propellat, sulcos ducat, seu potius in quo diabolica ipsius œconomia consistat.

NARRATIO, AC PARTITIO.

Agricultura laus.

II. OEconomia agraria in se ipsa reproba non est, sed laude, ac commendatione dignissima. Romanus Orator hoc eam inter alia extulit encomio: *Vita rustica quam nos agrestem vocamus, parsimoniæ, diligentiæ, justitiæ magistra est.* Beatissimam verò cecinit Lyricus:

Cic. orat. pro Roscio.

Hor. in Epod. Od. 2.

Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore.

Innumera alii in ejus commendationem argumenta conglomerant.

Verùm ut res in se bona, ex modo tractandi identidem evadit pessima; ita examinanda nobis est, non tam agricultura in se, quàm ordo, ac methodus, quam hic œconomus observat. Innuit hunc sacer textus in hæc verba: *Cùm autem dormirent homines, venit inimicus homo, & superseminavit zizania.* In quibus verbis tres œconomi perversi proprietates occurrunt examinandæ.

§. I.

Prima tartarei œconomi industriæ nocte operari.

III. PRima est, quòd aliis à labore fessa membra levantibus, intempesta nocte surgat, boves educat, currui, & aratro jungat, & ad campum maturet. Quis iste modus procedendi? quæ ratio? Eccur cum aliis de die, Phœbo & cælo propitio operi non insistit? Quæso vos lunares, an lunaticos, meliore Calepino, dixerim socios, quibus tota hebdomas feria est; nox Sabbathi noviissima, labor; nonne unà vobiscum in diversorio helluatus est? Nonne vobis nepotibus suis præluxit, qui Dominica imprimis desudatis nocte, ut obulum lucremini, quem insequentibus feriis iteratò decoquatis? Crediderim facile Sympoziastem vestrum fuisse, quem toties quoties inter intemperantissimas compotationes, lususque invocastis. Nequit ille abesse à vestro contubernio, ubi enormibus litatur carchesiis; & sic sub noctem cogi-

Diabolus cur nocte superseminet.

tur urgere opus, ne fors alienis fertilior sit messis in agris.

IV. *Cùm autem dormirent homines*, &c. Vel numquid vos illum remorati estis ancillæ, & vernaculi. Vix manum movetis, cùm illius nomen invocatis. Diabolus debet adesse vobis in culina, diabolus in stabulo, diabolus in horto, diabolus in horreo, diabolus ubique. Quomodo itaque in agrum sese efferre valeat, quem ore, & opere revocatis? Nimis vobis orcus amicus est, nimium familiare nomen, si non numen ipsius in vita, videte, ne etiam in morte.

V. *Cùm autem dormirent homines.* Vel ex albo illorum est, qui noctem vertunt in diem, diem in noctem. Magnatum hic stylus curiæ est, non colonorum. Alia jura sunt Dominorum, alia subditorum. Alia studiosorum, alia operariorum. Alia servorum Dei, alia servorum mundi; accuratiores hi multò sunt in suis muniis versandis præ illis. Jam faber versat ferrum in incude, quum hæres cæli, sese in omnem gyrat partem sub pulvinaribus. Jam vestiarius chlamydem confecit, quum alter ascetarum necdum filum duxit pro anima sua exornanda. Satis est operis hujus mundi una, alteráve hora quietis, cælestibus vix septem horis dormisse, sat est. Profectò non tam iners est orcus, ut stertat, quoad fessos Titan præcipitet equos.

Diabolus indefessus in nocendo

VI. *Cùm autem dormirent homines.* An ergo tam sedulus est, ut diu, noctuque labori insistat, congreget sibi, provideat? Videtur id innuisse Angelus Apocalypticus, quando describens exacerbatum animum illius, ac Furias, subdit: *Sciens, quòd modicum tempus habeat.* Quia nullam habet certitudinem, quando vel mundus, vel vita cujusque finienda, eapropter festinat, ut tentet, & alliciat; angitur, ut hanc vel illam intemeratam corrumpat puellam, ideo nunquam oculum obducit, ut lucra sua per ruinas nostras exaggeret. Et nos, eheu, indormimus saluti nostræ, quærimus occasiones fallendi temporis; rogamus alios, ut confabulentur nobiscum, ut ludant, dum hora una, alteráve elabatur, donec tempus prætereat. Tam flocci id æstimamus, ut quæramus, quibus illud transigamus impendiis; ingemiscimus, si nummum fortè perdidimus, & si totos dies in diaboli operibus consumpserimus, nequicquam amisisse opinamur. Exigite apud vosmetipsos, quæ nos premere debeat solicitudo, quæ purpura fronti inducenda, quum audivimus impensiùs, ac solertiùs hostes accurare dispendia nostra, quàm nos commoda nostra spectemus?

Apoc. XII. 12.

Temporis dispendia quæsita.

VIII. *Cùm dormirent homines.* Audivi noctem aptissimam agitandis consiliis. Num & hic œconomus infernalis nova coquit consilia de modo seminandi, ac proferendi horrea sua? Utinam id alii factitarent in rationibus æternis prospiciendis; quod hic molitur in fulminatissimis offuciis concinnandis. Ille, eheu, nimiùm invigilat damnis nostris, & si fortè quidpiam suis deesse deprehendat machinationibus, totum inferni Areopagum ad sua cogit consilia, cùm nos vel alium quemvis virum prudentem in controversiis conscientię nostræ discutiendis adire detrectemus.

Nox opportuna consiliis.

IX. *Cùm dormirent homines.* An verò, cùm

cùm isti torpore & desidiâ diffluunt, tum imprimis tartareus ruricola suam sementem spargit, & proximi vitiat? Ita
Glossa. Gl. Interlin. *Cùm dormirent, & incuriâ torperent.* Oscitantia pulvinar quoddam diaboli dicitur, sed in eo non tam recumbat, quàm senatum, ac consilia in nostram pernitiem coadunat, in eo seminat, & metit.

X. *Cùm dormirent homines.* Utut sit, liquidum est, pessimum omen esse, amare caliginem, & operari in tenebris. Iniquorum institutorum consuetudinis est, merces in umbrosis exponere officinis. Perversorum studiosorum, nocte concubia vicos obire, & per compita grassari; adulterantium civium tessera,
Impii amant tenebras. latebras quærere; Jobo teste: *Oculus adulteri observat caliginem.* Iob.24.15. Furum proprietas, ut occinit Vates; nocte intempesta vagari: *Ut jugulent homines*, inquit, *surgunt de nocte latrones*; bubonum, vespertilionũ, ferarum sub noctem sese è nido, aut caverna propripere, teste Psalmista: *Facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes* Ps.103.21. *bestiæ silvæ; catuli leonum ut rapiant, & quærant escam sibi.* Filiorum denique tenebrarum, & non lucis sectari caliginem; filiorum inferni, & non cæli aversati lucem. Etenim, *Omnis qui malè agit,* Ioan.3.20. *odit lucem, & non venit ad lucem*, illam, inquam, revelandam in temporibus novissimis; ad lucem visionis beatificæ, ad Lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.
Tenebrarũ amor, omen infaustum.

XI. Videtur id vaticinatus illis esse David, cùm psalleret: *Dies diei eructat* Psal.18.3. *verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Cur enim non ait, nox diei eructat verbum? Cur non precatur ei ave, aut vale, cùm illam sequatur? Aut vice versa, cur dies noctem non salutat, aut sua consulta communicat? Cur dies diei bonum verbum dicit; nox nocti duntaxat scientiam? Quæ est hæc scientia? quod verbum? In confesso est, per diem prospera, per noctem tristia, & adversa indicari, & diem felicium, noctem infelicium esse hierog'yphicum. Cùm itaque dicit, *Nox nocti indicat scientiam*, quid aliud vaticinatur, quàm eos, qui in hac vita lucem exosi sunt, in alia etiam tenebris involvendos. Eapropter meritò monet Veritas æterna: *Ambulate, dum lucem habetis, ut* Ioan.12.35. *non vos tenebræ comprehendant. Et qui ambulat in tenebris, nescit, quò vadat*; quoad cadat, ruinâ sæpe lethali, ac irreparabili.

§. II.

Altera perversi œconomi proprietas, superseminare zizania.

XII. ALterum, quod in fulminato œconomo hodiernum damnat Evangelium, est, quòd tritico optimo superseminaverit zizania. *Venit inimicus homo, & superseminavit zizania.* Cælestis Paterfamilias initio creaturæ seminavit purissimum triticum: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*; at hoc vitiavit inimicus homo. Unde S. Chrysologꝰ: *Nullum malum ab originis processit authore. Ab inimico superseminatũ est malũ.* Superseminavit iniquꝰ, non seminavit; præcedunt Creatoris bona, corruptio diabolica subsequitur. Eã ob rẽ à Tertul. dicitur: *Super-*
Diabolus superseminat lolium
Chrysol. serm.96.

Tertul. lib. de anima, c. 17.

seminator, & frumentariæ segetis nocturnus interpollator. Quoniam quem Deus faciens vocavit mundum, inficiens inimicus reddidit immundum; ipse bonis mala, virtutibus vitia, vitalibus mortalia, nostram superseminavit in ruinam.

XIII. Atque utinam solus ipse tam iniquus agricola foret. Utinam solus ipse superseminaret, solus piis conatibus obsisteret, minus profectò dispendium multis agris inferret. Verùm plures habet mercenarios, plura mancipia, quæ eidem ancillantur, eique in templo, foro, angulis omnibus deserviunt.

Habet suos in Ecclesia vicarios Hæresiarchas, qui probæ, & selectæ sementi Evangelicæ, zizania falsorum dogmatum inspergunt. Reducite vobis in memoriam eorum origines; ubinam primam jacere sementem occeperint. Numquid perrexêre ad incultos Ethnicorum agros; ad gentes, quæ semen Evangelii nondum susceperunt? Neutiquam. Inter fideles, inter Orthodoxos, in agris optimè consitis suum illi lolium disperserunt. Asiam Catholicam vitiavit Arius, Nestorius, & alii; Africam Donatus, Manichæus, Pelagius, & alii; Europam Lutherus, Calvinus, & alii. Is stylus antiquorum, is modernorum Hæresiarcharum semper extitit. Non legetis facilè, per eos ab infidelitate adductos, aut meliori vitæ redonatos.

Hæretici ubi seminent.

Tertul. ubi supra.

Id Dominus JESUS in præsenti parabola, teste Tertulliano, edocere nos voluit, & veluti signum distinctivum verorum, ac falsorum Ecclesiastarum ponere. Verba ejus sunt: *Revertar ad principalitatem veritati, & posteriori-tatem mendacitati deputandam. Ex illius quippe parabolæ patrocinio, quæ bonum semen frumenti à Domino seminatum primò constituit, avenarum autem sterilis fœni adulterinum ab inimico diabolo postea superinducit. Propriè enim doctrinarum distinctionem figurat, quia & alibi verbum Dei seminis similitudo est.* Ita ex ipso ordine manifestum fit, id esse Dominicum, & verum; quod priùs traditum, id autem extraneum, & falsum, quod posterius immixtum. Notate hos, quoscunque aversos fecit, vel Wittemberga, vel Geneva, & ne serò littus arasse, aut seminasse ingemiscatis, vel nunc sapite, & ad agnum à Domino ipso satum vos recipite.

Discordes superseminant zizania.

XIV. *Superseminavit zizania.* Habet item suos Sathanas mercenarios in civitatibus, qui discordiæ, ac jurgiorum occasiones seminant. Vident quempiam agrum suum perbellè excoluisse, domum instauasse, hortum sepivisse, & tum primùm jus *protomisios* sibi arrogant, tum litigare incipiunt, aliósque deturbare moliuntur. Quo item nomine donandi, qui familiam avocant, aliorum contractibus sese interponunt, pretium augent, alios abducunt, cum dispendio aliorum supplantant. Dicite, an non hoc sit imitari œconomum iniquitatis? An non ipsi deservire? An non superseminare zizania? Loquatur ex omnibus D. Anselmus: *Venit inimicus ejus, & superseminavit zizania; id est, venit diabolus Deo inimicus, & superseminavit discordias inter fratres* Ipse inter Cain & Abel, ipse inter cognatos & amicos, inter proximos & concives, inter superiores

Anſel. h. l.

riores ac ſubditos ſemen jurgiorum per ſuos miniſtros diſpergit.

XV. *Superſeminavit zizania.* Habet ſuos adjutores in omnibus vicis & angulis. Illos dico, qui in granario effœtum, & infatuatum frumentum vivaciori commiſcent, qui aleces fœtidos recentibus interponunt, pannum temporum vitio corruptum, pro recenti exponunt. Illas dico, quæ in cellariis ſuperſeminant viliorem potum meliori, ſecundariam cereviſiæ commiſcent, vina aduſta aqua temperant. Illos dico, qui pecuniam ineptam pro bona obtrudunt. O impii, quid agitis? Quid molimini? Nónne hoc eſt Cocyti aſſeclam ſe profiteri? Nónne hoc eſt ſuperſeminare zizania? Nónne de vobis prolatum illud oraculum videtur: *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.* Filii Sathanæ eſtis non ſubſtantia, ſed imitatione; non formaliter, ſed inſtrumentaliter. Filii inquam perquam morigeri, qui non modò illius exequimini imperium, ſed antevertitis deſiderium: *Deſideria patris veſtri vultis facere,* quod ille intendit, idem vos molimini, quod ille exequitur, idem vos æmulamini; quod ille ſerit, idem vos, & quod conſequens eſt, quod ille collegit, idem & vos metetis.

Fraus mercatorum, &c.

Ioan. 8. 44

§. III.

Meſſis iniquiſſimi Oeconomi.

XVI. QUodnam illud? Indicat idipſum hodiernum Evangelium: *Cùm autem creviſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania.* Quando jam ſemen emerſit in herbam, culmique ſpicis eſſent onuſti, tunc ſimul enata zizania prodita diſſimilitudine cœperunt apparere. Quod ſeminavit, hoc & ſuccrevit, hoc & meſſuit. Quippe nemo colligit de tribulis ficus, aut de ſpinis uvas, aut de lolio triticum. *Qui ſeminat iniquitatem,* ait Sapiens, *nunquam metet.* LXX. vertunt: *Qui ſeminant mala, metent mala.* Hebræus autem: *Qui ſeminant pravitatem, metent dolorem, calamitatem.* Id eſt, qui ſeminat culpam, metet pœnam.

Meſſis reſpondet ſementi.

Prov. 22. 8

Vis & energia allegoriæ eſt in verbo ſeminat: Nam quemadmodum ſemen habet vim producendi gramen ſibi ſimile; ſic culpa habet vim producendi pœnam ſibi ſimilem. Et ſicut granum ſatum parit aliud multiplex: ita pariter culpa una multiplicem parit pœnam. Mala enim ſemina fœcundiora ſunt bonis. Si ergo ſemen virtutis parit gloriam, & jucunditatem; ſemen vitiorum pariet majore cum incremento confuſionem, pœnámque ſempiternã. Quemadmodum denique eadem terra, quæ ſemen recipit, recipit & meſſem; non ſecus idem agricola, qui ſerit iniquitatem, metit pœnitentiam, ac calamitatem. Illam ut granum, hanc ut paleam, confuſionem ut ſtipulam.

XVII. Idipſum eſt, quod Apoſtolus inculcat Galatis: *Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui ſeminat in carne, de carne metet corruptionem,* Vel ut Poëta occinit:

Gal. 6. 7, 8.

Quæ ſibi quisque ſerit præſentis tempore vitæ,
Hæc ſibi meſſis erit, cùm dicent: ITE, VENITE.

Stultiſ-

Stultissimus virorum omnium esset, qui ex avena sata sibi polliceretur triticum: ita non minùs demotæ mentis, qui ex culpa sibi obventuram ominaretur jucunditatem, ac beatitatem. *Quæ seminaverit homo* &c.

Osea 8.7.

XVIII. Paulò diversâ phrasi eodem tamen sensu loquitur Oseas Vates: *Ventum seminabunt, & turbinem metent.* Ut enim aër, seu ventus inclusus excitat terræ motus, multaque alia damna progenerat: ita culpa animo concepta parturit ruinas, flagella, perditionem, nonnunquam temporalem, sæpius æternam. Unde Arabicus vertit: *Seminaverunt ventum, & in perditione auferentur.* Notat verò Antonius Fernandez, turbinem propriissimè signare tribulationem. Est enim ventus pulverem dissipans, quo homo incitatur, & rotatur *ut pulvis*, & cinis, *quem projicit ventus à facie terræ.* Vel ut alter textus legit: *Inimicorum anima rotabitur, quasi in circulo fundæ.* Jam in hanc, jam in illam partem girabitur, jam sursum, deorsum rotabitur, quoad tandem allidatur, ac conteratur.

Ant. Fernand. in v. 13.

1. Reg. 25.

Pœna respondet sceleri.

Ibid. Corn. h. l.

XIX. Superaddit Sapiens præfatæ suæ sententiæ: *Et virgâ iræ suæ consumetur.* Cornelius in hæc verba appositè ad semen, & messem, de qua sermo præcessit, docet; per hanc virgam intelligi posse triturationis flagellum, quo frumenta deteruntur. q. d. Iniquus quì alios, eorumque segetem, ac bona flagellavit, trituravitque, ipse pariter, ac bona ipsius ab aliis triturabuntur; ut in quo peccavit, in eodem puniatur. Sic ergo virga, seu flagellum, quo excutiendæ erant ejus fruges; non fruges, quæ nullæ sunt, sed ipsummet ejus lolium, ac spinas, id est scelera diverberabit, ac excutiet. Virga inquam, & flagellum, quo flagellabitur vel à Deo ipso, vel à Judice, vel ab alio quomodolibet, quatenus pœnam nequitiæ suæ recipiat.

Revocate, revocate quæso vobis, quot à Caino usque in præsens tempus hoc flagrum vindex senserint, quàm justis urnis in pleroscque maleficos desævitum sit? Et utut alii plures illud in vita evaserunt, à morte profectò eò graviorem, quò tardiorem sentiunt talionem. Utut nunc certis de causis semen impiorum sinit certis de causis crescere, veniet tempus æstatis, idque proximè, quo dicet messoribus suis: *Colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum.*

XX. Cum itaque inimicus homo per varias tentationes ad peccatum lolium suum in multorum præcordiis jecerit, vigilemus, ut actutum illud expurgemus. Et si fortè ejusmodi inutilis herba jam cœperit in culmen assurgere, impigerrimo studio antequam matureścat, eradicemus.

Primæ cogitationes sunt in corde nostro seminis instar, consensus in opus culmi qualitatem præsefert; spica cum granis executionem operis exhibet. Quod ne in nobis ad maturitatem assurgat, ut primùm herba inutilis apparuerit, excaudicemus, ne radicem mittat consuetudinis, & triticum virtutum offocet.

Enitamur

Enitamur, inquam, ut non modò proximorum campis nullum lolium inſpergamus; ſed in agello cordis noſtri identidem conſideamus, conſiderantes imperfectiones noſtras, & pravis inclinationibus obviam euntes. Mundemus pretioſum agrum Aceldama, id eſt, agrum ſanguinis, pro quo Chriſtus mortuus, ſibi eum, non diabolo emendo. Simus œconomi lucis, cuncta operando in luce, & ſemen optimum bonorum operum ſpargendo, & in cæleſtia horrea invehendo.

Tua infinita Bonitas, Chriſte Redemptor, te eò adduxit, ut agrum Eccleſiæ tuæ, tanto impendio mercateris, pretioſo verbi tui ſemine ſereres, rore cæleſti, ac gratiarum imbre irrigares. Largire, quæſo, ô Domine, ut hoc ſemen in cordibus noſtris ad maturitatem provehatur, ne zizaniis excreſcentibus in faſciculos vinciamur, & in ignem inextinguibilem, in animas ipſas deſævientem, ab omnipotente dextera, in ultionem ſcelerum inflammatum projiciamur. Introduc nos Domine, perinde ac triticum electum in horreum æternæ felicitatis, quod nobis inæſtimabili pretio mortis tuæ aptare dignatus es.

Fiat. Fiat.

CONCIO XI.

IN DOMINICA VI. POST EPIPH.

Simile est regnum cælorum grano sinapis.

Matth. 13.

ARGUMENTUM.

CONDIMENTUM SINAPIS.

I. QUemadmodum regnum cælorum in sacris paginis diversimodè accipitur; ita & sinapi multifariam admittit interpretationem. *A.* Ut alios mittam, à S. Gregorio tum ob alias qualitates Christo Domino habilissimè aptatur. Ait enim: *Ipse est granum sinapis, qui in horti sepultura plantatus, arbor magna surrexit.* Granum erat, cùm moreretur, arbor cùm ad vitam immortalem resurgeret; granum per humilitatem carnis, arbor per potentiam majestatis; granum, quia vidimus eum, & non erat aspectus; arbor autem, quia speciosus formâ præ filiis hominum. Hujus arboris rami Apostoli, eorúmque successores sunt, longè latèque per orbem terrarum diffusi. De iis enim oraculo protulit Psaltes: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* In istius ramis volucres nidulantur, & quiescunt; quia sanctæ animæ contemplationis alis, ac virtutum plumis, à terrenis sublevatæ, in illo, à vitæ hujus irrequietis curis, respirant. Hoc si in mortario crucis positum, jugi meditatione teratur, mirum in modum vim suam exerit; nequicquam tam crudum, indigestúmque reperire est, quod non condiat, ac indulcoret. Quod demonstrandum erit.

S. Greg. lib. 19. mor. c. 11.

Christus sinapi.

Psal. 18. 4.

PARTITIO.

II. TRia vulgò palato humano arridٍent fercula, & totidem ex adverso bilem, nauseámque movent. Priora sunt ex bonis fortunæ, quæ concupiscunt oculi, ex bonis corporis, quæ blandiuntur carni, ex bonis famæ, quæ exuberant in spiritum. Posteriora sunt, quæ ex defectu præcedentium bonorum

Fercula sapida & insipida.

rum redundant, uti est paupertas, contemptus, dolor. Hæc quum nobis non delibanda duntaxat, sed & exhaurienda sint, sinapi divino in condimentum assumpto mirum in modum indulcorantur.

§. I.

Sinapi Divino conditur humana egestas.

III. INferatur ferculum primum ex pauperie, egestate, nuditate, aliisque miseriis confectum. Eheu, quàm fatuum! quàm insipidum! quàm insulsum est istud! Cujus in Lares, seu abacum infertur, eundem illico à basi omnis felicitatis præcipitat, omni aspectu, seu respectu destituit, eidem ad splendida quævis aditum intercludit, & alterius gratiâ vivere cogit. Verè dictum: *Pauper ubique jacet.* Jacet, & succumbit in lite; jacet, & succumbit fame, frigore, nuditate; jacet, & prosternitur in obvio fimeto. Sentiunt id melius, quos vexat res angusta domi; quàm ego verbis elucidare queam.

Passio Christi condit defectus paupertatis.

Pauper ubique jacet.

Quid hîc faciendum? Qua ratione bolus hic, imò offa integerrima ligurienda? Sinapi præfatum adhibendum; & amaritudo temperabitur. Si quispiam est, quem sors tam iniqua premit, tamque acerbam ingessit offam; expendat quàm nudus, & egenus factus sit pro nobis filius Dei; cum esset ditissimus omnium. Excutiat supellectilem geneseos ipsius, quid videbit? Reclinatorium in stabulo, thronum in præsepio, matrem in fœno. Quid videbit? Satellites pecudes, aulam caulam, laciniam pro bysso, purpuram in panno vilissimo. Quid videbit? Majestatem in humilitate; opulentiam in nuditate; felicitatem in miseria. Tale elegit mundi fabricator nativitatis suæ hospitium; hujusmodi delicias nactus est Unigenitus Dei; tantam commoditatem sortitum est sacratissimæ Virginis puerperium. Quid jam ætate in adulta? Num illi vestiarium multiplici veste pro regum, ac principum more instructum? Nihil minus. Unica vulgari veste, quæ cum crescente & ipsa creseceret, definiebatur. Num penus ciborum copiâ infartum? Neutiquam. Ex eleemosyna enim, eaque tenui vitam tollerabat, & in itineribus mendicorum in morem, supra lapidem aliquem, vel in viridi cespite considens, extemporaneum prandiolum, idque sæpius, ut credibile, ex solo panis fragmēto confectum sumebat. Num fortè suis minimum gaudebat Penatibus? Et istis destituebatur. *Non habebat ubi caput suum reclinaret*; sed vel gratuita utebatur mansione, vel nuda humus ei stratum, cælum omnibus commune tegumentum sufficiebat. Ita nudus in terram natus, in summa egestate enutritus, in extrema item pauperie mortuus. Talis in crucem moriturus ascendit, quales nos author naturæ in vitam efformavit. Nudus in terrestri paradyso homo primus habitavit, nudus in paradysum cælestem secundus homo, seu Adam introivit. Itaque in crucem fixus rebus omnibus despoliatus est; ipsis vestibus, quas etiamnum habuerat, exutus, militibus sortes de illis jacientibus.

Christi paupertas in omnibus.

Luc. 9. 58.

Vah & nobis durum fuerit eidem Deo, ac Domino nostro assimilari? pari cum eo contubernio, mensa, commo-

ditate frui? Expendamus quæso altiùs, si Regum quispiam gregario militi parem habitum, victum habitationémque appromitteret, ac ipse uteretur, quantæ id sibi gloriæ duceret? quàm se felicem deprædicaret? Nobis verò plerisque, quum idipsum à Rege Regum conceditur, ringimur, indignamur, Superos inferosque lacessimus.

Amor subditorum erga dominos.

IV. Ethnicorum plerique tam erant amantes Regum suorum, ut si membra distorta, aut luxata haberent, ipsi ultrò in propria desævirent; si Regi deessent oculi, ipsi sese exocularent; si detruncata esset manus, ipsi pariter se mutilarent, ut hoc indicio fidem suam illis adstruerent. Et nobis replico iterum grave erit, & intollerabile, vel fortuitò in paupertatis suppellectili conformes extitisse Domino nostro, qui tamen indigitari volumus fideles? O si hoc divinum sinapi probè masticaremus, ac trutinaremus, profectò fella nostra in mella converterentur; omnis penuria abundantiam quandam præseferret.

Chron. S. Franc. par. 2. l. 4.

Simile Exemplum habetur p. 1. hist. Ord. S. Domin.

V. Hac ratione paupertatis sarcinam levem, & panem furfuraceum, ac mucidum, dulciarium reddidit benignissimus JESUS cuidam delicatioribus enutrito, è Tyronibus S. Francisci Seraphici. Huic, utpote illustribus orto natalibus, & escarum cupediis à teneris assueto, nimius, ac intollerabilis omnino visus est illius Ordinis strictissimi, ac sanctissimi rigor. Itaque in animum induxit, habitum deponere, & ad pristinas in patrias ædes remigrare delicias. Hoc obstinatus proposito, ad exitum è monasterio tentandum sese demittit, & januam versùs suspensis non minùs plantis, quàm cogitationibus adrepit. Recurrente autem in oculos obviâ Domini Assertoris sui icone, eidem advolvitur, veniam, gratiámque demissè exoraturus.

Quid fit? Stupescite Domini Dei nostri in suos clementiam! Dum orat, extra se rapitur, vidétque sibi Christum Dominum cum Matre sua approximantem, & sciscitantem, qua de causa manum à jugo suo retrahere cogitet, quod tam alacriter pro salute animæ suæ suscepisset? Tum ille: Domine mi ignosce, non sum ferendo tanto oneri, totus langueo, & panis, quem ingero, torquet viscera, & vix non strangulat fauces meas. Non est hic panis filiorum, sed mancipiorum. Quanquam & illa multo meliore polline, ac simila victitant; & in deliciis reponerem, si offa mercenariis patris mei condita, mihi contingeret. Pace itaque tua, mi Domine, tuâque veniâ in sæculo tibi deinceps deserviam, tuus tamen semper futurus, ísque addictissimus. Cui Dominus: Ita sanè est fili mi; victitant alii lautiùs, indulgent liberalioribus epulis, & lubentiæ suæ litant profusissimè. At num te fallit, pecora à sagina ad macellũ deduci? Num te latet, quòd qui carnem suam nutrit molliùs, ejusdem ferocitati patrocinari? Etenim recalcitrat illa imperiis, dum lactatur cupediis; nec unquam animæ est meliùs, quàm cùm corpori pessimè. Squarosis, ac gregariis assuetum corpus fragmentis, virtuti obstetricatur; & ad heroica exantlanda facinora ingrandescit. Nec unquam athletis meis cibus ullus, aut durus, aut fatuus est visus, reducto in

Panis durus fit sapidus memoria passionis Christi.

cto in memoriam amarissimo calice passionis meæ. Æmulator eosdem, & si etiamnum hoc mucidi panis fragmentum tibi desipit, vulneribus meis infige, & dulcescet. Fecit ille, & subinde bolos omnes, etsi crassissimos, durissimósque pro saccaritate habuit. Quòd si nos vicissim hoc exemplo edocti, eundem sequeremur, nullus dubito, quin idem nobis eveniret, & omnes nostri defectus in quasdam cornucopias conflarentur.

§. II.

Contemptus, ac infamia condiuntur sinapi divino.

VI. ALterum ferculum mundi, quo suos tractat, est contemptus ac convitium. Idque multò durius, atque insulsius priore est. Paupertas enim ritè tollerata, non tam dedecus est, aut onus, quàm gloria, & honos. Meliùs identidem hospitat, & moratur gaudium, & decus in paupertatis tugurio, quàm in opulentiæ prætorio. Sæpe qui nec unum calculare novit obulum, in numerato habet felicitatem. Dignitas enim censu non constat; nec honos semper suppellectili mensuratur.

Calumnia gravissima.

At verò proscindi convitiis, affici ignominiâ, criminationum telis configi, hi boli tam saxei, ferreique sunt, ut vix sint digerendo. Verè Thearidas sciscitanti, an gladius acutus, respondit: *Acutior calumnia.* Ille corpus dissuit, ista animam ipsam transfigit. Præoptaret honestus quisque sibi vulnus infligi, quàm verborum contumeliis lacerari. Illud enim vel unguento curatur, vel diuturnitate ipsa temporis obducitur; ista crescit eundo, & quo palpatur magis, profundiùs penetrat. Quot inveniuntur, qui à lustro uno, & altero his telis saucii, eadem, tentata omni arte, extrahere nequeunt? Quot inquam, sunt, quibus ferrum hoc præacutum intimis hæret fixum medullis, nec medicabile vulnus esse videtur? Ergone omnino animis cadendum? Absit. Adhibeatur sinapi evangelicum, & medebitur.

Eras. l. 1. Apopht.

Christi vilipensiones & improperia.

VII. Reducatur, inquam, in mentem Christus Servator noster, & virulentus hic bolus multò citiùs digeretur. Quis enim ille, & quanto non dignus honore, ac reverentiâ? Numquid non ipse Romanorum imperium, imo Orbem cum dignitate administrasset? Numquid summo Hebræorum sacerdotio sanctissimè functus non fuisset? Et tamen oblatam sibi dignitatem ultrò despuit.

Cùm ageretur de uno ex captivis dimittendo, Barabbæ nimirum & Christi, ipse Latroni postpositus, & cum iniquis reputatus; non solùm ut idiota, cùm esset æterna Sapientia; sed ut fatuus habitus, & irrisus; cùm esset Rex gloriæ; ut servus emptitius flagellis dirissimè, æque ac ignominiosissimè verberatus, quum esset ipsa sanctitas; characteribus peccatorum insignitus, & ut scelestissimus quisque omni tormentorum genere excarnificatus. Nullum convitium fingi potuit, quod ipse non sustinuerit; Samaritanus, & idololatra nuncupatus, dæmoniacus,

pseudopropheta, seductor, helluo, amicus publicanorum, proditor patriæ, & notis subsimilibus affectus.

Infamia honestatur nostra contumeliis Christi.

Ergo si Deus tuus in majestate sua adorandus, in gloria æternus, in omnibus perfectionibus infinitus, tantis impetitus est convitiis; ac criminibus notatus in summa sua innocentia; tibi ô Christiane, scomma quodpiam, aut aculeatum verbum sufferre amore ipsius intolerandum erit ? Si ille amore tui non horruit fabula fieri, ac ludibrio esse; tu confundêris gratâ vicissitudine aliis posthaberi? O mi dilecte, nondum te vidi illusum propalam, nondum te audivi ludificatum ab omnibus, quemadmodum Dominum tuum; nondnm te legi seductorem coram tribunali, & patibulo dignum citra omnem culpam accusatum. Quæ sparguntur de te, privatim dicta sunt, idque non tam perverso, ut suspicaris, animo; & hæc concoquere non poteris ? Compone te quæso, cum Christo; illius innocentiam, ac sanctimoniam, cum tuis sceleribus; illius Majestatem, cum tua vilitate; & nullo negotio assequêris, quàm illa convitia Christo Domino tuo disconveniunt, tam propriè tibi convenire.

Peccatum unum dignum reddit ludibrio.

Si vel unum peccatum commisisses in vita tua, idque millies jam sacra exhomologesi expiasses, dignus etiamnum esses omni ironiâ, ac insaniâ; quanto ergo dignus es dedecore, cùm indies prope temet dehonestare ac infamare sceleribus non desistas ? Cur itaque minora, quàm mereantur tua flagitia, non suffers ludibria, sarcasmos, convitia? Cur te Domino tuo, si innocens es, assimilari non exultas? Cur sanctos Apostolos non imitaris gaudentes, quoniam *digni habiti essent, pro nomine JESU contumeliam pati.* An te cum arrogantissimo Lucipero meliorem Deo tuo reputas; qui licèt homo, & reus sis, cum Filio Dei innocentissimo ludificari indignaris? Mastica, & remastica, ruminare, ac reruminare quæso sinapi hoc cæleste, & saporem in ipsis experière convitiis. *Act. 5. 41.*

VIII. Hoc embammate S. Petro Dominicanæ Familiæ viro religiosissimo, ad sufferendam æquo animo contumeliam, Christus ipse succurrit. Visæ cum hoc erant, vel auditæ duntaxat lapsæ cælo virgines in cubiculo cum eodem sermocinantes. Delatus eapropter ad Priorem, cùm id neutiquam inficiaretur, & ut cælestes hospites, ac gratias celaret, se magnum peccatorem confessus fuisset, ad Ephesinum cœnobium quasi pro expiando scelere relegatus est. Ibi cùm in noctis conticinio coram Crucifixi imagine in templo oraret, & secum suum dedecus, ac infamiam tristis volutans, amicè cum Christo expostularet, dicerétque: Cur me, ô bone JESU, servum tibi semper devotissimum, tantâ affici infamia permittis? Quid gravius, quid indigniùs homini religioso affingi potest, atque id quod mihi imputatur? Quid magis detestandum, quàm si vas sacrum temeretur sordibus? quàm si cygnus quispiam sit in cucullo, corvus in corpore; quàm si Religiosus Veneris castra sequatur? Et tamen, ô mi JESU, hanc notam ego patior; qui nihil antiquiùs habui puritate corporis, & animi. Tu nôsti, ô Domine, quòd millies malim mori, quàm fœdari. Tu nôsti, quòd non ab iis, qui hircos, sed qui te Agnum sine macula sequun- *Petri Martin. O.S.D. historia Padag. Christ. p. 1. c. 8. §. 3.*

quuntur, visitatione dignatus sum. Tu nôsti, inquam, cor meum, & quòd nihil horum fecerim, quæ alii per ignorantiam composuerunt adversum me.

Audiit hæc piissimus JESUS, & cùm nullum finem querelis poneret, amicè eundem interpellavit: Et ego ô Petre quid feci, ut tot, ac tantis onerarer convitiis; & perinde ac hominum sceleratissimus, inter iniquos reputarer? Age, dic mihi quodnam scelus commisi, quæ occasio condemnationis? Edic, quodnam præceptum Patris mei violavi, cui injurius extiti, & ex me disce opprobria, & infamiam hanc libenter perferre; ex meis sputis stude infamiam tuam condire.

Hoc remedium, hoc sinapi omnem angorem animi ex infamia conceptum condivit; in tantum ut gloriaretur, quòd cum Christo Domino patereretur, & conformis fieri dignus haberetur. Confide & tibi (quisquis es) ludificato saporem allaturum, si eodem identidem usus fueris.

§. III.

Dolores ac cruciatus corporis cælesti Sinapi leniuntur.

IX. TErtium ferculum omnium aliorum insulsissimum, & acerbissimum sunt dolores, & cruciatus corporis. Quantum ex hoc plerique mortalium non degustant? quantum absorbere, & exhaurire non coguntur? Alius patitur in parte corporis, alius in toto. Alius uno constictatur morbo, alii pluribus. Illum cephalgia in capite excruciat, hujus cerebrum vertigo rotat, alienat à mente insania, versat è bile, aut calida exspiratione, in febrium vigore, delirium; & inflammata phrenitis. Alios Comitialis, seu Herculeus morbus præcipitat, infestat lippitudo, & cœcitas, astma, cordolium, tormina, colici dolores, cæteraque morborum genera ingenti dolore conficiunt. Sunt demum nonnulli, quibus, à planta pedis, usque ad verticem capitis, non est sanitas. *Isa. 1. 6.*

Tribulationes hominum multæ.

Et ut hi patiuntur in corpore: ita alii multò graviùs conflictantur in anima.

X. B. Angela de Fuligno admirandam facit descriptionem pœnarum interiorum, quibus nonnunquam exercita. Ait enim animam suam fuisse in tormento, simili ejus, quo quispiam manibus, ac pedibus ligatis, suspensus esset per collum, & tamen non strangularetur; sed maneret in statu hominis versantis inter mortem, & vitam; absque ulla spe succursus, non valentis se sustentare pedibus, neque juvare manibus, neque os aperire ad clamandum, neque etiam suspirare, aut ingemiscere. Ita quandóque premuntur alii, & lapidem veluti appressum præcordiis sentiunt. *B. Angela afflictiones. In Vita.*

XI. Quid hîc faciendum? Quomodo hi boli masticandi? Accipe Sinapi divinum, & condies illos. Cogita dico quantos angores, quantos dolores ille tuus dilectus sustinuerit. Vix illi octiduum effluxerat, & mox cultri in carnem ipsius tenerrimam sunt expediti. Crevit deinde in subjectione, nunquam citra dolores, seu angores minimum animi. Non minor enim latuit afflictio in corde JESU ab illo primo instanti suæ conceptionis; quàm habuit in hor- *Christi passio medetur doloribus.*

to; quum sanguinem per omnia membra sudaret. Ut enim istic ex vivida apprehensione cruciatuum passionis suæ afflictus fuit, ita æquè intensè apprehendit eosdem dolores in utero amantissimæ Matris. Et ut intensissimè sibi tum obversabantur opprobria, contemptus, ironiæ; ita perfectissimè proposita fuit illius intellectui, sine ulla ambiguitate, difficultas omnis vincenda, & exuperanda, cùm primum negotium salutis nostræ tractare cœpisset. Unde nisi divinâ dispensatione adjutus fuisset, illo ipso instanti, quo cœpit vivere, præ doloris magnitudine mortuus fuisset. Demum ut colophonem vitæ, ac dolorum imponeret, omnium odio, opprobrio, plausu apprehensus, & condemnatus; ut illi soli, qui est misericordia ipsa, deficeret misericordia hominum. Passus insuper festâ luce, in excelso, cum duobus latronibus, perinde ac dux eorum in medio constitutus; à suo populo, non à Scythis, & barbaris, sine ullo admisso, aut quæsito solatio; acerbissimum omnium crucis supplicium.

XII. O utinam hoc sinapi seriò, & sæpius masticaremus in doloribus nostris, vix fieri posset, quin non indulcorarentur nobis amara omnia, & palato corrupto gustum reconciliarent. *Si passio Christi in memoriam revocetur, nihil adeo durum est, quod non æquanimiter, tolleretur, inquit S. Gregorius.* Nulla aqua tam amara, quæ ligno crucis non dulcescat; nullus bolus adversitatum tam durus, quem ignis in ligno ejusdem succensus non emolliat, nullum fel tam insipidum, quod aloë passionis in mel non convertat.

Passio Christi cõdimentum dolorum. S. Greg.

XIII. Reducite quæso in memoriam Legatos summi Numinis Apostolos inquam, tribulationibus, & opprobriis exaturatos, & tamen jubilantes in his omnibus: *Ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti essent, pro nomine JESU contumeliam* (sputa, verbera) *pati.* Revocate alios SS. Martyres distentos in equuleo, in sartagine tostos, forcipibus ignitis dilaniatos, in bovem æneum inclusos, omnique tormentorum apparatu divexatos; & nihilominus epulantes cum gaudio in his omnibus, & contestantes cum S. Marco, & Marcelliano, quòd nunquam tam jucundè epulati essent, quàm libenter tormenta perferrent. Subeant alii purpureæ patientiæ principes insonantes in angustiis, & pressuris: *Amplius Domine, amplius Domine.* Vel, *aut pati aut mori*; Vel: *Nihil me delectat, nisi quod cruciat.* Unde hisce tam insipidarum epularum appetitus? Unde tantus gustus? Non aliunde, nisi quòd sinapi identidem, & plenis faucibus masticaverunt; non aliunde, quàm quòd Jesum Crucifixum altè menti impresserint. *Si passio Christi* &c.

Act. 5. 41.

Martyr. Rom. 18. Iunii.

Vita S. Xav. & S. Cath. Sen.

XIV. Huic, ut aliis adducendis supersedeam, omnem suum gustum, quem sentiebat, in stupendis doloribus suis adscribere solita B. Lydvina Virgo. Amor quippe Christi crucifixi, & meditatio amarissimæ Passionis ejus, ita crevit in sanctissima ejus anima, ut nihil ei occurreret majoris solatii, quàm in illis foraminibus, ac plagis, instar columbæ nidificantis, jugiter commorari. Ejus enim vulnera, doloresque intensissimi adeo præcordia illius penetraverant, ut quamvis ipsa in singulis membris suis, omnis

S. Lydvina V. patientia. Laur. Sur. in Vita, 14. Apr.

ſuis, omnis generis vehementiſſimos cruciatus pateretur; in tantum, ut cuncti, qui eam intuerentur, non poſſent non multa commiſeratione affici; ipſa tamen eos cruciatus nihili reputabat, & jucundiſſimè Domino pſallebat in hymnis, & canticis. Tota vita ejus in Chriſti rebus geſtis, tanquàm in viridario amœniſſimo verſabatur, iis meditandis trahebat ardentiſſima eximo pectore ſuſpiria, ex oculis lachrymarum rorabat imbrem, & iis deficientibus guttas ſanguineas, quas apud familiares roſas indigitare eſt ſolita.

Ioan. Ionvieus in vita S. Ludov.

XV. Perſpectam vim hujus ſinapi habuêre ipſi Biſurmanni. Ex quibus unus ſacri belli tempore proceres Francos in Ægypto captivos ſalutatum acceſſit, ex iisque ſciſcitatus eſt: Num in unum Deum crederent, qui ex Virgine natus, in cruce affixus, mortuuſque eſſet, dieque tertio ſe in vitam revocaſſet? Quibus ſe ita credere affirmantibus, ſubjecit: *Eos neque fracto animo, neque mœſtos eſſe debere, ſi tantulam calamitatam ſubirent ejus nomine, qui extrema ſupplicia pro ipſis exantlaſſet; eoſque nondum ad mortem pro eo decertaſſe. Qui ſi tanta fuerit poteſtatis, ut triumphata morte ſe ipſum à ſepulchro excitarit, certo in animum inducere oportere, fore ut etiam ipſos brevi calamitatibus illis eximeret.* Jocoſa ne, an ſeria fuerit illa conſolatio, non habeo dicere; id ajo, vel barbaro argumentum hoc efficaciſſimum viſum fuiſſe ad temperandas quaſvis animi ægrimonias, corporiſque afflictationes. Id ajo, nos millies feliciores incredulis, qui tanto conſolationum favo deſtituuntur; nec habent, quo ſuas condiant acerbitates. Id ajo, jam pridem in ligno illo Sinai hunc fructum adumbratum, quod cùm miſiſſet in aquas Moyſes, in dulcedinem verſæ ſunt. *Per lignum aquas dulces facit*, ait S. Auguſt. *præſignans gratiam, & gloriam crucis, cujus illud typum gerebat.*

S. Aug. q. 53. in Exo.

Tantum hoc lignum ſaporis Judæis, tantum aliis Sanctis contulit hoc cæleſte ſinapi, tantæ vel ab ipſis incredulis, creditum eſt, eſſe virtutis.

Memoria Paſſionis Chriſti utiliſſima.

XVI. Et numquid minus efficax etiamnum eſt, ſi eo rite uſi fuerimus? Numquid emarcuit, aut evanuit virtus ejus? Neutiquam. Sinapi eſt, quod quò diutiùs teritur, eò inſigniùs proditur. Cur itaque iſtud ad crudiora digerenda non adhibemus fercula? Cur nobis identidem in afflictionibus, & anguſtiis non inſuſurramus? Rex gloriæ, in quem deſiderant Angeli aſpicere, faciem ſuam non avertit ab increpantibus, & conſpuentibus ſe, genas ſuas dedit vellentibus, corpus ſuum percutientibus improperium expectans & miſeriam; & ego vermiculus tergiverſabor quicquam amore ipſius ſufferre? Cur non adimpleo ea, quæ deſunt paſſionibus Domini mei in me coronandis, ſeu applicandis? Ille pro gloria Patris ſui, & ſalute mea voluit pati flagella, ac crucē, & hunc ipſum dolorem quo crucior, hanc afflictionem, quâ moleſtor, voluit ſentire in corpore ſuo, deſiderio ipſius perferendi; & in me leniendi; ego unum flagellum iſtud amore ipſius, ut eodem levetur, excipere dedignabor? O me ingratum, & indignum meritis Paſſionis illius, ſi hoc fecero! O me ſtultum, ac ſideratum, ſi nimium ſuccumbo in afflictionibus meis, tanto habito ſolatio, auxilio, refrigerio!

Ps. 68. 21. XVII. O mi amantissime JESU, quæsivisti, qui simul contristaretur tecum, & non fuit; ecce adsum, libenter affligar, & contristabor tecum, ut socius tuorum laborum, ac ærumnarum esse merear. Quis mihi det, ut pro te moriar, Fili Dei? etsi das hanc unicam afflictionem, cur abominabor illam? Solantur se alii ex societate afflictorum, & gaudium est miseris, socios habuisse dolorum; cur me non consolabor ego, si unà cum Deo meo patiar? Satis mihi hoc Domine, ad omnem abstergendũ mœrorem; satis ad levamentum miseriarum. Non ampliùs conquerar, me solum excipi casibus adversis, me duntaxat confici curis, exedi sollicitudinibus, inundari tempestatibus; traduci, proscindi, conculcari, cùm tecum patiar. Imò hoc etiam meos levabit questus, quòd neminem fratrum meorum in simili videam necessitate.

Adhibe, ô fidelis anima, hac ratione hoc sinapi, & in cunctis afflictionibus tuis levamen ex eo capies. Si fortè deficientibus viribus languere cœperis; occurrat tibi, quòd ipse verè languores nostros portavit, & dolores nostros ipse tulit. Si esuris, veniat in mentẽ, & ipsum Dominum tuum exactis quadraginta diebus jejunii, fame fuisse divexatum. Si sitis in defectu potus cujuspiam, cogita & ipsum sitivisse in cruce, & felle ac aceto potatum fuisse. Si alia irrogatur injuria, illum innocentissimum morti adjudicatum memento, &c. Ita nullus labor est, nullus dolor, sive spiritualis, sive corporalis, cujus non habeamus solatium, ac levamen, in Christo, sacratissimo sinapi nostro.

Et ad hoc credo invitat nos gustandum, quum dicit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Venite per profundam consideratione ærumnarum mearum in laboribus, ac oneribus vestris, ut participes evadatis gaudiorum, ac consolatiorum temporalium, & æternarum. Venite in hoc exilio, ut requiem capiatis in parato vobis domicilio. Venite pressuris fessi, ut remigretis solatiorum meorum professi. Matt. 11. 28.

Hoc est, quod subinde fidelibus universis præscripsit S. Petrus Apostolus: *Christo in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini.* Nihil enim invenietur tam forte ac validum, quod hoc bellandi genere non expugnetur; nihil tam invictum, quod hac cataphracturâ non sternatur; nihil tam durum, quod non erecto animo toleretur, si virtus crucis dominicæ in memoria teneatur. 1. Pet. 4.

Hoc est, quod Coapostolus Paulus inculcat: *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes.* Expendite, inquit, Christum Dominum tam duros ab impiis sustinuisse cruciatus, & robur, vigorémque mentis inde haurietis, ne unquam in laboribus vestris perferendis deficiatis. Expendite, quàm modica sint, quæ toleratis, si recordemini, quid biberit is ad patibulum, qui vos invitat ad regnum. Nihil vobis arduum erit, si toto vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus est in cruce. Ita eveniat, JESU patientissime. Heb. 12.

CONC. XII.

CONCIO XII.

IN DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Quid hic ſtatis otioſi?

Matth. 20.

ARGUMENTUM.

HOSTIS SINE MANIBUS.

I. QUonam in ſtatu verſamur, *And.?* Gaudemúsne pace, an bellis divexamur? Degimúsne inter domeſticos, & amicos, an inter hoſtes commoramur? Equidem primâ fronte ſecuros nos arbitrabar ab hoſtibus, ſuaviſſimóque gaudere pacis amplexu; at cùm ſtationes pleraſque, ac diverſoria excutio, deprehendo illa referta hoſtibus, & quantumvis mancis, claudis, imbellibus; ab iis tamen non minùs, quàm à validis timendum.

Lacedæmoniis, mirificis molibus, obfirmatâ urbe ſuâ, Delphos ad Tripodem Oratores ſuos deſtinârunt, indagaturos, quemnam hoſtium abhinc timerent? Reſponſum paucis oraculo: *Hoſtem ſine manibus metuite.* Paradoxum id viſum multis, & prope ridiculum. Quid enim obeſſe, aut nocumenti adferre poſſet hic hoſtis? Numquid arma intentare, aut propulſare? Numquid conſerere manus, ſolicitare arcus, jacere tela? Numquid arietare muros, aut cuniculis ſubruere? Numquid ferro, aut igni devaſtare oppida? *Hoſtem ſine manibus metuite.* O hoſtem inficetum! ô hoſtem formidandum! ſcilicet!

Attamen ſapientibus oraculum iſtud neutiquam contemnendum viſum; eſſe nimirum hoſtem deſtitutum brachiis, quem ampliùs reformidarent dexterâ potentem. Quemnam autem illum? Nempe Otium, ac confœderatos ipſius ſocios, torporem, languorem, deſidiam. Ut civitas incolumis ſubſiſtat, hunc hoſtem expaveſcat; crudeliùs iſte ſævit, atque quivis alius brachio, ferroque metuendus.

Quod Apollo Lacedæmoniis edixit

de ipsorum Urbe, idem ego omnibus enuntio : *Hostem sine manibus metuite.* Ne stetis tota die otiosi. Hostis hic graviùs vobis nocebit destitutus manibus, quàm quivis alius, viribus, & lacertis præditus. Quod ostendam.

PARTITIO.

II. PTolomæum Laturum Ægypti Regem, Tritularem, quasi trium telorum indigitatum, asserit Strabo, eò quòd vastitatem bonorum, & domorum, & corporum inferret. Supparem Tritularem hostem meritò affirmo esse Otium, cum adjuncta sibi, fœderataque cohorte tepiditatis, negligentiæ, desidiæ, & similibus. Etenim & istud non modò in bona fortunæ, sed & corporis ac animæ depugnat.

Strabo lib. 17.

§. I.

Otium ad incitas redigit.

III. DE damnis fortunarum ab eo illatis loquitur Sapiens in Proverbiis: *Paululùm dormies, paululùm dormitabis, paululùm conseres manus tuas ut dormias, & veniet tibi quasi viator egestas, & quasi vir armatus pauperies.* q. d. Si manus remiseris, expecta duos hospites, Viatorem unum, Militem alterum. Uterque istorum nequicquam secum adfert, ad comedendum, nihil apponit, sed alienum præstolatur, & unus quidem emendicat, alter autem per omnem vim eripit. Sed quodnam mysterium profundius sub his hospitibus absconditum? Maximum sanè. Demonstrat enim, duplices inveniri homines in mundo per socordiam ad incitas proruentes. Primi sunt, ad quos clanculùm venit Paupertas tanquam viator, ac mendicus. Alii, ad quos cum tumultu, ac impetu, perinde atque armatus irrumpit.

Otium subvertit opes. Prov. 6. v. 10.

Ad illos venit Pauperies clam, qui audiunt hîc & illic nundinas futuras, & dormiunt. Audiunt forum plenum mercibus, nec comparant; audiunt occasionem lucri ad manum esse, & despuunt; vident tempus esse laborandi, & fallunt illud otio, lusu, facetiis, itineribus ad solatia captanda susceptis, aut prorsus inutilibus officiis. His venit, quasi viator, sensim sine sensu Egestas, dum exponunt indies, & nec quicquam inferunt.

Paupertatis fontes.

IV. In procinctu bellico contra Davidem, obdormiverat Saul in umbilico prorsus exercitus sui, securus undique ab hoste; & ecce nocte concubiâ adrepit David, surripit scyphum aureum, hastámque, & abiit. Potuisset sanè longè plura tollere, nisi discretione uti voluisset. At eâ neutiquam utitur hostis sine manibus, Otium; tollit omnia, nec panis fragmenta subinde relinquit. Dum enim quispiam illi indulget, rapit sensim divitias, tum supellectilem, denique vestes. Ita ut in triplici choro illud Davidicum carmen occini queat: *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt in manibus suis.* Nihil in domo, nihil in horreo, nihil in vivario, nihil in campo, aufert cuncta Viator Egestas, & abiit.

1. Reg. 6.

Psal. 75.

V. Erutius Eliota conquestus, quòd post somnum quemvis, ita opprimeretur,

Eliotæ casus.

Plut. in Attic.

tur, acsi centenarius illi appenderetur, nullâ Medicorum operâ levari, aut curari potuit. Accidit autem, ut casu in campo quopiam lassus somnum caperet, quod videns peregrinus quispiam furcifer, tulit gladium ipsius, pallium, cultrum, marsupium, & fugit. Expergefactus Eliota, & advertens, quòd vix thoracem, indusiúmque retinuisset, proripuit sese, exululando: *Hic mihi medicus, qui me adeo post somnum levem fecit.* Persimilis peregrinus viator Otium, te stertente, & negligente negotia tua; adrepit ille, & hodie tollit crumenam, cras pallium, aut pelles, deinde frameas, enses, supellectilem, tamque levem reddit, ut omnia tua tecum ferre sub axilla queas. *Veniet sicut Viator Egestas.*

Paupertas cur vir armatus.

VI. Sed quid est, quòd sicut vir armatus irruere dicatur? Paupertas adumbratur nobis in panno veteri, in centonibus, & nuditate, ex adversum miles non tantum amictus, sed & loricatus. Illa infirma, & fracta viribus; hic fortis, & validus; illa prensans circumquaque, nihil invenit, hic auro, argentóve gravis. Quam ergo habet proportionem hic cum illa; aut illa cum isto? Maximam profectò.

Audistis, quòd nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur. Individui prope ipsorum comites sunt furores, perjuria, oppressiones, furta, cædes, aliaque flagitia Marti consanguinea. Eadem parentela est Otii. Nihil videtur agere, & nihil malignitatis omittit, perinde acsi in corruptæ conditionis gymnasio omnia vitia disceret, ac exerceret.

Otium malorum origo.

Nihil agendo, homines malè agere perdiscunt, ajebat Cato. Foris otium est, sed intus vitia fremunt, garrulitas, mollities, petulantia, audacia. Per hoc ducimur ad captandos popularis auræ favonios, per hoc allicimur ad gastrimargiam, invitamur ad lasciviam, ad calumnias proximo confingendas, & sexcenta alia flagitia. *M. Cato.*

Audistis, vel etiam experti estis ut milites cum, clamore tumultu, imperio irruant, & occupent urbes, & despolient. Eadem conditio aliorum desidum, qui non tempus duntaxat in otio transducunt, sed insuper per comessationes, sympolia, luxum, dilapidant substantiam à parentibus derelictam. Hodie exponunt florenum pro lusu, cras talerum pro vino, perendie aureum, aut supra pro epulo ac symphonia. His certè venit paupertas, quasi vir armatus; non furtim, sed palam & omnibus vicinis inspectantibus, & stupentibus; his calicibus perinde ac sariss&, & frameâ insonat, vinúmque loco sanguinis fundit. At ubi intraverit, haud levi brachio proturbabitur. *Cùm fortis armatus*, inquit æterna Veritas, *custodit atrium suum, in pace sunt omnia.* Profectò, nisi summo labore, ac nisu adhibito, eum non vinces, nec elides. *Luc. 11.*

Audistis, vel etiam experti estis, ut miles in hostico omnia diruat, aut incendat. Idipsum molitur torpor, ac desidia, diruit, subvertit omnia. Ob pigritiam enim, ac negligentiam initio parvam, sed longiore tempore continuatam, in avertendis parvis noxiis & damnis; seu rimis, & stillicidiis, tandem debilitatur, marcescit, *Otium urbes subvertit.*

fatiscit, corruit domus. *In pigritiis*, ait Ecclesiasticus, *humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus.* q. d. Incuria rerum quà præsentium, quà futurarum in causa est, quòd domus, æternitati prope ferendæ par corruat, ac fatiscat.

Eccle. 10. v. 18.

VII. Contari libet, quidnam civitates opulentissimas, Sodomam, Gomorrham, aliásque finitimas everterit? Si audire responsum lubet, dicet Ezechiel Vates: *Hæc est iniquitas Sodomæ.* Alter textus legit: *Hæc est subversio Sodomæ, sororis tuæ, superbia, saturitas, panis abundantia, & otium.* Si domus, si civitas vel ex ipsis petris excisa esset, vel ære fusa, admitterétque inquilinam socordiam, pigritiam, otiositatem, proruat, necesse est.

Ezech. 16.

VIII. Brusonius de Illyrio Urbe Græciæ testatur, ita subversam, ac solo æquatam, ut nec lapis super lapidem remanserit. Qua autem de causa? quo milite suffodiente? *Ob festa, ob ferias.* Hinc illud lemma tulit æternitati sacrum: *Illyrium periit, quia multa festa celebravit.* Hodie festum, cras festum, hodie Neomenia, cras Patrocinium, perendie Sabbathum, hoc illos perdidit.

Bruson. l. 4

Ita si apud nos frequenter die Lunæ celebretur festum Sodalitatis; die Martis Consociationis, die Mercurii Edormitionis; die Jovis Studiosorum, die Veneris primùm eatur ad labores; timendum, ne tandem serò, & jam irreparabili edocti malo sapiamus. Timendum, ne veniat his omnibus sicut viator egestas, & quasi vir armatus pauperies.

§. II.

Otium enecat pigrum.

IX ALiud damnum, quod hostis visibilis inferre potest, est mors corporis. At nunquid hostis sine manibus eandem non infert? Quæramus ex eodem Sapientiæ oraculo Salomone, quid dicat: *Stultus*, ait, *complicat manus suas, & comedit carnes suas.* Stultum nuncupat otiosum, tanquam cognomento proprio; quoniam si omnis impius est stultus, palmam inter eos obtinet desidiosus. Etenim *Qui sectatur otium, stultissimus est*, ait idem in Proverbiis. Quemadmodum sapiens est, qui attingit à fine in finem fortiter, & disponit omnia suaviter, qui omnia opera sua in certum dirigit finem, & advertenda mala, bonáque comparanda intendit animum: ita è contrario sideratus ille est, qui nec finem sibi proponit, (utpote nunquam eundem per otium indepturus) nec unquam, aut perrarò manum admover. *Complicat* enim, *manus suas*, quasi faciendo pactum cum otio, & obligando sese ad non laborandum. Siquidem qui pacisci solent, manus sibi dare, ac stringere consueverunt. Vel certè complicat ad removendam, & alienandam à se omnem fatigationem. Quoniam sicut miles abnuens dimicare, recondit ensem in vaginam, & manus sub axillas; ita & otiosus operit unam manum alterâ, tanquam instrumentum operis, ne laborare cogatur. Vel etiam complicat manus suas, ne ad os suum extendat illas,

Eccle. 4. v. 5.

Prov. 12. v. 4.

Otiosus cur manus complicet.

Prov. 19. v. 24. las, interprete eodem Sapiente : *Abscondit*, ait, *manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam.* Mavult enim fame emori, quàm exiguo labore sibimet subvenire.

Lorin. h. l. Notat autem Lorinus, quòd in Hebræa phrasi pro ascella ponatur olla; quasi dicat, est tam piger, ut habendo manus sub olla, in qua sunt cibi, ipse malit fame emori, quàm manum extendere.

Ibid. XI. Firmatur sensus ex eo, quod subjicit: *Comedit carnes suas.* Quâ petis ratione id dici queat? Non te lateat, S. Hieronymum in sensu mystico id interpretari, & definire, quòd delicietur in carne sua, ejusque blanditiis, quasi epulis quibusdam saturetur. At nihil vetat, cum citato Lorino in sensu literali id accipere, quòd nimirum tandem præ dolore ac rabie propriam carnem laceret, quasi vindicando pigritiam suam, ad instar fulminatorum illorum, de quibus Apocalypticus Vates: *Commanducaverunt linguas suas præ dolore.*

Piger cur carnes suas manducare dicitur.

Apoc. 16. 10.

Vel itidem potest intelligi, quòd piger, & desidiosus devoret carnes suas, quia ex defectu alimenti exterioris, calor naturalis absumit carnes proprias, (quandoquidem sibi non providit de cibo competente) easque depascitur. *Comedit carnes suas.*

Vel tandem defendi potest pigrum se ipsum interimere, eò quòd sanitati summè officiat otium. Nam quemadmodum ferrum in otio consumitur à rubigine, aqua nisi moveatur marcescit, aër itidem nisi à ventis agitetur, vitium, luemque trahit, terra immota silvescit, ignis extinguitur; resque prope omnes citra motum enervantur: ita non minus otiosus corrumpitur interius, & demoritur. *Stultus complicat manus suas.*

Otium sepultura. XII. Vix puto rem tam noxiam, tamque exitialem humano corpori, atque sepulchrum. Sit homo ad omnem speciem, ac formam elaboratus, sit leoninis præditus ossibus, sit marmoris instar compactus, si biduo, triduove jaceat in sepulchro, amittit omnem decorem, omnes vires, omne robur, & in putredinem degenerat. Jam verò quid putas otium esse, Torpedo rationalis? *Est vivi hominis sepultura*, ait Doctor Africanus. In otio perinde ac in sepulchro fracescis, imputrescis, fœtidamvè in mephitim converteris.

S. August.

Seneca. XIII. Intelligebat id probè Turcianus, Caji Imperatoris Aulæ Præfectus; à quo, ob grandævam jam ætatem, motus officio, ut quod reliquum habebat vitæ otio transigeret; composuit sese ad lectum instar mortui, imperavitque familiæ se coronanti, quatenus tanquam mortuum deploraret; nec temperavit à luctu, quoad pristino redonaretur officio, existimans tantumdem esse in otio degere, quantum deferri ad sepulchrum.

At non intelligunt hoc illi Patres familias, qui vel ad abacum cum cantharo, aut chartis lusoriis tempus diei fallunt, aut in plumis ad diem illustrem nidulantur. Non hic, non hic modus plumescendi est, aut altiùs evolandi. Non nascitur ex plumis decus Orientis Phœnix, sed putredo, & vermis. Non intelligunt ii studiorum alumni, quorum tota mens fixa est in recreationibus,

bus, lusibus, crepundiis. Hi enim verè in pulvere scholastico dormiunt, & si manè illos quæsiveris ad orationem, ad pensum reddendum non subsistent. Non intelligunt servi, quibus omnis labor gravis, omnis sudor agonia est. Hi manus habent & non palpabunt, manus habebunt, & non ambulabunt. Quidni idola, aut cadavera dixeris? Non intelligunt virgines, quæ si ad colum sedere, & nere cogantur, autumant se mundi rotam, aut cæli orbitas versare; aut tribus digitis Dearum instar suspensam tenere molem terræ. Non intelligunt ancillæ, quæ vel domum everrere, vel quidpiam aliud versare citra stimulum abnuunt. Et istæ vel ex eo sese cadavera fœtida sentiant, quòd omnibus exosæ sint; omnibusque execrabiles. Sentiant & alii sese Lazaros esse, eosque non quatriduanos, sed octiduanos, imo annuos. Sentiant morticina abominabilia, & ab oculis hominum amovenda. Siquidem *Otium est vivi hominis sepultura*; siquidem rarus est, qui hominem ignavum, ac desidem non detestetur, & tanquam cadaver putridum non amander.

§. III.

Otium offocat spiritum.

XIV. MAximum autem hujus hostis damnum est, quod nec spiritui parcat, quod non tantum corpus à laboribus, sed & spiritum à suis functionibus avocet; quod non corpus duntaxat sensim sine sensu perimat, sed & animam occidat. Etenim cum modus operandi sequatur modum essendi, & quævis res tantum vitæ participet, quantum operationis; piger qui nihil omnino agit, vel mortuus esse, vel non esse videtur.

Otium enecat spiritum.

XV. *Vita* decisore, ac definitore Marsilio Ficino, nihil est aliud, *quàm animæ motus, & actus.* Et tantò excellentius ens unumquodque vivit, quantò excellentius movetur. *Marsil. Fic. lib. de anima.*

Argumento sit Deus ipse, qui est ens per essentiam, ut apud Moysen ipsemet fatur: *Ego sum, qui sum*, qui est *Via, veritas, & vita*, ut itidem ipse apud S. Joannem testatur, & ideo actus purissimus sine admixtione omnipotentiæ, nec cessare ab opere potest, nec otio locum dare. Unde Assertor noster de sua, & Patris æterni Divinitate differens ait: *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* Gaudent divina perpetuo motu, & jugi agitatione sese vegetat æternitas, & quod nos vocamus laborem, illorum natura est. Ut indefessa vertigo cælum rotat, & maria æstibus inquieta sunt, & stare Sol nescit: ita quod divinum & æternum est, perenni gaudet operatione. *Deus actus purissimus* *Exod. 3. v. 14.* *S. Ioan.* *Ioan. 5. v. 17.*

Secundùm Deum in eminentiore gradu constituti sunt Angeli, sed & illæ purissimæ mentes otia ignorant, & Divinam Majestatem in occiduo efferunt præconio. Exinde alæ iis appinguntur, quod eorum motus sint velocissimi, velocissimus famulatus, atque subita mandatorum Dei executio. Dum enim moventur, volant, & cùm in loco debito quiescunt, in altis habitant, ne procul absint ab eo, qui in altissimis habitat.

Ex

Ex empyreis ſedibus ſi oculos ad ima deflectamus, intuebimur arbores multò perfectiores, (quantumvis duntaxat ſeſe vegetent, ipſa terrâ inerti, ac immobili; his rurſum eminentiora animalia ſenſitiva, & de loco ad locum progredientia; rurſum omnibus his præſtare homines perfectos, & ratione, ac ſenſibus debito modo utentes. Cùm itaque otioſus nec moveatur, nec agat quidquam, nec vivere cenſendus; vel certè vitâ tam miſerâ, quæ vix adæquet vitam ſtipitum. An non igitur meliore Calepino, ſtipites ac fuſtes, quàm homines nuncupandi?

XVI. Nec ſibi hîc quiſpiam perſuadeat, ſe operari multum, ſi nullum non moveat lapidem, ut genio indulgeat, ſerviat voluptatibus, opes accumulet, popularem auram aucupetur. Non enim operationum nomenclatura digna ſunt, quæ Dei opera non imitantur. Non merentur vocabulum motus, & actus, quæ à rectitudinis, & virtutis amuſſi deflectunt; non poſſunt dici eſſe & ſubſiſtere, quæ in ſe ſunt nihil, ſeu peccatum. Hoc enim unicum eſt nihil, quod ſine Deo factum eſt, ut loquitur S. Auguſtinus. Hoc eſt, quod teſte S. Anſelmo, ipſum hominem redigit in nihilum. *Quoties*, inquit, *à bono devias, à Verbo te ſeparas, quia ipſum eſt bonum, & ideo nihil efficeris, quia ſine Verbo, es, ſine quo factum eſt nihil.* Privat enim peccatum gratia, privat Deo, qui eſt vita animæ; & in quo vivimus, movemur, & ſumus. Etſi enim per peccatum, humanam naturam, caducáque bona non amittat homo; attamen amittit bonum, & eſſe gratiæ, quod eſt præſtantius humana, & eſt ipſa vita animæ. Hac quicunque deſtituitur, jure illud ſibi occinere poteſt: *Ad nihilum redactus ſum, & neſcivi.* Ad nihilum prope corporis, ad nihilum animæ, & ignoravi hoſtem ſine manibus tantis me bonis ſpoliaſſe, tanta vulnera intuliſſe, bonis omnibus depeculatum eſſe.

Malè operans nihil operatur.

S. Aug. in c. 1. Ioan.

S. Anſelm. lib. Solil. c. 5.

Pſal. 77. v. 9.

PERORATIO.

XVII. VAh & nos etiamnum hoſtem tam enervem, & imbellem, hoſtem ſine manibus inultum graſſari ſuſtinebimus? Etiamnúmne nos ulttò ad incitas redigere, corpus interimere, ſpiritum offocare patiemur? Macti animis Aud. apprehendite arma, vires exerite, ſtringite dextras; & ſi bona fortunæ, bona corporis ſusque deque ducitis, minimùm pro vita ſpiritus deſudate; pro anima laborate.

Non auſus eſt Triphonis exercitus infeſtare exercitum ſuperſtitem Jonathæ, videndo quoniam pro anima res illis eſt; nec præſumet torpor nos laceſſere, & infeſtare, ſi pro eadem nos ſteterimus.

1. Mach. 12. v. 51.

Fuit hæc olim Helvii Pertinacis Imperatoris teſſera: *Militemus.* Fuit illa Septimii Severi itidem Cæſaris: *Laboremus.* Nos utrumque jungamus; & militemus, & laboremus, minimùm pro anima noſtra. Militemus contra hoſtem tam mancum, ſociásque illius phalanges, pigritiam, deſidiam, ſomnolentiam, tepiditatem. Laboremus in vinea animæ noſtræ excolenda ſtrenuè deſudantes. Militemus & laboremus, quia magnum ſtrenuos

milites manet stipendium, magna mer-
Matt. 20. ces gnavos operarios. *Quod justum*, inquit, *fuerit*, *dabo vobis*. Immò plus quàm justum fuerit, rependet. Si quis sese exercebit pœnitentiæ asperitatibus, referet suavissimas delicias; si se demiserit ad ministeria humilitatis abjectissima, referet sublimationem ad summas empyreæ gloriæ curules; si amplexurus est consilia Evangelica, referet inæstimabiles thesauros; si patienter sustinuerit momentaneas tribulationes, referet dulcem securam æternam requiem; referet in omnibus plus, quàm credi potest.

Militemus, & laboremus, provocati exemplo ducis, & vindicis nostri in horto Gethsemani usque ad sanguinem
Luc. 22. desudantis. *Factus est sudor ejus, sicut sudor sanguinis decurrentis in terram.* Militemus, & laboremus, stimulati tot generosis facinoribus sanctorum Martyrum, & Confessorum. *Militemus & laboremus*, incitati vel ab ipsis mundanæ gloriæ sectatoribus, vel Mammonæ mancipiis. Pro! quantis illi gravantur oneribus, quantis curarum coronantur turmis, quantis fodicantur dolorum stimulis.

Non piguit sub Ramise Ægyptiorum
Sallian. Rege, totum prope regnum, periodos annorum vicenas impendere in formanda una mole, nulli præterquam oculorum, & vanæ ostentationis illudio servitura. Non piguit in indagando Lunæ cursu, aut in quadrando rotundo circulo, cursum vitæ alios exigere. Non piget etiamnum per mare, per terras lucellum unum, alterúmve insequi. Vah, & pigebit pro cælesti patria, pro sempiternis delitiis, pro gloria perennatura paululùm desudare? Pigebit dimidium laboris cælo indipiscendo impendere, quod consecratur cœno coacervando? Pigebit tantum conferre studii ad exornandam animam futuram Regis Regum sponsam; quantum dicatur corpori, mox esca vermibus futuro.

Frustra inclamo, piget, pudétque etiamnum multos.

Refert Discipulus de tribus fratri- *Discipul. Dom. Sexag.*
bus inter se certantibus, quisnam eorum videretur præ altero maleferiatus. Primus dixit, se malle fame perire, quàm surgere, & pomum desuper impendens decerpere. Alter ait, si viderem inundationem Oceani instare, & me involvendum, nisi pedem referrem ociùs, mallem obrui procellis, quàm gressu uno, alteróve me recipere. Tertius subjecit, si in trabem tenui filo suspensus essem, & haberem cultrum in manu mea, mallem offocari, quàm cultrum elevare ad funem præscindendum.

Quæ desidia, etsi incredibilis videatur, sumpta de corporali aut jejunio, aut naufragio, aut suspendio, verissima tamen est in sensu mystico. Malunt alii æternâ fame cruciari, quàm sese ed epulum eucharisticum parare, & accedere; malunt mergi incendiis sempiternis, quàm ab imminenti periculo per pœnitentiam, ac resipiscentiam se subducere; malunt perire æterna morte, quàm funes peccatorum suorum, quibus constricti sunt, rumpere, aut dissuere.

Id non tantùm re ipsa, sed & professione sua propalam contestatus est vir indignus.

indignus nomine, dicens: Si cælum apertum viderem, idque culmo duntaxat de terra sublata mereri possem, eum neutiquam attollerem. O pudor! ô insania, æternis meritò vindicanda suppliciis.

Luther. lib. de mundo, fol. 70.

Expalleant hi, ne dum serò manus ad capiendum fructum vitæ laxabunt, cum Tantalo poma fugacia captent. Timeant, ne præoccupati procellâ, & turbine judiciorum divinorum ex pelago hujus vitæ, abysso æternæ damnationis absorbeantur. Timeant, ne dum funes peccatorum rumpere moliuntur, tempus pœnitentiæ non inveniant. Timeant, inquam, ne ab hoste sine manibus devicti, in sempiternam abducantur captivitatem. Quod à nobis avertat, qui tam sedulò nos ad suam vineam invitat, Christus JESUS Dominus noster. Amen.

CONCIO XIII.

IN DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Et conculcatum est.

Luc. 8.

ARGUMENTUM.

TRUTINA DIVINI VERBI CONTEMPTUS.

I. ETsi quævis facta, dictáque Incorporati Numinis summam mereantur admirationem; non minimam tamen meo judicio, & ipse clamor in hodierno auditus Evangelio, sibi vendicare videtur. A. Testatum de ipsius modestia, ac silentio oraculo est: *Non clamabit nec audietur vox ejus foris*: Et rursus: *Tanquam Agnus coram tondente se obmutescet.* Sigalionem satiùs, quàm stentorem profitebitur, & plura edocturus est silentio, atque exemplo, quàm clamore, & eloquio. *Isa. 42. v. 2. Et 53. v. 7.*

Comprobatum idipsum in Concilio, & à cælestis regni Cancellario evulgatum,

tum quòd inter ludibria & alapas inter flagra, & verbera; inter tribulos, ac clavos trabales, perinde ac Agnus, non coram tondente duntaxat, sed & coram deglubente se, ac trucidante obmutuerit. *JESUS autem tacebat.* In tantum, ut miraretur Præses; cælum ac tellus hærerent attonita. *Matt. 26. v. 63.*

Ut autem advertit, quòd aliud semen cecidit secus viam, & conculcatum est, continere se non potuit, quin exclamaret: *Qui habet aures audiendi, audiat. Hæc dicens clamabat.* Quid est istud Aud.? Ergóne quòd granum quodpiam cadat penes viam, & conculcetur; aut aliud supra petram, & arescat; aut tertium inter spinas, & suffocetur, exulandum est potiùs, quàm inter gravissimas injurias, & dolores? Omnino sic est. Clamandum potenter, & indolendum est, quia *semen est Verbum Dei.* Et quando hoc semen per spinas, per saxa, per itinera ita spargitur, ut nullum fructum cælesti adferat Patrifamilias, dolere debet, dolorémq; acutissimum clamore testari. Quod ut ad ingenerandam Verbi tui insigniorem æstimationem, ac amorem planiùs elucidem, à te Verbo æterno, in Divinitate incircumscripto, in carne abbreviato, in virginea charta exarato, gratiam efflictim exposco.

PARTITIO.

II. NON potero justissimum Domini dolorem ex jactura sementis conceptum, liquidiùs evolvere, quàm si pretium illius demonstravero, eviceróque illam exuperare, vel adæquare, quidquid vel in bonis fortunæ, vel gratiæ, vel gloriæ excellentissimum est.

§. I.

Verbum divinum exuperat bona fortunæ.

III. IN bonis fortunæ principem prope locum obtinet aurum, & argentum. Cætera bona Provincialem habent administrationem, solæ pecuniæ Generalem. *In pretio pretium est, dat census honores, census amicitias pauper ubique jacet*; *cecinit olim* Naso. Et alter: *Aurum quisquis habet securâ navigat aurâ, fortunamque suo temperat arbitrio. Aurum quisquis habet Superos mercatur, & astra, captivosque tenet sub ditione Deos.* Aurum bella gerit, mucronibus imperat aurum, Aurum ventosis vela dat æquoribus. *Pecunia obediunt omnia.* *Ovid.* *Petron.* *Balbus.*

Cõtrovertitur nihilominus à Politicis nobiliore ne verba, an pecuniæ polleant imperio. Nam etsi maxima auri sit potestas, suppar prope est verborum. Si aurum per medios ire satellites, & perrumpere saxa potentiùs ictu fulmineo cogit; præstant idipsum verba, & arma; vel dant, vel eripiunt; militiam, pugnamque aut suadent, aut sistunt, animorum incendia vel suscitant, vel extinguunt; pugnat sine telis, vincunt sine sanguine, sine clade triumphant. Si Superi flectuntur ab auro, moventur ijdẽm precibus. Oratio est Deo sacrificium, oranti subsidium, dœmoni flagellum. Si aurum pulchrum, & excellens, non minus verba. *Mala aurea in lectis argenteis verbum in tempore dictum.* Quemadmodum mala aurea affixa lectis argenteis, mirum in modum lectos exornant, & quà varietate *Prov. 25. v. 11.*

tate, quà artis elegantiâ recreant oculos intuentium: ita verbum in ſuis circumſtantiis prolatum, plurimum afficit audientes. Itaque lis etiamnum eſt, quidnam eorum præpolleat, an aurum, an verba?

Sermo ſit, ſicuti moneta uſitatus.

Decidunt tamen eam Philoſophi, dum dicunt: *Utendum terminis ſicut nummis.* Imitetur monetæ viciſſitudinem ſermonis uſus, qui probatus erit, ſi ſit uſitatus & notus. Sermo nimis cultus, & cothurnatus ſubærata moneta eſt; quæ ad ſpeciem dicat, revera depauperat, ſibique & aliis imponit: *Utendum terminis ſicut nummis.* Si nummos accipiendo inſpicis, & periclitaris an probati ſint: ad eundem modum pondera verba priuſquam proferas, & ut monet Eccleſiaſticus: *Verbis tuis facito ſtateram.* Id eſt, libellâ prudētiæ tuæ expendas, ne quidpiam leve, & ſine pondere proferas, omnia verba tua prius ad limam, quam ad linguam, prius ad eos, quàm ad os, prius ad ſtateram; quàm ad auram referantur. *Verbis tuis facito ſtateram* & utere terminis ſicut nummis. Si parcè diſpenſas aurum, parcè itidem proferas verba. Non minus enim prodigalitas verborum, quam nummorum paupertatis proxeneta eſt. *Ubi ſunt verba plurima, ibi frequenter egeſtas*, ait Salomon. Sonus grandior, altiórve, nunquam non vacuum indicat; & ampullata, profuſaque verba mentis, aut virtutis inopiam deſignant. *Utendum terminis ſicut nummis.* Si moneta alia eſt pretii minoris, alia grandioris, alia cuprea, alia aurea, & hac quidem utuntur viri opulenti, ac magnates: ita verba etſi nonnunquam vix æri, ſæpenumero tamen auro æquiparātur. Unus ſæpe verſus talento veniit. Unius ſententia gemmis, & unionibus eſt appenſa.

Eccl. 28, 29.

III. Verùm ſi tanti quodvis vulgare verbum habendum, ſi tam reſtrictè iis utendum, ſi auro, & gemmis conferendum, exigite quanti divina oracula ducenda, quantò excellentiora omni lapide pretioſo, & auro cum Salomone putanda? *Quoniam*, ut ille perorat, *omne aurum in comparatione illius arena exigua eſt, & tanquam lutum eſtimabitur argentum in conſpectu illius.* Quidquid nitet, quidquid fulgurat, collatum cum Verbo divino, cum Sapientia cæleſti, illico vileſcit ac ſordeſcit. Præſtat opes, præſtat ſceptra, & diademata temnere, quàm Oracula Altiſſimi non poſſidere. *Quoniam omne aurum &c.*

Sap. 7. v. 8, 9.

Verbum Dei theſaurus.

IV. In parabolis ſuis inducit ſemel & iterùm Dominus mentionem theſauri, ac margaritarum. *Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro, quem qui invenit homo abſcondit, & præ gaudio illius vadit & vendit univerſa quæ habet, & emit eum.* Et: *Simile eſt regnum cœlorum homini Negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inventa autem una pretioſa margarita, abiit, & vendidit omnia, quæ habuit & emit eam.*

Matth. 13 v. 44. 46.

Si percontemur, quiſnam hic Theſaurus, quænam margarita, quàm prudens, ſagaxque inſtitor tanti putat? Reſponſurus eſt D. Hieronymus: *Bonæ Margaritæ Lex, & Prophetæ ſunt, & notitia Veteris Teſtamenti. Unum autem eſt pretioſiſſimum margaritum ſcientia Salvatoris & ſacramentum paſſionis illius.*

D. Hier. & S. Auguſt. h. l.

Paria de Thesauro S. Augustinus: *Thesaurum in agro absconditum, dixit Dominus, duo Testamenta legis in Ecclesia, quæ quis cùm ex parte intellectus attigerit, sentit illic magna latere. Et vadit, & vendit omnia sua, & emit agrum illum, id est, contemptu temporalium, comparat sibi otium, ut sit dives cognitione Dei.* Ergo si tantus Thesaurus, tam pretiosa margarita est Verbum Dei, nónne meritò is indolere debet, quòd surdis bibatur auribus, & ad alios, perinde ac scopulos allisum in vanissimas echones, aut spumas abeat merissimas?

S. August. in h. l.

V. Ponite enim, quempiam magnæ summæ jacturam facere, aut cuipiam monile pretiosissimum auferri, an dolori non immolabit? Ponite, parentem filio monita incassum instillare, Magistrum discipulo præcepta frustra ingerere, Dominum mediastino suo iteratis vicibus in vanum quidpiam præcipere, quô quæso id animô laturos arbitramini? An non acutissimô doloris telô configentur? An non ægrimoniâ animi cruciabuntur? An non solicitudine, ac curis contabescent?

At si tanti ponderis monita hominum sunt, si tantum instillat eorum jactura dolorem; vel si vilis homuncio totus in rabiem efferatur, quòd verba ipsius, imperiáque insuper habeantur, quid cogitandum, replico iterum, de Deo, ac Domino nostro?

Deus multifariàm nos alloquitur.

Loquitur hîc itentidem ad nos, cùm per se, tum per alios, intus ac extra. Intus inspirationibus, luminibus, gratiis diversis; extra tot linguis, quot literis, quà in Veteris, quà in novi Testamenti codice consignatis. Monet, & exhortatur per Angelos; suadet, & invitat per Ecclesiastas; tonat, ac fulgurat ad nos commovendos per nubes, minatur, ac percellit per mortem, & infernum; extimulat beneficiis, ac donis; & nihilominus volutamur in cœno peccatorum, contra stimulum calcitramus, beneficia in æquore scribimus, omnia surdâ mente, & aure bibimus. O, quomodo igitur non exacerbabitur piissimi parentis pectus tanta ingratitudine? quomodo optimi munificentissimique Mœcenatis nostri viscera non torquebuntur tantorum donorum contemptu? Qua ratione clementissimi Domini nostri mens tam præfractâ non sauciabitur pervicaciâ? Magna etenim cura, quantò potentiùs sublevat animum spe exoptatorum fructuum, tantò iisdem frustrata pungit vehementiùs. Cùm itaque nos tantâ curâ imbuat, tam immensum eloquiorum suorum thesaurum nullâ suâ usurâ, aut commodo concredat, & dispenset; toties oleum, & operam perdat, non potest non, (ut more nostro loquar) excruciari acutissimè, & ut tandem resipiscamus clamore provocare intensissimo: *Qui habet aures*, &c.

Et si tantopere detonabat, *Cùm turbæ multæ convenirent, & de civitatibus properarent ad eum audiendum*, cùm nec templo, nec mœnibus hæc sacra audiendi fames coërceretur, cùm in planities camporum vastissimas sese diffunderet, & intra deserta exaturari anhelaret; quantò nunc perpendite in tanta verbi sui nausea, ac contemptu intensiùs inveheretur, quantò severiùs casti-

castigaret ignaviam nostram, quantò profundiùs telô acerbissimi doloris exulceraretur præcordia ipsius? *Qui habet aures audiendi audiat.* Sed ad bona gratiæ ascendamus.

§. II.

Verbum divinum supereminet gratiis, SS. Lipsanis collatis.

SS. Reliquiarum virtus.

VI. IN his maximi semper ponderis extitêre gratiæ sacris Lipsanis dispensatæ: nec quicquam Sanctis graviùs, aut Superis accidere violentiùs posse rebantur, quàm si iisdem injuria quæpiam irrogaretur. Nec immeritò. Manet quippe enthea quædam virtus, ac gratia illis inoculata, quam vel creberrima contestantur miracula, vel implacabilis fugit Libitina, vel ipsa expavescant Tartara. *Ad eorum namque extincta corpora viventes ægri veniunt, & sanantur, perjuri veniunt, & dæmonio vexantur; dæmoniaci veniunt, & liberantur,* scribit S. Gregorius.

S. Gregor. h. 32. in Evang.

Verùm enimvero, si tanta sacris Lipsanis indita, & inviscerata vis est, si tanta sanitatum infusa est gratia; an inferiorem sementi verbi divini adscribetis? Audite obsecro S. Paulum de eo perorantem: *Verbum,* ait, *crucis pereuntibus quidem stultitia est, his autem qui salvi fiunt virtus Dei.* Et rursum ad Romanos: *Non erubesco Evangelium, Virtus enim Dei est in salutem omni credenti.* Quæ verba interpretans Angelicus ita scribit: *Evangelium virtus Dei potest intelligi, non modò quia virtus Dei in Evangelio manifestatur; secundùm illud: Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo; sed quia ipsum Evangelium in se continet virtutem Dei, secundùm illud: dabit voci suæ vocem virtutis.* Hoc est, quantumvis facie externâ videatur contemptibile, latet tamen virtus, quæ audientes sanat, sanctificat, in filios Dei regenerat. *Virtus enim Dei est in salutem.* Virtus inquam Dei vulnerans, & sanans, incendens, & illustrans; fœcundans & satians; emolliens corda, & conterens, consolans animas, & confirmans. Quis enim tanto desidiæ constrictus frigore, ut eo non incalescat? Cujus cor tam durum, & adamantinum, ut malleo illius non conteratur? *Numquid non verba mea sunt ignis, & quasi malleus conterens petras?* ait Dominus ore Jeremiæ. Cujus mens tantis ignorantiæ tenebris involutum, ut ex eo non illustretur? Cujus cor ita amaritudine redundat, ut non indulcoretur? Cujus præcordia tam infirma, ut non sanentur? *Neque herba,* ait Sapiens, *neque malagma sanavit eos, sed sermo tuus Domine qui sanat omnia.* Verbo, Virtus est Dei, nec quicquam tam fragile, quod non consolidet; pusillum, quod non animet; efferum, quod non cicuret; nullum vitium tam irradicatum, quod non evellat; nulla consuetudo tam agnata, quam non rescindat; nulla labes tam enormis, quam non emundet; nullum cor tam depressum mœrore, quod non sublevet; nullus animus tam desperatus, qnin in spem bonam erigi queat.

Verbi divini virtus.

1. Cor. 1.

Rom. 1. v. 16.

S. Thom. in Cat.

Psal. 90. v. 4.

Psal. 67. v. 34.

Ier. 23. v. 29.

Sap. 16. v. 12.

VII. Vivis characteribus hanc virtutem illius expressit Vates regius, dum cæci-

Verbi divini efficacia.

Psal. 28. cecinit: *Vox Domini in virtute, Vox Domini in magnificentia. Vox Domini confringẽtis cedros, Vox Domini intercidentis flammã ignis, Vox* Domini *concutientis desertũ; Vox Domini præparantis cervos. Vox*, inquam, *Domini in virtute* ad sanandum; *in magnificentia* ad docendum, & illuminandum: *Vox Domini confringentis cedros*, elatas ac superbas mentes ad humilitatem Christi inflectendo; *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, flammam pravarum affectionum ex fomite peccati succensam extinguendo. *Vox Domini concutientis desertum Cades*, id est sanctitatis, ad eam incitando per veram, sincerámque pœnitentiam. *Vox Domini præparantis cervos, ad currendam viam mandatorum Domini*, ad formandum, & parturiendum Christum in animabus nostris. Dico iterum: *Vox Domini in virtute* ad profligandos & confundendos Lemures, ad avertenda fulmina, ad advocanda in conclamatis rebus auxilia, & solatia. Profectò nulla validiora sunt arma ad resistendũ Sathanæ, quàm gladius spiritus, quod est Verbum Dei. Nullum efficacius antidotum ad avertenda fulmina, ac Verbum Dei in Capite Evangelii S. Joannis signatum. Nullum præsentius remedium in adversis, ac desperatis, ac idem sanctissimum Verbum piè ruminatum.

VIII. Date, date mihi lipsana vestra, ostendite sacra numismata, exhibete Divorum cineres, quos ego prono corpore, & animo deveneratus, contor estne in illis tanta gratia, & virtus, quæ non dico exæquare; sed vel in comparationem cum Verbo divino venire valeat? Habeo, inquit quispiam, crucem Caravacensem contra vim fulminum; ego subdit alter, quidpiam ex pulvere S. Udalrici contra glires; ego ait tertius habeo iconem S. Ignatii contra Avernales Genios; Divi Sebastiani sagittam contra luem, alia itidem amuleta in tutelam meam. Bene habet. Sed audi, quod repono: Estne horum amuletorum quodpiam tam efficax, ut conducat ad refrænandas animi passiones, ad relaxanda peccata, ad promovendam salutem animæ tuæ? Quid hæres? responde. Neutiquam. Corpori ea nonnunquam prosunt, non animæ. At verò si libenter auscultes Verbum Dei, inque præcordiis observes, profectò effectus præfatos omnes experieris.

IX. Conclude itaque, ac decerne, quisquis singulari affectu duceris erga sacra lipsana; (quod pium, ac laudabile est) quisquis eorum injuriam vindicas, (quod viri zelosi est,) quisquis ea sanctè observas; (quod religiosum est;) an non multò propensiùs ferri debeas, erga divinum Verbum in corde tuo conservandum? An non avidius illud prensare par sit? An non graviùs illius contemptum vindicare?

Decerne item, quo animo despectum Verbi sui feret Judex vivorum ac mortuorum, qui custodit omnia ossa Sanctorum suorum, quo sulphure verborum eos perstringet, apud quos, perinde ac ad petram allisum Verbum Dei recidit, aut tanquam inter spinas projectum offocatur; aut tanquam in via dispersum conculcatur? Et si sapis conare, ut ceu terra bona illud suscipias, conserves, & in sancta patientia, si

non

non centesimum, minimum sexagesimum, aut trigesimum fructum adferas.

§. III.

Idem prope contemptus est Verbi Dei, qui Corporis Eucharistici.

Verbum Dei æquatur Corpori Christi.

X. IN bonis Gloriæ excellit Corpus Christi, omni gloria & honore coronatum. De hoc stupendam, & prorsus inexpectatam quæstionem movet Præsul Affricanus, in hæc verba: *Interrogo*, vos fratres, *dicite mihi, quid vobis plus esse videtur, Verbum Dei, an Corpus Christi?* Quis verò hîc non illicò responderet: O sancte Doctor, túne hæc ignoras, & in controversiam vocas? Nemo est, qui non pluris æstimet Corpus Christi, quàm Verbum illius. Hoc enim citra scrupulum elabi nobis sinimus, non item illud. Verbum Dei vix discernimus à verbis hominum, sacrosanctam autem Synaxim probè distinguimus à pane vulgari. Verbum divinum cum exigua reverentia sedendo, impósito pileo, imo semistertendo audimus, at verò Corpus Christi de genu adoramus. Plus, plus videtur esse Corpus Christi, quàm Verbum Dei. Quid verò ille? *Si verè dicere vultis, non minus est verbum Dei, quàm Corpus Christi.* Et si vilescit apud vos, id evenit ex vestra iniquitate, non ex Verbi divini vilitate.

S. August. in hom. 50 h. 26.

Ibid.

Eapropter subdit idem S. Pater: *Et ideo, quanta solicitudine observamus, quando nobis Corpus Christi ministratur, ut nihil ex ipso de manibus nostris in terram cadat, tanta solicitudine observemus, ne Verbum Dei, quod nobis prædicatur, dum aliud cogitamus, aut loquimur, de corde nostro pereat.* Causam si præstolamini, percipite: *Quia non minùs reus erit, qui Verbum Domini negligenter audiverit, quàm qui Corpus Christi in terram cadere negligentia sua permiserit.* O verba, non verba, sed fulmina penetrantia medullas intimas. *Non minus reus erit. Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit.* Et, *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Consequenter qui corpus Domini susque deque habuerit, æquè judicium sibi aggravat, & reus erit Corporis, & sanguinis Domini.

1. Cor. 11. v. 27.

XI. Neque id citra fundamentum à tanto Doctore prolatum; sed ex ipsis hodierni Evangelii viscéribus erutum. Qua enim de causa arbitramini Dominum Verbum suum contulisse semini? *Semen est Verbum Dei?* Cur non persistit in parabola thesauri, aut margaritæ, ad pretium ejus indicandum? Vel Regni cælestis, ad dignitatem ejusdem exaggerandam; vel grani sinapis, ad virtutem ejus demonstrandam? vel in aliis? Planè ad innuendum, quòd quemadmodum semen æquivalet fructui, & virtualiter in se comprehendit, quidquid formaliter reperitur in fructu; sic quadantenus Verbum Dei sese habeat intuitu Corporis Dominici.

Explico me: Semen pomi non continet in se formaliter fructus, flores, ramos, non habet radices, quibus stipes innitatur; non truncum, quo subsistat; non ramos, brachiorum instar folia, ac fructus succollantes; non folia ad ornatum, non corticem

ad amictum, non pinguedinem pro alimento, denique destituitur colore, odore, sapore, magnitudine, duritie, similibúsque accidentibus, & nihilominus eadem omnia non quidem ad proportionem, sed tamen per virtutem innatam comprehendit. Accipe enim granum quodpiam ejusmodi seminis, terræ concredito, & paulò pòst palpabis, ut prædicta omnia sensim sine sensu ex eo pullulent, & excrescant.

Par prope conditio est Verbi Dei. Semen est totum quantum absimile in pulchritudine, magnitudine, dignitate, formâ, vita, & corpore Filio Dei. Verùm accipe illud, fove, & sepeli illud in præcordiis tuis, radicetur, ac firmetur in charitate; tum animadvertes, ut in lignum vitæ excrescet; videbis, quàm uberes feret virtutum fructus, ut rami patientiæ pullluent; miraberis, ut folia spiritualium colloquiorum protrudet, odorem vitæ exemplaris diffundet, & pretiosum, ac superbenedictum fructum, Christum videlicet in corde tuo progeneret; ut fias conformis imaginis dilecti Filii Dei.

XI. Hanc credo prærogativam Verbi sui inculcare intendebat Dominus, quando Marcella in corona populi intenta voce beatissimam Matrem ipsius deprædicavit, dicens: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ suxisti.* Luc. 11. Reposuit enim: *Quinimò beati, qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud.* q. d. Tu beatam proclamas matrem meam, quòd talem filium enixa sit; ac tacitè subsimilem exoptas beatitatem; indolésque, quòd talis tibi proles non obtigerit; at ego perfectiorem, solidiorémque beatitatem tibi offero, & omnibus eam inquirentibus competentem. Nimirum asséro te beatam ac superbenedictam fore, si verba mea audiveris, ac custodiveris. Nam & benedicta Mater mea beatior extitit, quòd me mente quàm ventre conceperit, & nisi priùs mente concepisset, indigna fuisset, quæ utero conciperet. Sensus hic desumptus ex calamo Augustissimi Præsulis Augustini, præfatum locum sic interpretantis: *Materna propinquitas Mariæ nihil profuisset, nisi felicius corde Christum, quàm carne gestasset. Beatior ergo fuit Maria, percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi.* S. August. tr. 10. in Ioan. Non enim aliter concepit, nisi audiendo, & credendo. Verbum enim est æternus Dei Filius, & non nisi per aurem conceptum in corde generatur.

Ex quo satis intelligitur, non sine fundamento præfatum S. Patrem definivisse, non minùs esse Verbum Christi, quàm corpus Christi; & non minus fore reum, qui Verbum Dei negligenter audiverit, quàm illum, qui corpus Christi negligentia sua in terram cadere permiserit. Non enim multò ampliùs differunt, quàm semen, & fructus. O quàm meritò itaque Dominus videns Verbi sui contemptum, exclamat: *Qui habet aures audiendi audiat.* Audiat, inquam, commonentem, ne audiat redarguentem. Audiat, nec contemnat, ne æquè reus sit, ac qui corpus Christi proculcaverit. Audiat, nec aures obturet, ne & ipse subinde clamans non exaudiatur.

XII. Et credámne hujus criminis reos in hac corona inveniri? Credámne Christum ad tantum provocari dolorem,

rem, ut exclamet? Credámne Verbum Dei à prætereuntibus in via conculcari? Non credam ob pietatem veſtram; non credam, quia aures veſtras ſemper arrectas video, aſpidum autem eſt, teſte Davide, aures obturare ad incantationem: *Sicut aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas*, &c. Non credo, ſiquidem vos Orthodoxos reputo; eſt autem hæreſis Anabaptiſtarum, & Schvvenckfeldianorum, contemptus Verbi Dei. Non credo, quia vos ut filios Dei veneror; eſt autem diabolicum, non audire, oraculo ſempiternæ Veritatis: *Vos ex patre diabolo eſtis, propterea non auditis.* Non credam, quoniam ſpem optimam de veſtra ſalute foveo; eſt autem reprobationis indicium, nolle audire Verbum Dei. *Vir*, ait Sapiens, *qui erraverit à via doctrinæ, in cœtu gigantum*, (id eſt dæmoniorum) *commorabitur.*

Pſal. 57. 5.

Ioan. 8. v. 44.

Prov. 21. 16.

Verumtamen ut credam conculcatum ſemen Verbi divini, ut credam nonnullos ſaltem tam beſtiales, & hæretico ſenſu imbutos, tam fulminatos inveniri, movet me authoritas multorum conteſtantium inveniri, qui vix videantur ab exedra. Movet me ignorantia multorum craſſa in rebus ſalutem animæ concernentibus. Movet me exiguus fructus, quem ex alloquiis ſacris colligi auguror.

Eheu, quicunque ii ſunt, cogitent, quid agant, quóve tanta ſocordia deventuri ſint. Expendant, quale judicium eos maneat, ſi Iſraëlitæ vel ob ſolam umbram in manna nauſeatam, ignitis ſerpentibus caſtigati ſunt. Trutinent, ne inveniantur æquè rei, ac qui corpus Chriſti proculcaverint. Prô, quæ hæc damnatio! Et ne tandem illi ſubjaceant, ſuſcipiant ſemen Verbi Dei in corde optimo, & afferant fructum in patientia.

Amen.

CONCIO XIV.

IN DOMINICA QUINQUAG.

Cœcus ſedebat ſecus viam mendicans.

Luc. 18.

ARGUMENTUM.

MENDICITAS BACCHANTIUM.

1. MEndicabulum unum, idque oculis captum, à S. Matre Eccleſia, hodierna luce nobis in ſcenam producitur. *Aud. Cœcus ſedebat ſecus viam mendicans.* Mundo ad largam diem ſuos evocante, & aſſeclis ipſius ſeſe ingurgitantibus, ipſa denſiſſimam caliginem, & eviſceratam obtrudit manticam. *Cœcus ſedebat ſecus viam mendicans.* Exclamare cogor cum Hugone à S. Victore: *Quid facit ſitis in poculis, fames in epulis, mendicitas in menſarum eduliis?* Non bene conveniunt, nec ad unum abacum commorantur Epulo, & Lazarus. Hic ardet ſaturari de micis ſub menſam decidentibus, ille ventre collativo gravis, Apicii patinas, pateramque prope nauſeat Cleopatræ. Hic lymphâ obviâ ſitis reſtinguit incendia; ille Lyæo ad fauces uſque innavigat. Hic deſtitutus ab omnibus, unico Melampo, & famulo, & medico utitur, ille coronâ ſatellitum cingitur, aſſeclarum vallatur comitatu, honoratur ab externis, adoratur ab inquilinis, ab univerſis ſuſpicitur. *Quid facit ſitis in poculis*, &c. Non ea ſunt tempora, quibus ſpicæ exangues depopulentur probè ſaginatas; non ea, quibus leones innoxiè accubent armentis; non ea, quibus coronata capita pauperibus aſſideant. *Quid facit ſitis in poculis*, &c.

Hugo à S. Vict. in h. Ev.

Numquid Lazarus hic non cum mantica duntaxat, ſed & conſpiciliis inambulat, nec pedem, quò figat, tantum tentat arundine, ſed & dioptrice. Proſpicit forſitan, ubinam fumet cauponaria, inibique prædam, quam oculis nequit,

quit, odore venatur. Mussitarem id equidem, si eundem ad Magnatum limina, non ad itinerum latera arbitrarer sessitantem.

Num sacellanum agit bacchantium, & illis genio indulgentibus, hic Litanias decantat; ut salutem quam velificabant verbis, scyphisque mergebant, hic votis suis à naufragio vindicaret. Verùm & ab isto me conceptu deturbat Notarius Evangelicus, dicens, sugillatum esse, monitumque, ne hisceret. *Increpabant eum, ut taceret.*

Num perinde ac Samson à crapulatis Philysthiniorum Toparchis ad choreas, & chorum sollicitatur? Repugnat id votis ipsius, quibus Christum, & lucem, non hilaria, tibiásque sectabatur.

Altius proinde in hoc latere mysterium conjicio, quòd Tyresias hic sub tempus Saturnalium ex Hierosolymitano theatro, & ad templum introducatur, & supra suggestum inspiciendus singulis statuatur. Quod cum aperire intendo, cum eodem cæco ingemino; *Jesu Fili David miserere mei*, & adjuva me.

PARTITIO.

II. VUlgatissimum sacrorum voluminum Dictatori est, sensa sua arcanioribus inumbrare Hieroglyphicis, & veritates minimè obvias, sysario symbolorum prætextas proponere. Suppari credo artificio, ejusdem instructa spiritu Ecclesia, unius mendicabuli larvam exhibet, ut vel in muta icone Bacchantium evolvat indolem. Quid enim triduana hæc inter voluptatum illecebras insania, quam professa, inter creata, mendicitas? Quid aliud, quam Tyresiæ cæcitas? Utrumque ut luculentiùs in Epicuris hodiernis pateat, lampadem succendamus.

§. I.

Voluptuariorum mendicitas.

III. ET primùm quidem ad manticam eorum evolvendam à Clarissimo Affricæ sidere Augustino illam inflammo, cujus hic aphorismus est: *Omnis carnalis homo est egenus, mendicat à prætereuntibus stipem, à rebus perituris voluptatem.* Illi Reges potentissimi, illi Toparchæ, illi Summates, quorum tergus erubescit in purpura, & pectus irradiat adamantibus, hisce kalendis centones assumunt, & à creatura ad creaturam, quasi de fenestra ad fenestram transmeant, non ore, sed re ipsa ingeminantes: *Date, Date pauperibus.* Illi Crassi, Cræsique perinde ac in Pandochio quopiam constituti, cum aliàs, tùm imprimis hisce feriis suam profitentur pauperiem; illi Duces, & antesignani exercituum non alias expeditiones præterquam ad panem augendum, lætitiamque suscipiunt. Emittunt oculos vernaculos sibi juratos, ut formæ cujuspiam flosculum procentur, aut precentur. Destinant aures, à cytharis, ac cytharedis concentum,

Voluptuarii mendici

Aug. lib. de Gen. ad lit.

ac symphoniam efflagitaturas. Emancipant linguam ad illecebras obsoniorum, hinc inde emendicandas. Expeditur naris ad unguenta, & opobalsama venanda. Tactus denique ad mollitiem quampiam depalbandam, contrectandamque recingitur. *Omnis homo carnalis est egenus, mendicat &c.*

Et quantumvis quivis alter huic sorti subjiciatur, gulosi, ac carnales eò amplius, quò laxiùs ad saginandum corpus suum, desideria sua provehunt. Tantò enim studiosiùs emendicare coguntur, quantò splendidiùs genio litare adnituntur. Quod cùm imprimis Procerum nonnulli, eorumque simiæ, aut discincti ad omnem petulantiam nepotes committant, primatum illi jure in ordine mendicantium obtinent.

IV. Audit hæc quispiam, & me vel sideratum, vel reum etiam læsæ eorum majestatis redarguit, quòd centonem purpuræ assuere, & paludamento manticam injicere præsumpserim.

Quæ est hæc inquiunt vesania, Satrapas è suis palatiis ad pandochia deturbare, pauperiem, ac mendicitatem objectare, ex Cræsis Codros efformare? An ignoras, quantas hi strangulent gazis suis opes? quanta vestimentorum, ac muricis copia abundent? quantam in aviariis, vivariis, stabulis, saltibus, animantium multitudinem alant? quantam in cellariis, ac penu abundantiam vini, mellis, olei coacervarint; quantas in horreis, ac granariis frumenti achanes numerent? Et hosce arroganti supercilio mendicabulis succenturiare præsumes? Nonne meliore Calepino Oceanum dixeris, per liberalitatis sinus, ac catadupas sese omni ex parte exonerantem? Nonne veriùs fodinam opum, aut scatebram, ex qua alii aut hauriant, aut eruant vitæ adminicula? Nonne cælum quodpiam proclames, quod suis influentiis subjectos abundantissimè irroret, ac illustret? Sit ita. Attamen quod dixi, repeto cum S. Patre Augustino: *Omnis carnalis homo est egenus, mendicat à prætereuntibus stipem*, & idipsum sereniſſimorum Regum testimonio obsigno.

V. Prodeat hîc ad tribunal vestrum decantatissimus ille Solymarum Toparcha David. Hem quantum regem appello, cujus potestati regna plurima, ac provinciæ obnoxia erant? Quantum virum? qui tantum metallorum, auri, argenti, æris congesserat, ut pondus prope iniri nequiverit. Quantum bellatorem? cui prope dormienti urbes, ac provinciæ, uti quondam Themistocli in nassam incurrere videbantur. Quid hic de se sentiat, ac contestetur, conjicite, aut inquirite? Dicet is pleno ore: Quorsum me incassum palpatis multa mihi adscribendo, nomen extollendo, opes exaggerando, vultis scire quis sim? *Ego autem mendicus sum ac pauper.* Ille ego quem sedentem in solio conspicitis, quem vallatum gazis, potentemque imperio stupescitis, quem stipatum densis agminibus arbitramini, mendicabulum sum unum, & quidquid possideo, stipe quasi corrogatâ à creaturis & elementis obtineo. *Ego autem mendicus sum & pauper.* Quidquid circa me fulget, quidquid me stipat, quidquid coronat, emendicatum est. Quum enim à natura calvus, ac nudissimus in

Reges mendici.

Psal. 39. 18.

orbem

orbem prodierim, plumas haſce non meo corpori, ſed creaturis, à quibus illas mutuavi adſcribere, & in acceptis referre cogor. *Ego autem ex me mendicus ſum & pauper.* Nec multitudo & copia eorum, quæ poſſideo, ex albo me mendicantium eximunt; ſed multò magis evincunt, me inter eos eminere; utpote qui plus aliis emendicavi, ac corrogavi.

En vobis virum, en regem, en Monarcham, quin & Prophetam oracula plus, quàm è Tripode promentem, aſſertum meum comprobantem. An etiamnum me reum læſæ majeſtatis inſimulabitis? Quid reponitis?

VI. Dicetis forſitan, Davidem id magis ex demiſſionis promptuario, quàm ex veritatis nomenclatura protuliſſe. Non contradico omnino. Quid verò muſſitabitis, ſi aliud teſtimonium, & quidem impii, & abundantiſſimi Regis in medium protulero? Dabitis credo fidem dicenti.

Achab regis mendicitas.

Prodeat ergo Achabus Rex Samariæ perquam potens, & quid dicat attendite: *Locutus eſt ergo Achab, ad Naboth*
3. Reg. 21. 2. *dicens: Da mihi vineam.* Si vocem hanc Achabi Regis ignorarem, nihil prius animum ſubiret meum, cum D. Ambroſio, quàm vocem eſſe mendicabuli cujuſdam. *Quæ vox alia*, inquit ille, *ſtipem publicè poſtulantis, niſi da mihi; Date pauperibus.* Et tamen eadem hæc vox regis eſt, idque non exuti regno, non ad incitas redacti, non oppreſſi ab hoſte, ſed regnantis, & plurima poſſidentis. Da mihi, inquit, rogo te mi Naboth vineam tuam, quia illa plurimum egeo.
Ambr. de offic.
Ibid. Quo fine? *Ut faciam mihi hortum olerum.* Opus illa habeo, non tam ad delicias, quàm ad neceſſitatem. *Da mihi eam.* Ecce videtis, ut hic carnalis rex mendicet, ut ſtipem petat. *Da mihi, date pauperibus.*

Hanc mendicitatem verò, quum aliàs perſæpe, tum imprimis hoc articulo Epicureorum ſchola profitetur, quæ ſuis velificatura cupidinibus, uſque & uſque, haud ſecus ac ſanguiſugæ illæ ingeminant: *Affer, Affer.* Affer puer ſpumantem pateram, fumantem coturnicem, affer odores, affer cytharaſque, lyrasque. *Affer Affer.*

Non ſolò gutture haurire, non ſolis dentibus maſticare, ſed & auribus ligurire placet. Affer illos groſſulos extremæ neceſſitati conſecratos, affer mutuò, undecumque accipias. *Affer Affer.*

Quiſquamne ergo inficiabitur, Corybantes Saturnales manticam geſtare, & ex cœtu mendicantium eſſe. Neget ille, qui ſibi arroganti ſupercilio cuncta imputat, nec Deo, nec creaturis, ſibi quicquam in acceptis referendum eſſe arbitratur.

§. II.

Repulſa Mendicantium Bacchicorum.

VII. QUid autem eſt quod exorant, & impetrant? Niſi planè obſurduiſſent, audirent quòd omnis creatura ingemiſcat; audirent eam à ſe repellere, ac dicere: Ite ultrà, ite ad alios opulentiores, nos egenæ, miſeræ, vanitati ſubjectæ ſumus. Utut nos oppreſſeritis & emunxeritis, non ſaturabimini. *Creaturarum vanitas.*

Noſtis

Noſtis quantopere in nos deſæverit Aſſuerus, quatoque apparatu ex nobis coacto, centum & octuaginta ſolidos dies contra famem patinariis cohortibus decertaverit? At nunquid evicit? Numquid exaturatus? Neutiquam. Poſt tantam epularum copiam, ventri iteratò cum ſuis ſervire coactus. Et cùm quotidie epulatus feratur, patet profectò jejunas fuiſſe dapes, quarum & capacior ſemper, & cupidior erat venter poſt epulas. Quæ enim in iis eſſe potuit ſubſtantia, quando quotidie vorati largè potuerunt, quotidie devorari. Hinc conjicite fame ſatius repletos convivas, quàm cibis, quibus quò abundantius paſcebantur, eò menſas ſtruebant uberiores.

Creatura non ſatiant.

Noſtis quàm ſplendidè Epulo ille Evangelicus indies epulabatur, nulla dies illi unquam Cinerum, nulla Quadrageſimæ, nulla Veneris illuxit: *Epulabatur quotidie ſplendidè.* Quis non putaſſet exaturatum? Et tamen in rei veritate dies Caniculares agebat, famem patiebatur ut canis, & idcirco etiam poſt fata poma fugacia captat; linguam perinde ac canis exerit, guttulâ incaſſum petitâ eam refrigeraturus.

Noſtis quid egerit Salomon, quòd non Palæſtinam duntaxat, ſed & vicinas Provincias exhauſerit. *Erat autem cibus Salomonis per dies ſingulos triginta cori ſimilæ, & ſexaginta cori farinæ, decem boves pingues, & viginti boves paſcuales, & centum arietes, exceptâ venatione cervorum, caprearum, bubalorum altilium.* Itane minimùm expletus? Nullo modo. *Reperi*, inquit, *in omnibus vanitatem, & afflictionem ſpiritus.* Etiamſi totum mundum abſumpſiſſet, abdomen non exaturaſſet. Ergo ite ultra, ite ultra, videtis quàm nos miſera, egena elementa, quàm evanidæ nos creaturæ. Ite, ite ultra ad ditiorem, qui repleat in bonis deſiderium veſtrum.

3. Reg. 4. v. 22, 23.

Ecce hæc eſt mendicitas veſtra, hæc, ſi aures paululùm arrigere luberet, repulſa creaturarum.

§. III.

Cæcitas Bacchantium.

VIII. Mihi verò ut id liquidiſſimum eſt, ita non minus cæcitas Bacchantium. Non loquor de illa, quâ lux corpori intercipitur; ſed ea, quæ multò gravior eſt, & animus laborat. Hac enim in tantum obtenebrati ſunt, ut nec ea quæ ſupra, nec ea, quæ infra, nec ea quæ ante ſe ſunt arbitrentur; nec hanc ipſam mendicitiam ſuam perſpiciant.

Voluptuarii cæci.

Primùm indubium, non cernere ea, quæ ſupra ſe, nec ad Deum omnia contuentem, ac perſpicientem ſeſe reflectere; nec cælum, aut cæleſtes indigetes, æternamque beatitatem præ oculis habere. Etenim ſi vel lippis mentis oculis ad ea ſeſe quiſpiam reflecteret, fieri non poſſet, ut nefas quodpiam conciperet, aut in conſpectu ejus committere præſumeret.

IX. Intendit eò aciem Joſephus Patriarcha etiamnum adoleſcens, ſollicitatus à Domina ſua, ad infandum adulterium perpetrandum, & illico reſpondit: *Quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?* Illa vel plane

Ioſephi cõtinentia ex Dei præſentia.

Gen. 39.

plane non intelligens, vel intelligere se simulans replicat: Qui ni possis? Juvenis es elegans, fortis robore & ad amorem natus, Dominus alibi moratur, nec ante noctem rediturus. Ah regerit iterum Joseph: Domina mea, etsi Dominus meus terrenus absit, adest cælestis, cui ego deservio, & quem timeo, & *Quomodo peccabo coram Deo meo*; loquor cum LXX. Coram Domino tuo, & meo non auderem, qui etsi mihi prælatus sit, tamen homo est; quomodo coram Deo meo, qui supra omnes est, & cùm occiderit corpus, potestatem habet mittere in gehennam. *Quomodo peccabo coram Deo meo?*

Quod factum ponderans D. Am-
D. Ambr. brosius, addit: *Pulchra ratio, quòd nec beneficiis Domini deberet esse ingratus, nec occultum possit esse peccatum, quod Deo teste committeret.* Ita illi omnino impossibile videbatur, delinquere quemquam posse, intuente ac inspectante Deo Omnipotente.

Quòd si itaque & moderni Epicurei hoc oculo capti non essent, cum eodem castissimo Juvene concinerent: Quomodo insaniam, & malum hoc committam coram Deo meo? Et illico evanesceret omnis illicita concupiscentia, illico mentem à crimine averterent, & ad ipsum reflecterent. Nullum enim capistrum potentius ad infrænandos indomitos etiam motus, atque Numinis præsentia. Nec faciliùs erratur, quàm si Numen ex oculis sequestretur.

X. Nec itidem intuentur ea, quæ infra se, id est, non expendunt illud sine fine incendium, illam intollerabilem suppliciorum officinam, illos Titii vultures, Sysiphi saxa, Tantali famem ac sitim. Etenim si ea in oculos incurrerent, neutiquam tam insipientes essent, ut pro modica voluptate æternatura sibi mercarentur supplicia, cælestem beatitudinem in Tænariam commutarent damnationem. Puer parvulus, etsi aurum æstimare nequit, & gemmas; attamen umbrâ virgæ à petulantiæ suæ illecebris coërcetur. Ipsæ bestiæ timore stimulorum perculsæ, ferociam exuunt, & lupato compescuntur. Quî ergo isti ad divinæ justitiæ amussim sese non componerent, si vel umbram Tænarii incendii ante oculos haberent?

XI. Non demum vident ea, quæ ante se sunt, quòd instet mors, judicium, æternitas, quòd proxima sit Quadragesima, pœnitentiæ consecrata. Si enim ea apud se exigerent, utique agnatâ argumentandi methodô inferrent: Hæccine est mea dispositio ad alteram vitam, ad Deum iratum placandum, ad pœnitentiam agendam? Tantíne pœnitere emo? Et quis novit consilium Domini? quis diphteram illius inspexit, num mihi collaturus sit ad resipiscendum gratiam? An non hoc scelerum appendice complebitur numerus iniquitatum mearum? Apage, apage cum hac fallaci muscipula, non emo tanti pœnitere.

Hæc siquidem non conspiciunt, completur in iis, quod vaticinatus est Sophonias Propheta: *Ambulant ut cæci, quia Domino peccaverunt.* Soph. 1. 17

Quemadmodum hi, jam in hanc, jam in illam partem impingunt; jam in foveas prolabuntur; jam in obvium quemvis cespitant lapidem: suppari ratione illi ex uno peccato in aliud prolabuntur; jam contra unum, jam contra aliud impingunt præceptum, & ex unis sordibus in alias feruntur. *Ambulant ut cœci.*

Quemadmodum hi non arbitrantur imminentia pericula, præcipitia, aut vulnera, ita nec isti assequuntur, quam secum ducit, peccatum malorum catervam. *Ut cœci.*

XII. Consimili in cœcitate versabantur illi conjurati tenebriones apud Sapientem. Convenerunt illi ad Saturnalia celebranda; utque eò licentiùs frænos laxarent petulantiæ, nullum exceptum esse volunt forum, nullam domum, nullum angulum, in quo non debacchentur. *Venite*, inquiunt, *fruamur bonis, quæ sunt. Vino optimo, & unguentis nos impleamus, coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrûm exors sit lætitiæ nostræ, ubiq; relinquamus signa lætitiæ.* Eamus, inquiunt, de taberna in tabernam, de uno cellario ad aliud, ubique choros ducamus, saltibus & tripudiis cuncta resonent, nulla sint vina, quæ non delibemus, nullum gaudium, quo non inundemur.

Sap. 2. v. 6, 7.

Venite. Gloria nostra sit, siphones plurimos exhaustorum cadorum in galeris indices circumferre, Libero Patri liberrimè litasse, & monumenta lætitiæ in annales transferenda posteris transmisisse. *Venite.* Ita illi.

Quem autem suæ cœcitatis, ac noxiæ petulantiæ fructum retulêre? Fatentur ipsimet apud eundem Sapientem: *Ergo erravimus à via veritatis, & justitia, lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Eheu nos miseros! eheu æternum fulminatos, quò tandem per licentiæ nostræ dedecora devenimus? quem fructum luxuriæ nostræ retulimus? quod commodum festivitatum nostrarum depravatissimarum lucrati sumus? Ex criminum nostrorum tenebris, ad exteriores inferni devenimus, crapulam nostram sempiternis diluimus incendiis; petulantia nostra avernalibus coërcetur ergastulis; pro odore fœtorem intolerandum; pro massico picem & sulphur; pro rosis spinas; pro voluptate tormenta hæreditamus. *Ergo erravimus*, &c. Eundum nobis erat per viam arctam, per viam mortificationis, & crucis, per viam mandatorum Domini; nos autem ambulavimus ad speciem quidem amœnas, revera autem difficiles; prima fronte rectas, altera autem obliquas; primo intuitu roseas, altero spinosas, per quas demum ad hanc miseriarum catastrophen devoluti sumus. *Ergo erravimus*, &c. Eclypsim passi sumus in conscientia, quam tota æternitate illustrare haud sufficimus; errorem in intelligentia, quam nullus Aristoteles, aut Plato jam corrigat; malitiam in perversa voluntate, quam nulla deinceps incendia expient. *Ergo erravimus.*

Sap. 5. v. 6, 7.

XIII. Hac eadem cœcitate se captum fuisse in peccatis suis, profitetur vir secundùm cor Dei, dicens: *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut vide-*

Davidis cæcitas in peccato. Ps. 39. 13.

viderem. q.d. In tantam deveni per scelera mea miseriam, ut undecim mensium spatio, perinde ac cœcus fuerim, nec divinam Nemesim, nec impendentia alia mala expenderim. In gravi eram periculo finalis impœnitentiæ, obstinatæ voluntatis, ac desperationis; *& non potui, ut viderem.* Infernus aperuit os suum ad me devorandum, *& non potui, ut viderem.* Iniquitas, mentis meæ oculum in tantum premebat, ut falsa inter, & vera, carnalia ac spiritualia haud discernerem. Venit Nathan Vates ad ipsum, proposuit eidem sub schemate scelus suum, sed non potuit videre, quoad extenso pollice in eum detonaret: Tu, Tu, *Tu es ille vir.* Tu es ille adulter, ille homicida, ille raptor. Tum primùm resipuit, agnovit, pœnituit.

Sodomitarum cœcitas. Gen. 19. 1.

XIV. Hac cœcitate laborabant Sodomitæ, de quibus Hagiographus meminit, quòd cælestes Genii sub vesperam eos invisêre. *Veneruntq; duo Angeli Sodomam vesperi.* Commentatoribus id facinus paradoxum, aut mysticum videtur. Nam quid est, quòd Angeli lucis tenebras sectentur? Cur urbem non ingrediuntur pleno jam die? Si ageretur de Angelis luteis, dicerem ex oraculo Domini, casuros in foveam. Qui enim in tenebris ambulat, nescit, quò vadat. Ferales alites amant caliginem cum oculo adulteri, non felicitatis nuntiæ. Suspectus mihi omnis est, qui diem vertit in noctem, lucem in tenebras. Quid itaque mysterii, cælestes Internuntios sub serum crepusculum Sodomam petiisse? An quòd officiis urbanitatis, ac humanitatis omnigenæ, ab Abrahamo remorati sunt? At certè sub noctem ab eo non expediti. Num via longior aut impedita obicem illis posuit? At supra alas ventorum vehuntur. Quid itaque? Id sanè, quia tenebris involuti erant. Etsi ipso meridie venissent, nihilominus tenebras offendissent. Ubi enim concupiscentia carnis imperat, ibi Sol Justitiæ radios subtrahit, & caligine involvit.

Eat jam nunc ipsorum quispiam, & dicat cum Apocalyptico Præsule: *Dives sum, & locupletatus, & nullius egeo.* Ego reponam cum eodem Angelo: *Nescis, quia tu miser, & miserabilis, & pauper, & cœcus, & nudus es.* Miser & miserabilis ex natura ipsa, miserior ex lapsa, miserrimus ex ultroneo animi vitio, infecta. Cœcus per ignorantiam summi boni, ac summi mali, per vilipensionem gratiæ, & gloriæ, per errorem vitæ perversæ. *Apoc. 7. v. 17.*

XV. Quid igitur rectiùs agam vobiscum, quàm ut baculum, quò viam tentare, & ad orbitam recti redire polleatis, sufficiam. Hic verò S. Hieronymo Crux est, & *Dux cœcorum, errores expediens, & ad lucem veritatis adducens.* Hoc scipione apprehenso, cum Evangelico cœco identidem exululate: *JESU, Fili David, miserere mei.* JESU, cujus nomen dulce, & amabile, plenumque salutis, cujus natura bonitas, cujus voluntas pietas, ac misericordia. JESU, qui cùm non essem, tuâ omnipotentiâ conditus sum, cùm Sathanæ devotus essem, sanguine tuo pretiosissimo redemptus sum; cùm perversus essem, misericordiâ tuâ revocatus sum. *S. Chrysost. hom. de S. Cruce.*

JESU Fili David. Non invoco jam in throno ad dexteram Patris sedentem,

tem, ac fulmina torquentem; sed in præsepi jacentem, aut ubera matris lactantem, nec filium cujuspiam Judicis, aut Tyranni, sed Davidis mansuetissimi. Memento, ut ille Sauli hosti suo capitalissimo ignovit; Memento, ut Ægyptii servum in agro derelictum erexit, & animam prope agentem ad vitam revocavit. Memento, ut improperanti & insultanti sibi Semei indulsit; memento, ut omnes recepit, qui erant oppressi ære alieno.

Psal. 32. *Memento mei, & miserere*, secundùm latitudinem misericordiæ tuæ; *Psal.* 144. quia: *Misericordia tua Domine plena est terra*, quia: *Suavis es universis, & miserationes tuæ super omnia opera tua. Miserere* secundùm longitudinem misericordiæ tuæ. *Luc.* 2. Quia *misericordia tua ab æterno, & usque in æternum super timentes te.* Vel ut SS. Genitrix tua cecinit: A progenie in progeniem timentibus te. *Miserere* secundùm altitudinem. Quia *exaltata est, usque ad cælos misericordia* *Psal.* 57. *tua.* Miserere secundùm profunditatem, *quia misericordia tua usque ad abyssos*, & si millies infernum meriti sumus, in misericordia, & miserationibus multis sustines, ut salves. Miserere per sanguinem, quem fudisti; per vulnera, quæ suscepisti, per crucem, quam tulisti, per mortem, quam obiisti. Miserere dum tempus est miserendi. Etsi enim Petra es, non eris durior illa in deserto, quæ pulsata profudit aquas largissimè. Etsi es dives, non eris immitior illo Epulone, quin micas de mensa tua decidentes indulgeas. Etsi es Judex vivorum, ac mortuorum, non eris durior illo iniquo, qui vel ob solam importunitatem viduæ jus dixit.

Itaque, Miserere mei. Non me perdat iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem, (damnationem, inquam, æternam) Miserere mei, quia caro sum, de carne tua, & sanguis de sanguine. Noli spernere, ac damnare carnem, ac sanguinem tuum. Miserere etiam omnibus absentibus Bacchum sequentibus &c.

Hunc in modum dico exululate sine intermissione, & ubi benignissimus JESUS ad cor loqui dignatus fuerit: Quid vis ut faciam tibi? Dicito: *Domine ut videam.* Ut videam, & agnoscam turpitudinem, ac malitiam peccati, ut videam & assequar pretium gratiæ, ac gloriæ; ut videam ac cognoscam, quæ tibi sunt placita; ut videam te tandem facie ad faciem.

Amen.

* * *

CONCIO XV.

CONCIO XV.

IN DOMINICA I. QUADRAG.

Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant.

Matt. 4.

ARGUMENTUM.

CONVIVIUM DIABOLICUM.

I. EVolutis proximis feriis, an Furiis, suis Mundus appo uit mensam assectis. *Aud.* Mensam, quam ex emendicatis à creatura obsoniis stru ere nitebatur. Mensam, quæ bene multis in calculum, cordoliúmve conversa est. Mensam, in qua propinatum est fel aspidum, & venenum prope insanabile. Mensam, in qua olim periit Balthasar, jugulatus est Amon, hausêre mortem alii innumeri. Mensam, cujus symbolum plures alii, si non hîc, minimùm alibi etiamnum solvere coguntur.

Hodie Princeps mundi, Orcus, ne fortè Mundo cedere videatur, suum & ipse apparat sympositum, apponítque. Spectemus.

NARRATIO.

II. PAulus Æmilius, Romanarum legionum adversus Perseum Imperator, cùm illô devictô epulum triumphale exhiberet, cuncta ipsemet curiosissimè, quô apparatu & ordine apponerentur, lustravit. Attonitis eam ob rem Græcis præsentibus, & tacitè causam rei indagantibus, respondit: *Ejusdem artis esse, & aciem bene struere, & convivium amicis apparare.* Ut nimirum in hoc amicos sibi devinciat, in illa inimicos vincat. At quemnam ille ordinem in patinariis illis cohortibus servaverit, aut quomodo aciem formaverit, aut quem modum confligendi statuerit, author historiæ haud meminit. Id mihi compertissimum, hodiernum Averni Convivatorem con-

Plut. in Rom. Apopht.

convivium ſuum aciei inſtar ad debellandum ordinaſſe Chriſtum, ipſiúsque fideles.

§. I.

Politica Sathanæ.

Chriſti D. prima tentatio.

III. COnjicio id imprimis ex loci conditione. De hac ſacer textus: *Aſſumpſit eum, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi.* Forſitan cogitabit hîc quiſpiam intra ſe: Magnus profectò Politicus eſt Sathanas. Novit honoratiori primum dandum eſſe locum; & virtuti quantò clariùs emicat, tantò ſublimiores apparandas eſſe curules. Vel certè decidet ipſum conjeciſſe, Chriſtum eſſe Speculatorem illum, qui nos diebus omnibus, actúsque noſtros proſpicit, à primo die in veſperum; ideoque ipſum ſupra pinnaculum tanquam in ſpecula conſtituiſſe. Vel etiam augurabitur, Chriſto Domino oſtendiſſe, non defuturos, qui ſuis ſuffragiis, & humeris ad ſublimes in Eccleſia cathedras promovendi eſſent.

At longè alia mens, multò diſpar intentio Zabuli; quam ſatis luculenter prodidit, cùm diceret: *Mitte te deorſum.* q. d. Idcirco te huc extuli, ut graviore caſu proruas; ideo te in cornu, & apice templi conſtitui, ut inibi vel minor appareres, vel omnino evaneſceres, & diſperires.

Sathanæ dolus.

IV. Et hoc eſt ſolemniſſimum Sathanæ ſtratagema ad ſublimiora ſubſellia vel indigniſſimos quoſque ſubvehere; quatenus majore cum dedecore, ac ruina eos ſubinde deturbet. Eſt & iſtud, ponere in cornu menſæ, aut cathedræ alios, ut illos inſtar manipuli fœni per inanem jactantiam ventilet. Eſt tertiò iſtud, non minus ab eo receptum, quos reipſa extollere nequit, eoſdem phantaſtico cothurno ſupra aliorum efferre vertices; & ſublimi imaginationis ſuæ carrucâ ad præſentiſſimam circumvehere ruinam.

Novit enim perbellè agnatum locis eminentioribus, & capitibus elatis præcipitium. Novit æquè honoris, ac montis prærupti aſcenſum eſſe arduum, ſtationem lubricam, regreſſum præcipitem. Novit quòd quantum quiſque de ſe arrogantiùs præſumit, tanto in graviore verſari diſcrimine. Niſi enim ipſemet Lucifer ſedere in Monte Teſtamenti, in lateribus Aquilonis affectaſſet; nunquam tam irreparabili caſu prolapſus fuiſſet. Niſi Adam ad Divinitatis thronum aſpiraſſet; nunquam ad ſtivam damnatus fuiſſet. Niſi alii ambulare in mirabilibus ſupra ſe conati fuiſſent, non jacuiſſent tam profundè infra ſe.

Superbia deprimit.

V. Lepidam prima fronte movere videtur quæſtionem Rex Sionis ſupra caſum inopinatum Saulis, ac Jonathæ. Ait enim: *Quomodo ceciderunt fortes?* Quomodo proſtrati ſunt, qui columnis, ac coloſſis æquiparabantur æneis? Quo caſu reſupinati ſunt, quibus tota moles nitebatur imperii? Numquid enim novum eſt hominem ceſpitare, & cadere? Numquid una datur labendi occaſio? Numquid non etiam equus, quantumvis quadrupes ſubinde hallucinatur? Ita ſanè. Quid igitur opus eſt hac quæſtione?

Mons ſuperbia periculoſus. 2. Reg. 1. v. 25.

Eſt

Ibid. Est quod hic observetis, inquit ille: *Jonathas (& Saul) in excesis interfectus est.* Eheu non in valle, non in planitie, sed in montibus Gelboë procubuere. Quid istud? Mons hic, Philippo Abbate Interprete, casum illorum, & ruinam significat, qui cùm indepti fuerint dignitatem quampiam, quò sublimiùs cæteris provehuntur, eò identidem profundiùs deprimuntur. Quippe Mons in quo Saul cum filio cecidit, Gelboë nuncupatur, (id est lubricum.) Quod intuens mysterium David, altùm ingemiscit, & eos in lubrico dignitatis, si non ambitionis proruisse; qui priùs fortissimè in plano steterant humilitatis, lamentatur: *Quomodo ceciderunt fortes?* Fortis quippe, & invictus extitit Saul, quum in planitie decertaret, hostesque suos manu validâ expugnaret. Cùm verò montem Gelboë præliaturus ascendit, non solum non valuit victoriam consequi fugitivam; sed quam in plano prehenderat, turpiter amisit, & ejus loco umbram, eamque Tænariam prehendit. *Jonathas, & Saul, in excelsis interfectus est.* Hæc sors illius fatalis; hæc aliorum sequacium: *Tolluntur in altum, ut casu graviore ruant.* Omnis superbia tantò profundiùs prosternitur, quantò excellentiùs sublimatur; & si vel in cælum ascenderit, ad infernum usque deprimitur.

Jonathas in excelsis interfectus quid designet.

Phil. Ab. de dignit. Cler. c. 11.

Claud.

VI. Auguror non citra fundamentum aliorum casibus eruditum sapuisse Lothum. Ad hunc deflexerant cognatæ castitatis vindices Angeli, adversus salaciissimos Sodomitas ignium ejaculaturi imbres. Attamen ne & ille communis ustulationis ruina involveretur, in montis recessu, ignes monetur intemperantiæ ultrices effugere. *Salva animam tuam, nec stes in omni circa regione, sed in monte salvum te fac.* Deprecatur gratiam oblatam Loth, & in civitatem parvulam ingredi efflagitat. *Quæso Domine mi, quia invenit servus tuus gratiam coram te, & magnificasti misericordiam tuam, quam fecisti mecum, ut salvares animam meam. Nec possum in monte salvari, ne fortè apprehendat me malum, & moriar. Est civitas hæc juxta, ad quam possum fugere parva, & salvabor in ea.* Ita Angelicâ securum tutelâ montem recusat Loth, & civitatem parvam ingredi exorat. Quod rei mysterium?

Gen. 19. v. 17. & 19.

Non me fallit inhærendo literæ expalluisse, ne dum ad distantem festinat collem, illius celeritatem ignis ultor anteverteret, & nondum montem ingressum exureret; eapropter ad vicinum oppidulum, quod citò ingredi valebat, divertere concupivit. Sed si ad mores velitemur, sublimiora expavebat, & planiora elegit; tutius perfugium ratus humile oppidulum, quàm excelsum montis verticem. *Est Civitas parva & salvabor in ea. Cùm Loth exiret de Sodomis ab ascensu montis abstinuit, & in parvulam civitatem declinavit, ne dum parvulus ad altiora nititur, virilem ætatem impingens, moriatur.* Ait S. Gregorius. Excelsa, & præclustria, pericula sibi excitant, humilia ventorum frustrantur insultus; ideo Loth mediocria eligit, sublimia timet, & vel umbram superbiæ declinat.

Loth cur montem deprecatur

S. Greg. in 1. Reg. c. 3.

Notate hæc etiamnum superstites Gigantum nepotes; notate quotquot

per

per arrogantiam turgescitis, & si salutem vestram amatis, montes, ac pinnacula horrescite. Securior per plana demissionis via est, in qua si cespitare, aut hallucinari contigerit, casus lethalis neutiquam futurus.

Luc. 14. 8. Sit vobis fixum illud æternæ Sapientiæ oraculum: *Cùm invitatus fueris, recumbe in novissimo loco.* Cùm te aut mundus, aut Orcus ad fastum pellexerit, tu per demissionis concentum te deprime. Nunquam securiùs sedebis, quàm in pulvere demissionis, ac subjectionis. In hoc nos positos intendit Numen, ut sublevemur, in pinnaculo Sathanas, ut deturbemur. Ex hoc Numen à Zabulo discernere poteris, quòd illud ducat ad humilia in hoc exilio, ut exaltet in cælesti Capitolio; iste autem tumorem mentis ingenerat, ut subinde in abyssum contumeliarum detrahat. Præstat autem in hoc sæculo modico intervallo vilipendi, quatenus in altero æternum gloriæ pondus obtineamus; quàm hîc modicum vanæ gloriolæ efferri Etheriis, & alibi in omne ævum in novissimo, despectissimoque gradu constitui.

§. II.

Epulæ Sathanicæ.

VII. Asequor secundò bellicum ipsius Convivium ex ipsis epulis appositis. Nam quid illud est, quod offert? Credideram aut Phœnicem ex Arabiæ culminibus detraxisse; (tametsi unica generatio pessum iret,) credideram Phasianum, aut Tardam attulisse absumendam; credideram molle quidpiam, ac delicatum ad famem propulsandam Christo Domino apposuisse. Fames enim non tam asperis palpanda, quàm blandis; inedia non horridis urgenda, sed gulosis. Quid ille? Lapidandâ malignitate lapidem obtrudit: *Dic ut lapides isti panes fiant.* O Veterator impiissime! ô caupo malitiosissime! Hoccine est nectar, & ambrosia, quæ filio Dei debetur? Hacciné offâ illum decet excipere, qui ad delitias nutrit universa? Nonne dignum erat omnem creaturam ad servitium illius cogere, qui suâ potentiâ condidit universa? Nonne dignum orbem terrarum in unum distillare decoctum, quò palato ipsius gratificaremur? Et tù tam crudos bolos interis, lapidem per summam malitiam obtrudis? Nempe Sathanas non Christum, sed semetipsum hac mensa exaturare exoptabat. Namcùm nostris saturetur ex culpis, præsumpsit vel ab ipso Domino petere miraculum quodpiam, ex motivo ostentationis, ac vanæ gloriæ ab ipso patrandum. *Non dixit* (ait Theophilactus) *quandoquidem esuris; sed si filius Dei es, existimans posse illi aliquid per laudum blandimenta suffurari.* Et licèt de gula, aut voracitate idcirco culpari, aut reus fieri non potuisset, si panes ex lapide mutatos comedisset; tamen occasione famis aut miracula petere, aut diabolo aliqua in re obedire, gulæ vitio imputandum esset.

Christi tentatio altera.

Theoph. in Matth.

VIII. Verùm ex hoc facto colligere nos exoptat S. Antistes Chrysologus, quàm ferrea erga nos gestet viscera pater mendacii, quámve lapidea erga nos foveat præcordia. *Solus, ait, sic pascit mor-*

Sathanæ tyrannis. S. Chrysol. serm. 12.

mortis author. Lapides ille esurienti offert, humanitas talis est inimici.

Christus Dominus in spem nos erigens ad Deum Patrem exorandum, hoc utitur argumentô: *Quis ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi; aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi?* q. d. Quis pater est tam inimitis, à quo si filius inediâ periturus panem postularet, illi lapidem adjiceret, quô lapides illi molares excuteret. Et si hæc vobis sufficiunt ad spem nutriendam filii erga parentem; quantò majore fiducia ad Patrem cœlestem potestis? Nam si vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se. Si securus filius recurrit ad Patrem, quòd non daturus illi sit noxia, quantò amplius Pater cœlestis dabit salutaria petentibus se. *Solus sic pascit mortis author. Lapides ille esurienti offert.*

Luc. 11. v. 11.

IX. Haud diffiteor, Patrem cœlestem nonnunquam dispensare etiam suis fidelibus panem arctum, & aquam brevem, periclitari eorum virtutem in frigore, fame, siti. Fateor, itidem Sathanam subinde blandis ad speciem palpare epulis, irritare gulam illecebris; verùm ut panis ille Patris æterni nauticus subitò refingitur in panes Martios, ac saccarites; ita Zabuli illecebræ transmutantur in fel, & calculum. *Suavis est homini panis mendacii*, inquit Sapiens, *& postea implebitur os ejus calculô.* Sapit hic panis in palato, sed desipit in gutture, & stomacho. Ubi enim quispiam ejusmodi offam à patre mendacii saccarô, & melle inunctam & à Deo veritam devoraverit, sentiet perinde ac lapidem molarem indigestibilem in præcordiis amaricantis, ac remordentis conscientiæ.

Prov. 20. v. 17.

X. Quanquam quid dico? Assero tametsi in præsenti ad speciem mollibus suos vernaculos tractare videtur, clam tamen interit lapides, totidemque bolos ingerit, quot prava consilia suggerit.

Mirationi cuique esse potest, quòd alii in tantum indurentur, ut nec minis, nec precibus, nec verberibus, nec ipsis prodigiis resipiscant; videtur cor ipsorum præfractum, & obstinatum instar lapidis. Unde istud? Si Philosopho credimus ex iis constamus, quibus nutrimur. Cùm itaque impiorum cor sit lapideum, consequens est, jam nunc à patre mendacii ali eos lapidibus; & esu lapidum obriguisse in saxa. Non solus serpens comedit terram, sed quicumque serpentem tanquam ducem sequuntur, lutô vescuntur. Imò ut delicatiùs aliquantulùm suis militibus Dux, & Primas epuletur, si terram ipse comedat, illis soli supersunt lapides in escam. Quos non cibos duntaxat impiorum esse pronuntio; verùm & bellaria.

Confessione Sagarum frequentissimâ, & experientiâ constat, Zabulum, dum ipsas convivio excipit, plerumque non nisi morticina, cadavera fœtida, fimum equorum fascinô Avernali ad illecebras condire, & salis lapides instar saccari lingendos apponere. Quis itaque non videt lapides & marmora esse impiorum bellaria?

XI. Verùm si in præsenti, dum primùm

mùm ad ſuam quòſpiam ineſcat ſervitutem, tam barbarè, crudeliterque illos tractat, conjicite inſuper an non in altero ſæculo, in quo omnino juris ipſius futuri ſunt, multò crudiora, & abſurdiora apponet? Si nunc pleriſque paleas ſtygius Pharao ſubtrahit, & ſiliquas; quantopere timendum ſceleratis, ne ſubinde, ceu epuloni guttulam aquæ deneget? Si in hac vita pro pane dat lapidem, pro piſce ſerpentem, pro ovo ſcorpionem; an non in altera vita ignitos ſerpentes, ſcorpioneſque cum pice & ſulphure attemperabit? Et ne id tandem cuipiam eveniat, videat, ne illo inſtigante ad offas vetitas lubricet, aut ipſius perverſis ſuggeſtionibus acquieſcat.

§. III.

Sathanæ Bellaria.

XIII. Aſſequor tertiò bellicum hoc eſſe convivium ad nos ſubjugandos ex ipſis bellariis. Et quænam illa? Pomum idque fucatum, pulverulentum, Sodomiticum.

Chriſti tertia tentatio.

Nôſtis utique regna, & imperia in pomo figurari, eáque de cauſa Regibus, ac Imperatoribus in ſymbolum offerri. Hoc pomum præſumpſit impius Veterator ipſi Chriſto Domino offerre, ſi fortè eidem genua lunaſſet.

Tentatio avaritiæ maxima.

Et eheu quot ſunt, qui eodem, aut particulâ illius, tanquam globo exæneo miſſo tormento coram ipſo concidunt. Quo ariete, aut globo avarum proſternit, nimirum iſto: *Tibi dabo* lucrum. Quo ambitioſos evertit? Hoc ipſo *Tibi dabo*, intellige nomen, inanem gloriam. Quô Virginem in impudicitiæ pertrahit barathrum? hoc pomô: *Tibi dabo* veſtem, annulum, armillas. Quibus viis alios in centena conjicit diſcrimina? hoc pomô: *Tibi dabo* Regales tres, quatuor, quinque. Quibus mediis ad fraudes, machinationes, offucias procreandas utitur? hoc pomo: *Tibi dabo.* Hoc ineſcantur ſummi, infimi, maximi, minimi, ejuſque nutibus obſecundant.

XIV. Hos à caſu revocaturus, aliósque ab eo conſervaturus, obſecro tantiſper pomum illud maſticent, & ruminent; expendant munera vel veriùs promiſſa.

Diaboli offucia.

Nam primò oſtendit pomum illud, ſeu omnia regna mundi, deforis, non intus; cuticulam, non medullam; gloriam, non cruces, angores, labores, pericula. Si enim illa penetrarent, ac noſſent aucupes honorum, quantis malis refertæ ſint tiaræ, ac diademata, ne humi quidem jacentia tollerent, prout quondam experientiâ doctus dixiſſe fertur Seleucus, & Antigonus.

XV. Deinde non oſtendit ea ut in ſe ſunt, ſed in imagine duntaxat, tanquam in mappa quapiam Geographica. Nullus enim tam ſublimis mons eſt, ex quo vel unum Hæmiſpherium conſpici queat. Et ſi daretur oculus humanus, nec ad unius regni fines pertingeret. Conſequens ergo eſt, phantaſticam illam, ac inanem fuiſſe repræſentationem.

Radbodi illuſio.

Hunc in modum Radbodo Duci illuſit palatio ſplendidiſſimo, perinde ac cœli aula præſentato; quatenus eum à

Vincent. in Spec. hist. lib. 23. c. 146. sacro latice revocaret; quod & obtinuit.

Eodem astu S. Antonio discum argenteum & auri massam objecit, quæ tamen fraude perspecta illico evanuerunt. Suppari astu Heliogabalus Tœnarius fascinat veneficos, strygesque, quibus plurima ostentat; pauca, aut inania elargitur.

In Vita.

Temporalia bona momentanea.

XVI. Tertiò, S. Luca testante, ostendit pomum hoc in *in momento temporis*, vel ut Arabicus legit: *In fulgure.*

Sedecias Rex per horas bene multas Legato Babyloniorum suas divitias, ac opulentiam spectandam exhibuit; Rex Brachmanorum per dies tres Alexandro Magno; Darius septem diebus suis hospitibus; Diabolus in momento, in fulgure, quod ut paret, disparet.

S. Ambr. in h. l. Causam dat S. Ambrosius: *Benè in momento temporis sæcularia omnia, & terrena demonstrantur. Non enim tam conspectus celeritas indicatur, quàm caduca fragilitas potestatis exprimitur.* Scinde, finde hoc pomum, aut circumda circulo æternitatis, & senties quod dico.

Conformia cùidam miranti qua ratione Sanctissimo Patriarchæ Benedicto in radio Solis totus mundus spectandus exhibitus esset, respondit: *Quia videnti in luce Creatoris, breve est omne, quod creatum est.* Felix ille, qui prætereuntem mundum præterit, nec tam modicis ac momentaneis, quàm æternis pascitur.

D. Greg. lib. 2. Dial. c. 35.

Diabolus multa promittit, nil dat.

XVII. Tandem multa promittit, nihil dat. Imò nihil habet, quod det, nisi forte alteri eripiat. Certè utut se jactet, uni non poterat dare omnia, nisi ab omnibus omnia auferret; quod illi impossibile. Non ergo poterat, nec intendebat dare, quod promittebat, sed quemadmodum mentitus est primis parentibus, pollicens eis Divinitatem, quam nec poterat, nec intendebat conferre, pari ratione Christo imponere nitebatur. O, quot ego hîc succenturiare possem, qui posteaquam per fas & nefas eo promotore sibi pinguissima quæ polluebantur, tandem in vado omni aqua bonorum destitutos hæsisse.

XVIII. Quòd si tamen cuipiam quid contulit per technas, & offucias, id cum ingenti subinde exigit usura. Porrexit Evæ pomum, & surripuit paradysum. Donavit triginta argenteos Judæ proditori, & laqueo addixit. Obtulit Absoloni regnum, & è quercu suspensum, vitâ spoliavit. Dedit Esau lenticulam, ut auferret hereditatem. Obtrusit mandragoras Rebeccæ, ut Jacobi suffurarentur amores, &c. Non enim quidpiam suis sufficit mancipiis, quasi ipsorum curam ageret; sed ut in scelera lubricent graviora. Ut enim gloriam suam vel consequantur, vel tueantur, quot juramenta, perjuria, usuras, simonias, vindictas, odia, homicidia, atque alia perpetrant flagitia! Ut divitiis potiantur, quot fraudibus, dolis, injuriis, sese contaminant? Ut delitiis fruantur, quot fornicationes, stupra, adulteria committunt, seque obnoxios iis omnibus exolvendis reddunt. O misera, ac detestabilis tractatio, quæ tot, tantisque permixta est amaritudinibus! O infelices epulæ, quæ tam acerbo condiuntur absynthio!

Diabolus cum usura exigit.

XIX. Quisquámne igitur futurus, qui ab eodem Veteratore invitatus, annuat; & vel loci honore, vel illecebris aliis seduci se sinat? In rebus forensibus equidem tam circumspecti sumus, ut nemo nostrûm pro glandibus uniones profundat; glaream auro adæquet, hæreditatem suam pro nucum putaminibus exponat. Vah, & in rebus animæ salutem concernentibus tam sideranti inveniemur, ut bona ipsius immobilia cum caducis, inæstimabilia cum vilissimis, æterna cum transitoriis commutemus? In temporalibus quisque ab institore sycophanta avertitur, in spiritualibus ad impostorem omnium maximum convertemur? In temporalibus nobisinet subinde non fidimus; alios ad nostra consilia cogimus; in spiritualibus citra ullum arbitrum, & ducem feremur? Potéstne quidpiam insulsiùs, aut dementiùs fingi, aut cogitari?

XX. Eja, quisquis sapit, Patrem omnium credentium æmuletur; & si fortè illi Sathanas, perinde ac Abrahæ Rex Sodomæ multa spondeat, & offerat, dicat cum eodem: *Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum, possessorem cæli & terræ, quòd à filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt.* Si quæris causam? Accipe: *Ne dicas, ego ditavi Abraham.* Id est: Nolo divitias de manu Regis Sodomæ, nolo de manu diaboli, nolo per fraudem, nolo per dispendium animæ meæ, quodcumque suspectum munus, nolo accumbere mensæ Lemurum. Ab unica manu Dei quæcumque mihi cum virtute obventura sunt, accepta erunt, cætera ingrata, ac detestanda.

Gen. 14. v. 22.

Quisquis sapit, is provocatus ad prævaricandum præceptum Domini, suásque voluptates sectandas, perinde ac Balaam Vates à Balac, dicat cum eodem: *Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti, & auri, non potero immutare verbum Domini.* Si Balac Avernalis vel totum mundum obtulerit, ut transgrediar Verbum Domini mei, præceptum illius id eo adjuvante nunquam committam. *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur.*

Num. 22. v. 18.

Quisquis sapit, æmuletur Christum Ducem suum, resistat strenuè diabolo, & fugiet ab eo.

Ita confido futurum, ut ejuratô hoc Tœnario Veteratore, accedant Geniâ cælestes, & famulentur nobis. Amen.

CONCIO XVI.

IN DOMINICA II. QUADRAG.

Et transfiguratus est ante eos.

Matt. 17.

ARGUMENTUM.

METAMORPHOSIS HOMINIS MULTIPLEX.

I. NIhil omnino in hac mortalitate tam inconcussum, tamque immutabile, quod cùm sublimatum fuerit, illico non immutetur, aut transformetur. Aud. Subvehitur extra suam sphæram aër, & igneum assumit genium. Elevatur liquor, & vel attenuatur in rorem, vel densatur in nebulam, vel coit in nubes, ac tempestates. Assurgit mediantibus sulphureis exhalationibus tellus, & in tonitrua, fulgura, fulmina convertitur.

Idem prope usuvenit hominibus, ut primùm hi vel volubili fortunæ essedo subvehuntur, vel honoris quodpiam subsellium conscendunt; vel aliis naturæ, aut gratiæ donis supra cæteros sublimantur, actutùm vel in melius, vel in deterius transformantur, & transfigurantur. Quod cùm elucido, à tuo divinissimo vultu Christe Assertor in Solem transmutato lucem, à Vobis aures efflagito.

PARTITIO.

II. EMinentissimus quà dignitate, quà sanctitate, quà doctrina Hugo Cardinalis, in explanatione hodierni Evangelii triplicem in nobis observavit transformationem: *Alii*, inquit, *se figurant, alii defigurant, alii transfigurant.* *Hugo Car. in Evang. h.*

§. I.

Quinam figurantur in monte.

III. PRimi sunt figurantes. Est verò figura apud Philosophos: *Extrema aspectabilis, & in oculos incurrens species.* Ap. Oratores *Cõformatio quædã sermonis* *Figura quid sit.*

Cic. de Orator. *elegantior remota à communi ſenſu, & loquendi conſuetudine.* Apud Poëtas: *Aſſumpta in ſcenicis actionibus perſona, vel alia quævis externa ſpecies, non tam rem, quàm apparentiam rei exhibens.*

Hujuſmodi figuris utuntur imprimis nonnulli virorum, fœminarumque, quæ in aliquem opulentiæ collem præ cæteris ſubvectæ, totæ quantæ ſunt in figurando corpore. Omnia fumum, cynamomum, balſamum redolere debent. Figuras aptant fronti, figuras pectori, figuras manibus, figuras calceis, ut totæ in figuras abiiſſe videantur. Cùm ſæpiuſculè tenebras intus circumferant; ita fulgent exteriùs, ut nemo in luce gemmarum ab iis ſuccenſarum lippire poſſit; ipſas præter fœminas, eas circumferentes.

IV. Et hæ figuræ quidem pro ſtatus illuſtrioris conditione, nonnunquam appoſitè adhibentur. Illud mirabiliùs, quòd aliæ in vallibus paupertatis conſtitutæ, lacernis atque centonibus ſuis celandis adhibere eas nitantur.

Ex harum tribu illam fuiſſe mihi perſuaſerim, quæ ab Eliſæo Propheta quæſita quid haberet in domo? repoſuit: 4. Reg. 4. 2 *Non habet ancilla tua quidquam in domo ſua, niſi parum olei, quo ungar.* Non habet panem, non habet potum, mendicare debuit. *Non habet quidquam.* Scutellæ ipſæ, & ſuppellex eſt vendita, fundis antea dilapidatis. *Non habet ancilla tua quidquam.* Attamen figurare ſeſe, ac pingere haud deſtitit, unguenta, oleumque adhibuit, quo foris in oculis hominum niteret. O ſtulta, & ſidera ta mulier, nonne hoc oleo ſatius condiendum fuerat olus? nonne pulmentum potiùs, quàm facies? vel ſi corpus condiendum nonne præſtabat interius, quam exterius? Vis dicam, quid ſentiam de te? Vereor ne ex illis ſis una, de quibus Tuba Spiritus S. Paulus: *Vidua, quæ in delitiis eſt, vivens mortua eſt.* 1. Tim. 5. v. 6. Eam ob rem unguenta adhibes, ut cadaver tuum condias. Sed & non ſemper bene olet, quæ bene ſemper olet. Vel certè ex iis, quæ oleum, & operam ſeſe perdidiſſe, ſeriò tandem ingemiſcunt. Profectò nunquam perditur ſtultiùs; quàm cùm ad id uni ſtudetur vanitati.

V. Ad eandem tribum referuntur, quæ in monte Thuris transfigurantur. Hæ cum intus plenæ ſunt dolo, & iniquitate, afforis figuris quibuſdam, ſeu characteribus devotionis, vel potius hypocriſis effulgere conantur. In eum finem nomen ſuum dant Sodalitatibus diverſis, etſi earum ſtatuta minimè recipiant. Oratoria ſua exornant variis lipſanis, ac parergis imaginum; ipſam orationem figurant ejulatibus, ac geſtibus exoticis, tepente quantumvis corde, & ad alia converſo. Portant ſcapularia, cingula varia, cruces deauratas, ſed plumbeum affectum. Templa illa viſitant, ubi major concurſus hominum, vel ut figurato delectentur cantu, & aſpectu aliorum, vel ut oblectent alios. Sæpius ſacram Synaxim frequentant; ſed perinde ac cibum quotidianum ex conſuetudine deglutiunt. Omnia fiunt ab iis ad apparentiam, & pompam, parum ad veritatem. *Devotio ficta.*

Ad eandem miſſis aliis tribum ſpectant, qui aſcendere videntur montem Aceldama, montem crucis, ac pœnitentiæ; *Hypocriſis in pœnitentia.*

tiæ; gestant habitum monasticum, & ciliciis corpus divexant; Sed ab iniquitate sua nec digito recedunt, pilum non mentem mutant, instar corvi ad suum cras revertuntur, & felis instar à sua venatione haud desistunt.

Fabula de cato. Ferunt ex illis quampiam, colore niveam, in vas fuligine, ac sepiâ plenam prolapsam, pellémque nitidam hoc pacto in furvam commutasse. Id videntes mures, gliresve exilire gaudiô, & inter se tripudiare, ratæ meliori redonatam vitæ, & esurialibus abhinc escis, posthabita venatione, fore contentam. Verùm brevi patuit, pilum, non animum mutasse, cùm ludibundos aggressa, unum post alium Letho dedit. Hunc in modum, ajo, bene multi transformantur; verùm, ut *figura hujus mundi*, Apostolo teste, *præterit*, ita non minùs istorum, vel istarum pœnitentia, ac devotio.

VI. Sanctus Joannes eos adumbrat *Apoc.12.4* in sacra Apocalypsi sub schemate stellarum decidentium, & similitudinem cometarum præseferentium. *Est visum*, ait, *aliud signum in cælo. Et ecce draco, - - & in capite ejus diademata septem, & cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram.* Vermis exitialis unicâ caudâ suâ tantam vastitatem cælis intulit. Quid hoc rei Auditores? Num tam molli dexterâ affixit has lampades aureas, atque argenteas Omnipotens, quòd non unguibus, non pedibus, aut dentibus ea sidera detraxerit, aut avulserit, sed caudâ suâ perinde ac scopis everrerit è tabulato *Hypocritæ cometes.* cæli? Non stellæ eæ fixæ debuerant esse, sed muscæ, papiliones, sidera errantia, quæ caudâ pavonis, aut draconis abiguntur. Ita est. Aud. Cometes fuerant, qui figuram quandam stellarum præseferunt, in damnum aliorum lucent, & evanescunt momentô. Hi omnem splendorem deforis effundunt, intus inanitate pleni sunt. Ad hos cometas, ad hæc sidera errantia, neutiquam dentibus, aut unguibus opus est, caudâ draconis trahuntur, ejus nutibus obsecundntes, eique se in omnibus conformantes. Ideoque hæc figuratio subitò disparet, & in nihilum, seu umbram crassam convertitur. Figuræ enim sunt, qnæ ad solam apparentiam micant, quæ in ictu prope oculorum prætereunt, vel ad ipsum inferni barathrum occidunt.

§. II.

Recensentur, qui in monte deformantur.

VII. ALii sunt, qui deformantur in monte. Hi sunt, qui cùm in montem officiorum, ac dignitatum provehuntur, in pejus mutantur, ita ut *Superbia deformat.* seipsos haud agnoscant, amicos, & sanguinem despiciant, rationem exuant, nec hominibus duntaxat, sed Superis ipsis injurii existant.

De his verè cecinit Hymnopæus: *Homo, cùm in honore esset, non intellexit,* *Ps.48.13.* *comparatus est jumentis insipientibus.* Homo, cùm insignitus esset ratione, ac summa præditus sapientia, in tantum abusus est lumine rationis, ut ad unguem bestiis concolor redditus sit. Quamdiu lacernâ indutus erat, fulsit ei lucerna discretionis; at ubi purpuram induit,

induit, unâ etiam mentem saniorem exuit. *Homo cùm in honore esset, non intellexit.* Quando cœpit eminere supra homines, infra homines ad brutorum animalium statum devolutus est. Descendit ex solio gloriæ suæ, & ad latibula ferarum deflexit. Ratio, stupendâ metamorphosi, migravit in cornua, paludamentum mutatum est in villos, mores humani in ferinos abiêre. *Homo cùm* &c.

VIII. Rei hujus veritatem si non tam auribus, quàm oculis haurire libet, ad principem omnis apostasiæ Luciperum eos convertite. Quàm speciosam, quàm amabilem, quàm gratiosam nactus hic erat indolem! Ezechiel Vates in persona Regis Tyri eam describens, ait: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in delitiis paradysi Dei fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum, Sardius, Topazius, & Jaspis.* q. d. Tu eras sigillum perfectè incisum, planèque referens, & exprimens tuum, tum exemplar, tum opificem, seu sculptorem. Tu omnium rerum formam, pulchritudinem, & dispositionem explebas, velut signata Dei, & expressa similitudo. Tu novem choris Angelorum, perinde ac lapidibus pretiosis vestitus, ac amictus eras, omniumque perfectiones, utpote Superior ipse continebas. Talis tantusque erat Lucifer à die, quâ conditus fuerat. At ille vecors, cùm tanto in honore esset, non intellexit, & hæc omnia in materiam superbiendi convertit. Non suffecit ei tanta largitas Conditoris, nisi idem diceretur, seu existimaretur de ipso, quod de Deo. Negavit planè Deum Creatorem suum, & sese Deum blasphemâ præsumptione professus est. *Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi.* Vel ut alio in loco oracula: *Ascendam super altitudinem montium, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, similis ero Altissimo.* Quid factum? Respondet ibidem Isaias: *Detracta est usque ad inferos superbia illius.* Transfiguratus est ex Lucifero in noctiferum, ex Angelo in Diabolum, ex similitudine Dei, in similitudinem absurdissimi draconis.

Superbia Luciperi.

Ezech. 28. v. 12.

Isa. 14. 13. 14.

IX. Occurrat item Protoparens vester, & ipse ad imaginem, & similitudinem Dei conditus, & arbiter terræ, ac vicarius constitutus. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli.* Nonne & hic interveniente fastu, mutavit gloriam suam? *Comparatus est jumentis, & similis factus est illis.*

Superbia deformat Adam.

Gen. 1. 28.

Expendit casum ipsius Pater mellifluus, & quærit, quidnam sibi velint illa verba Domini ad ipsum prolata: *Ecce Adam, quasi unus ex nobis factus est.* Quomodo ait, Adam secundùm prævaricationem factus est Deo similis? Contrarium planè dicendum fuerat, quum similitudo in gratia DEI, quam is perdidit, consistat. Respondet idem sanctus Abbas quæstioni propositæ: *Puto jumenta dixisse, si it a loqui fas est: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Videntes enim indutos tunicâ pelliceâ, in similitudinemq; suam quadantenus redactos, & non valentes explicare sensum suum; Deus illorum vices supplevit, dicens: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est,* quasi una bellua evasit absurdissima.

Gen. 3. 22.

Bern. s. 33. in Cant.

Eandem

D. Greg. in Evang.

Eandem rationem adducit D. Gregorius, ob quam pelliceâ melote eos circumdederit: *Fecit eis tunicas pelliceas, ut veste belluina uterentur foris, qui intus belluina cupiditate animam deformaverant.* Ecce vobis transfiguratio-nem, seu potius deformationem, in montem Aram, seu superbiæ factam.

Superbia Nabuthū in belluam transformat.

X. Verùm inter alios insignius eam in Nabuchodonozor Rege inspicite. Adumbrata erat persona illius in arbore perquam sublimi, & elegante, cujus proceritas cœli concava contingebat, cujus folia pulcherrima, & fructus ejus nimius, in cujus ramis nidulabantur volucres cœli, & ex ea vescebatur omnis caro. Tantus erat dignitate, ut caput cœlo inferre crederetur; tantus potentia, ut sub ejus umbram volucres cœli ac bestiæ terræ, id est justi, ac improbi sese reciperent; tantus opulentiâ, ut omnibus fortunæ bonis vallatus esset. Hic tamen ex albo hominum expunctus, ex consortio eorum sequestratus, ad bestias relegatus, in bisontem, seu

Dan. 4. 22

Urum transmutatus est. *Ejicient te ab hominibus, & cum feris erit habitatio tua, & fœnum ut bos comedes*, ait ore Domini Propheta Daniel. Et Dominus

Ibid. v. 13.

ipse: *Cor ejus ab humano commutetur, & cor feræ detur ei, & septem tempora mutentur super eum.* Quæ universa venerunt super Nabuchodonozor Regem, & fœnum ut bos comedit, & cordis ac corporis ejus temperamentum ita immutatum est, & efferatum, ut perquam simile esset feræ bestiæ, quantum fieri potuit, citra humanæ naturæ amissionem.

Hem quæ saga, quæ Medea Regem tantopere deformavit? Ex quo fonte tam abominanda redundavit Metamorphosis, ut ex aula ad caulam expulsus, ex palatio in agrum actus, ab epulis ad fœnum relegatus sit? Me hercle non aliunde, quàm quòd in montem Aram conscenderit. *Quia elatione cogitationis suæ se supra homines extulit, ipsum quem communem cum hominibus habuit sensum hominis amisit*; inquit D. Gregorius. Ascendit in montem, & ait: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Hæc cùm ingenti fastu protulisset, & sermo etiamnum esset in ore ejus; intonuit oraculum: *Tibi dicitur Nabuchodonozor Rex, regnum tuum transferetur à te, & ab hominibus ejicient te, & cum bestiis, & feris erit habitatio tua; & fœnum, ut bos comedes.* Eo quod in tanta dignitate alios despexeris, in tantis regni splendoribus Deum largitorem, ac Dominatorem omnium, non agnoveris, sed perinde ac brutum sensu proprio abductus tibimet ea omnia bestiali ausu arrogaveris, immutaberis, ac deformaberis, ut talis afforis appareas, qualis intrinsecus lates. Et quia prius in anima brutalem spiritum circumtulisti, in corpore subinde eundem ostentare, ac præseferre compelleris. Nempe: *Homo cùm in honore esset &c.*

D. Greg. lib. 5. mor. c. 6.

Ibid. v. 28

XI. Quòd si hodierna luce omnes ii transfigurandi forent, qui Nabuchodonozore imitantur, & in montes eluctantur superbiæ, vah quæ non mōstra, quas non belluas, quos non bisontes, capros, hircocervos intueremur: Verùm utut humanos ea monstra effugiunt oculos,

videt illa Deus, videt tutelaris Angelus, videt, vel certò indubiâ conjecturâ assequitur Diabolus. Videt Deus, & execratur; videt Angelus custos, & compatitur, videt Orcus, & exultat. Videt Deus & dicit: Hæccine est imago mea, hæccine similitudo, ad quam condidi? *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* Ego te suscepi in filium regni, quomodo evasisti in filium perditionis? Ego tibi coronam gloriæ præparavi, & tu serto contumeliæ incingeris? Videt, & audit hæc Angelus defensor, & ait: *Miserere Domine, miserere & indulge. Si iniquitates observaveris Domine, quis sustinebit?* Videt, aut assequitur Sathanas, & insultat, atque exululat: Feri Domine, fulmina sceleſtum caput, & in Tartarum demerge. Videt Deus, & loricatur ad eum perdendum; Quia *Deus superbis resistit.* Videt Angelus, & movetur ad eum deferendum; videt Sathanas, & sollicitat ad cohabitandum.

Thren. 4.

Eheu, quisquis in montem hunc conscendisti, cave præcipitium, time ejusmodi transfigurationem, ne subeas æternam confusionem, ac damnationem.

§. III.

Exhibentur, qui cum Christo transfigurantur.

Transfiguratio Christiani quæ sit.

XII. TErtiò alii inveniuntur, qui in monte constituti, cum Christo Domino transfigurantur. Est verò hæc transfiguratio, seu transformatio nihil aliud, quàm figuram Christi, ex ipso, tanquam ab exemplari in nobis depingere, Christum meditari, ejusque vestigia sectari. Ut quemadmodum ille in sua transfiguratione declaravit latentem Divinitatem sub sipario humanitatis; ita nos moribus nostris Christum in nobis habitantem.

Suasit hanc Transfigurationem Colossensibus suis Vas electionis in hæc verba: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum, qui renovatur in agnitionem, secundùm imaginem ejus, qui creavit illum.* Induite novum Adam, exutò veteri, cum actibus, ac concupiscentiis suis; exuite cor à carnalibus, & sæcularibus desideriis, quatenus iis semotis induatis amorem Dei, ac cælestis patriæ. Exuite os ab omni detractione, ac imprecatione; & succedat in eorum locum vera peccatorum confessio, & bona de proximis existimatio. Exuite flagitia, (vetustatem corporis vestri) & assumite continentiam, ac innocentiam. *Induite vos,* (ut ibidem subdit Apostolus, *sicut electi Dei sancti & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, modestiam, patientiam.* Induite Christum interiùs, exteriúsve; ut cum eodem, atque in eodem operemini, non tanquam duo, sed unus; imitando hac in parte naturam ipsius divinam, ac humanam, quæ in unam personam conveniunt, ita ut actiones utriusque differentes, uni eidemque suppositò attribuantur.

Col. 3. 9.

Ejusmodi nostra sint opera, ac cogitationes, ac si unusquisque nostrúm operans, foret ipse Christus, nec quicquam committendo, quod ejus impeccabi-

cabilitatem, puritatemque dedeceat. Non videamus, nisi oculis JESU; non audiamus, nisi ejus auribus; non loquamur, nisi ejus ore; non laboremus, nisi ipsius manibus, perinde acsi anima nostra foret in impeccabili corpore Domini nostri JESU, & operationes ipsius omnes Theandricæ, in ipso, & cum ipso factæ.

Quemadmodum in glorioſa transfiguratione Christi splendor exterior à Divinitate in animam, deinde à Divinitate, & anima in corpus sese, ac vestimenta diffudit; ita claritas transfigurationis nostræ procedat primariò ex unione cum Christo, & meritis ipsius, ex inhabitante Spiritu S. & subinde etiam in corpus redunder; ut luceat lux nostra coram hominibus, & videantur opera nostra bona.

Et ut splendor, ac claritas in Christi facie non erat omnino extrinseca; non tantùm in aëre & oculis Apostolorum, sed ut ait S. Hieronymus, vestes & corpus penetrans: ita mutatio nostra non sit verbalis phantastica, personata; sed interior in anima, in moribus, in perfectione, in sanctitate non ficta. *Induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est, in justitia, & sanctitate veritatis.*

S. Hier. Ep. 61.

X. Verùm, ne minus in se expressisse, quàm suasisse videatur, se ipsum testatur alio in loco plenissimè transformatum. *Vivo*, ait, *ego, jam non ego, vivit autem in me Christus.* Vivo ego insertus in bonam olivam; ita ut non tam ego vivam, quàm Christus in me vivat. Non vivit in me lex peccati, non gula, non avaritia, non concupiscentia carnis, non natura, non voluntas propria, sed Christus ipse, gratiæ suæ, quasi animæ, & virtutum, quasi potentiarum motibus me agit ad omne bonum, & ad vitales virtutum actiones; quatenus ejus humilitas, fortitudo, sapientia, gaudium, pax, aliæque virtutes in me vivant, ac vigeant.

S. Pauli transfiguratio.

Gal. 2. 20.

Vivo ego, jam non ego: quia Christo Domino meo confixus sum cruci, nec sentio, nec attendo, nec amo quidpiam aliud, nisi quod est illius, aut propter illum. *O dulcis*, (exclamo cum S. Zenone,) *sententia*! *O damnatio necessaria*! *in semetipso homo jugulatur, ut vivat; percussor est, & percussoris gladius non videtur, percussi vulnus non hiat, non defluit sanguis exspirantis, non palpitat corpus, non decolor color est.* Ipse est, & tamen ipse non est, vetus quidem videtur domicilium, sed novus inquilinus mutatione morum exultat; novitatis suæ nobilitatem incredulis variis virtutibus probaturus.

Zeno h. t.

XIV. Hunc in modum & nos transformare, seu transfigurare par est; nisi vivere, ac mori beneficio redemptionis ingrati omnino velimus. Nonne hic inter alia cruentæ ipsius passionis scopus, & prope præcipuus extitit, ut *reformaret corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Ut exueremus veterem hominem cum actibus suis, & novum indueremus, ut à vinculis peccatorum expediti, adoptionem filiorum reciperemus. Tanti enim dolores, cruciatus, vulnera, injuriæ, contumeliæ, opprobria, quibus mors Christi abundat, ad nos redimendos neutiquam necessaria fuerunt; sed requisita

Christus passus ut imitemur. Phil. 3.

quisita ad exemplum, quod imitaremur, & ut omnibus numeris absolutum semper præ oculis haberemus. An non ergo summè ingrati, summè injurii sumus, & infando crimine obnoxii, si id detrectemus, & imaginem Christi non nisi è contrario reddamus?

XV. Res hæc, ut penitiùs mentibus vestris imprimatur, statuite vobis ob oculos hominem ethnicum, inter latibula ferarum, semotum ab omni commercio mortalium educatum, fidei, ac mysteriorum nostrorum omnino ignarum. Veniat is in hanc urbem, deflectat ad cauponam, prodeat in forum, perspiciat mores, ac mercimonia nostratium. Inde deducatur ad Basilicam, & exhibeantur eidem sacra pegmata, icones, mysteria alia. Quô putatis stupore non percelleretur? quàm sedulò quæreret, quid sibi velint ea sacramenta? quid ille patibulatus (ita enim rudis idiota loqueretur) in altari significat? Quid quæso tunc responderes? Utique si verus Christianus esses, ingemisceres, & diceres: Ita pro nobis Filius Dei assumptô humanitatis nostræ indumento, passus est, quatenus nos Patri æterno ob prævaricationem nostram exulcerato reconciliaret, ac debitum, quod contraximus, exolveret. Nam cùm in primo parente nostro divinis imperiis reluctante graviter læsæ illius divinæ Majestatis, facti essemus obnoxii, ipsemet Filius Dei sese vadem pro nobis interposuit, ne æternùm periremus; & ut ille Protoparens noster contra edicta Numinis manum ad pomum decerpendum extendit: ita & ipse manibus suis expansis, & trabalibus clavis affixis, expiare scelus voluit.

Instet ille Paganus, & dicat: Deum bonum! Ergone non potuit aliis viis mitigare iram Patris, atque aliis satisfacere mediis? Responde, quid sentis. Potuit utique remussitares, & quidem copiosissimè, vel unicâ alapâ, vel una oratione pro nobis profusa.

Urgeat adhuc, & sciretur; quid est itaque mysterii, quòd tam grave, atque infame crucis supplicium sustinere voluit? Quid diceres ad hæc? Nonne alias inter causas adduceres, id factum, ut esset nobis non tantùm Redemptor, sed & Magister, & Exemplar, quod imitaremur, quôque acerbitatem dolorum nostrorum leniremus.

Sed quid ille etiamnum reclamaret? Utique; vel hoc est falsum, quod dicitis; vel estis homines impiissimi, ac ingratissimi, qui tantis provocati beneficiis, haud respondetis. Credere enim Deum suum tantum amorem, patientiam, demissionem, aliásve virtutes exercuisse, quatenus suis vestigiis insisteret creatura, eámque tergiversari, non potest non esse execrabilis ingratitudinis vitium.

XVI. Vel ut veritas altiùs pateat, fingite unum duntrxat hominem in terris extitisse, cui hic favor concessus, uti ad eum instruendum, ac dirigendum in via salutis, ipse Filius Dei in terras descenderit, & homo factus, acerbissimisque excarnificatus suppliciis, in cruce mortuus sit, ita ut piissimus JESUS à nemine, præterquam uno illo fructum passionis suæ repeteret, ac expectaret. Quid vobis videtur? Nonne eidem, non plus facienti, ac modò quispiam nostrum, non modò saxa ipsa insulta-

rent,

rent; verùm etiam Angeli missilibus fulminum eundem persequerentur, & homines cæteri celerem de cælo vindictam scelesto capiti deposcerent; indignantes, erubescentésque è suo genere repertum tam enormis reum flagitii.

Et eheu, quàm fallimus nos ipsos! Nihil minus nos in præsenti statu, atque ille in suo, obstricti sumus ad conformandum nos illi in omnibus, & transfigurandum in ipsum. Ita enim pro omnibus insimul mortuus est, ac si pro quovis in particulari mortem oppetiisset. Ah! quomodo itaque cælum audemus conspicere, Christo Domino nostro tam difformes, tam ingrati, & maximo redemptionis beneficio indignissimi. Nonne nos tam discolores à Domino vel ipsi Ethnici in districto judicii die redarguent? Nonne vel ipsa saxa, quæ fissa sunt, ad tremendum Passionis Dominicæ spectaculum, nos dabunt in ruborem.

XVII. Ponite postremò Christum Dominum ipsum inter vos, uti quondam cum discipulis visibili specie versari, ea duntaxat intentione, ut vivum virtutis exemplar nunquam non præ oculis habeatis. Per Deum, quis tum auderet ab ejus imitatione, ac conformatione discedere? Quis non ejus intuitu ad virtutem inflammaretur? Quis non caveret exorbitare à semitis ipsius? Cur minus in præsenti facimus? An non etiamnum præsens? An non universa, quæ operamur, conspicatur? An non eam ob rem in S. Synaxi cum corpore & anima usque ad consummationem sæculi perseverare voluit, quò nos deiformes redderet.

Eja itaque adnitamur, quantum in nobis est, conformari prototypo nostro, conscendamus in montem Thaboreum per jugem vitæ illius meditationem, quoad ad montem Dei Horeb perveniamus, & transformemur de claritate in claritatem.

Amen.

CONCIO XVII.

IN DOMINICA III. QUADRAG.

Si in digito Dei eiicio dæmonia, profectó pervenit in vos regnum Dei.

Luc. 11.

ARGUMENTUM.

EXORCISMUS DÆMONUM.

I. IAm non unum draconi ſepticipiti caput contritum. Jam non unô quà in cælis, quà in terris proſtratus eſt ariete. Aud. Inibi ut caput abominandum extulit ſuperbiæ, dicens: *Similis ero Altiſſimo*, in tantum alluvione armorum cæleſtis militiæ Principis obrutus, enervatus, ac protritus eſt, ut & campo, & regno illo excedere fuerit compulſus. *Factum eſt prælium magnum in cælo; Michaël & Angeli ejus præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli ejus, & non prævaluerunt, neque locus inventus eorum amplius in cælo.*

Dæmon ſæpè victus.

Apoc. 12. v. 7, 8.

Hîc in terris redintegraturus vires, ac imperium, adſcitis in ſocietatem armorum rebellibus creaturis, recentem, nec minus formidandam meditabatur Bellonam. Et ecce rurſum brachio Altiſſimi in tantum coërcitus, ut capiſtratus adlatrare poſſit; admordere, niſi volentem, non poſſit. *In hoc enim*, (atteſtatur Cancellarius Verbi æterni) *apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli*; ut offucias ejus detegat, annihilet, & ipſum validiſſima crucis ſuæ armatura elidat.

1. Ioan. 3. v. 8.

Nondum tamen hiſce cladibus ab integro fractus, inſoleſcit, ac loricatur etiamnum; copias cogit, & educit, ſocios luſtrat, & armat; tot dœmoniorum, quot peccatorum. Omne enim ſcelus fœtus fœdi parentis eſt, & nec nomen, nec genus ab eo degeneri nixu mutat. Quid ſtatuam? Quid agam? In certamen brachia laxem? ſuccumbo.

Gigas

Gigas est, quem nec ipse David fundâ suâ prosternat. Hydra, cui capita omnia, nec Hercules domitor monstrorum demetat, & adurat. Leo, cujus ad rugitum vel ipsi invicti percelluntur Samsones. Dem manum? Impotentem Dominatum ejus non feram, Pharaonem omnem exuperat, dum & Nilo abyssi damnationis demergit, & clibano incendii gehennalis excruciat. Atat assurgam animis, nec tam umbone fragilitatis meæ, quam Ægide Divinitatis munitus obviam procedam. Novi mihi potestatem in eum cœlitùs collatam: *Luc. 9. 2.* *Dedit eis potestatem super omnia dæmonia.* Audio itidem in digito Dei (quod est Verbum ipsius) hac luce fulminatos. Utar ergo & potestate, & digito Verbi illius; eumque, quà exorcismis lacessere, quà sacro anathemate ferire tantabo.

NARRATIO ET PARTITIO.

II. NE Andabatarum ritu hastam torquere videar, statuendum mihi imprimis est, quot, & quinam sint fulminati Lemures illi, qui ut plurimùm hac tempestate non tam in poris corporum, quàm animorum toris lasciviunt, & efferantur.

Pelbartus. Specula Exemplorum perhibent, à sacro quopiam Incantatore eos in energumeno adjuratos ad evulgandum nomen suum, ac numerum, enuntiasse, Triumviros se esse, & Camerarios, seu Claudiorum de stirpe universos. Qua ratione urget Exorcista? Ego, inquit primus, sum *Claudens Bursam*; ut fraudulenter congregent, nec unquam obulum pro anima sua elargiantur. Alter subjecit, ego sum *claudens os*, ne quando scelera sua exomologesi ritè expient. *Dæmoniũ triplex.* Tertius concluśit, *ego claudens cor*, ne unquam integrè Deo, aut veritati pateat.

Expendenti mihi hodiernum Evangelium, totidem omninò, gemellosque eorum fratres obversari video. Audio enim ex iis unum esse Principem nomine Beelzebub: *Si in Beelzebub principe dæmoniorum ejicio dæmonia.* Alterum mutum: *Erat Jesus ejiciens dæmonium,* *Luc. 11.* *& illud erat mutum.* Tertium immundum. *Cùm immundus spiritus exiverit ab homine.* Et hi omnes nomine duntaxat à prioribus discrepant, re ipsa iidem sunt, & jure fulminandi.

§. I.

Exorcismus in Dæmonium Avaritiæ.

III. ET enim imprimis Beelzebub perbelle nobis adumbrat, & *Avaritia vitium capitale.* præfefert *claudentem Bursam*, id est avaritiam. Ille princeps dæmoniorum dicitur, & hæc Caput peccatorum: *Radix*, (inquit Doctor Gentium) *omnium malorum est cupiditas.* *1. Tim. 6. 10.* Ducit illa sub labaro suo fraudes, rapinas, injurias, perjuria, furta, sacrilegia; ancillatur illi superbia, sui indulgentia, luxus, simonia; Ambiunt latus ejus impietas in Deum, ac parentes; inhumanitas in fratres, & amicos; crudelitas in viduas, & pupillos. Nam ut S. Augustinus eam graphicè depingit: *Nec timet Deum, nec* *Aug. ser. de v. t. Dom.* *hominem reveretur; nec patri parcit, nec ma-*

matrem cognoscit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem servat, viduam opprimit, pupillum invadit, liberos in servitium revocat, testimonium falsum profert, &c. Radix omnium malorum est cupiditas.

Dicitur vero Princeps hîc nomine proprio Beelzebub, id est, *Vir, seu Dominus muscarum.* Et est apposita Euclionum nomenclatura. Nummos enim Saturnali verbo à S. Patre Seraphico haud absonè muscas indigitatos accipio. Vel quod illarum instar sanguinem aliorum, imò & proprium exugant; vel quod ex rebus fœdissimis identidem procreentur; vel quod illarum instar molestæ sint, & millies ex intimo mentis conclavi expulsæ ad vexandum, & pungendum remigrent. O si reserare cujuspiam mentis cameram fas esset, quot inibi muscas? quot cynipes, quot cicindelas deprehenderemus?

Divitiæ muscæ.

Nuncupatur, ut dixi, *Dominus* seu *possessor muscarum*, non Aquilarum. Non enim sublimes, & excelsas mentes malus hic Genius occupat, sed abjectas, quæ perinde ac muscæ stercoribus, ulceribusque; ita ipsi divitiis incubant. Omnia enim excelsus animus arbitratur ut stercora; sordentque terrena illi omnia, cùm cœlum aspicit.

Avaritia vitium abjectorũ.

Erat verò Beelzebub idolum Accaron, ab iis summo in honore habitum. Et quid quæso aliud avaritia, quàm *Idolorum servitus* Apostolo teste. Colebant illi argenteum, aut aureum simulachrum, devenerantur isti, basiantque argentum, & aurum icone cujuspiam principis insignitum. Et quidem eã veneratione, & cultu; ut ceu rem sacram attingere vereantur; & vel in extrema necessitate expendere, aut erogare expalleant.

Avaritia idolorum servitus. Eph. 5. 5.

Placabatur itidem hostiis, & sanguine præfatum idolum; sed & Mammoni non una litatur hostia, seu anima. Huic sese Judas proditor, laqueum inserendo in arbore consecravit; huic Achan devovit lapidibus subinde obrutus; Huic Jezabel Nabothi vineam despolians, & eapropter à canibus discerpta; huic Dalila, huic Saphyra maledictionis fulmine percussa; huic innumeri alii cum corpore, & anima se consecrarunt.

IV. Te itaque ô Beelzebub, te claudo Bursam te dœmonium mutum, surdumque ad exaudiendas miserorum voces, cujuscunque pectus obsides, (sive hîc præsentium, quod non arbitror; sive absentium) adjuro, & obtestor; ut exeas, & recedas ab hoc plasmate Dei, in quodcunque per omne nefas impotente tua tyrannide debaccharis. Imperat ipse tibi, ad cujus jussa tremit Olympus, & Lymbus, & Orcus. Ipse tibi imperat, cui nutat genu cœlestium, terrestrium, & infernorum. Audi ab eo fulmen damnationis tuæ per Habacuc Vatem intentatum: *Væ, qui multiplicat non sua; usquequò aggravat contra se densum lutum?* Væ tibi, qui cum peccati pondere terrena lucra cumulas, & te iis, quasi denso luto coangustas; quoniam difficulter inde pedes affectuum tuorum extrahes, ad cælestia eos elaturus, aut directurus. Væ tibi, quoniam & amaris, ut lutô inquinaberis,

Diaboli avari exorcismus.

Dira in avaros. Hab. 2.

ris,&possessis oneraberis,&amissis cruciaberis. Væ tibi, siquidem tam parùm tibi proderunt in districto judicii die divitiæ tuæ, atque lutum, quod in semitis pedibus teritur.

Audi eundem intonanten in sequentibus: *Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ*, (id est exitialem) *ut sit in excelso nidus ejus, & liberari se putat de manu mali; lapis, qui in pariete est, clamabit, & lignum, quod inter junctura est ædificiorum, respondebit.* Nempe, ego sum pecuniis iniquè partis empta; ego sum ab illo aut illo pupillo perperam vendicata; ego ab hoc avariſſimo, & sceleſtiſſimo habitata. Vindica, Vindica Domine.

Hab.2.9.

Avari maledicto obnoxii.

Audi aliud fulguritum vibratum per os Isaiæ: *Væ, qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis. Numquid vos soli habitabitis in medio terra*, quibus cor inferni justo Dei judicio destinatum? Quid tum proderit vobis cum aliis insipientibus superbia vestra, & divitiarum jactantia quid conferet? *Transibunt omnia tanquam umbra*; nec in hoc, nec in altero mundo ingluviem vestram expletura.

Isa.5.8.

Sap.5.

Audi itidem tubam Apostolicam insonantem ad Ephesios: *Hoc autem scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus (quod est idolorum servitus) non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Incidunt*, enim isti, *in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem.*

Eph.5.5.

1.Tim.6.7

Audi demum vocem ipsius venturi Judicis, supra te indolentis: *O quàm difficile est divitem intrare in regnum cœlorum.* Audi, perhorresce hæc fulmina, recognosce sententiam tuam; da honorem Deo vivo & vero, & exi actutum sub pœna detrusionis in abyssum, demersionis in stagnum sulphuris, in locum tormentorum divitis epulonis, ac impiissimi proditoris Judæ Ischariothis. Ut video nihil hic ultra malus genius oblatrat, excessit, evasit, erupit. Verto me ad alterum.

Matth.19

§. II.

Exorcismus Dæmonis muti.

V. ALter, inquit, ego sum qui *Claudos*, ne forsitan confiteantur scelus suum. Hoc planè est dæmonium hodiernum mutum, & ipsum virulentissimum. Cerberum mutum, & elinguem dixeris, qui eò dentem figit nocentiùs, quò minus latratu præcavet viatorem; aut Hecubam magis formidandam, quò tenaciùs taciturnam. Tum enim imprimis aconita apparat, cùm linguæ ferias indicit, & mentum suspendit vaccinum. Tum viro imprimis cavenda, cùm labia admordet indignabunda. Hac quippe de causa Sathanas Sigalionem ementitur, quatenus eò latiùs diffundat toxica, quò occultiùs. Cùm enim unicum ad se exturbandum ostium confessionis prævideat, illud mordicus observat, & obserat, ne tam facile clavi pœnitentiæ referetur. Cæteroqui ad scommata evomenda, ad detractiones, ad blasphemias ingeminandas, os latissimè dehiscit.

Dæmonis muti malignitas.

Etiam cùm sacram ad exhomologesim accedendum est, facundissimus est. Tum enim peccatori vel maximè insusurrat, & obstrepit : Tune illi cuculo crimen istud propalabis, illi inquam inquilino urbis,& domus tuæ. Heu quam purpuram indues, ubi vel ille te, vel tu illum conspexeris. Nonne identidem tibi, quantumvis tacitus, occinet *Kuku*, tune es illa avicula? Tune virgo, tune sanctulus ille,quem rebar, &c. In Confessione verò multis fauces tam nefariè oppilat; ut vel veneni virorem omnino egurgitare non sinat, aut si scelus unum pandat, aliud celet, minuat, decoloret.

Reticentia in confessione fulminata.

VI. Et te ego mute spiritus in cujuscunque præcordiis latitas, in cujus lingua sessitas, cujus os obstruis, adjuro per eum, qui dedit potestatem ligandi, atque solvendi hominibus; qui unico verbulo *epheta*, surdum & mutum reddidit auritum, & eloquentem; qui te cùm aliàs ex aliis, tum ex hodierno Energumeno proturbavit: Da glorium Deo, expedi linguam, & metu umbratili exime.

Væ tibi, quia non secus atque Cain, (qui peccatum suum coram Deo instar Confessarii se tunc habentis confiteri noluit) damnâberis. Quemadmodum ille vagabundus, ac trepidus oberrabat; ita & tu quoquò te vertes conscientiam, ceu vindicem Furiam circumferes. Lancinabit illa tete, quoad ad tenebras adducat sempiternas: vermemque nunquam intermoriturum

Nah.3.5. sentias. *Væ* tibi, *quia revelabit Dominus pudenda in facie tua, & ostendet gentibus ignominiam.* Quæ in præsenti coram uno homine collactaneo tuo confiteri refugis, ea, in districto judicii die, inspectante orbe universo propalabuntur. Væ tibi, quia nunc sententiam Sacerdotis pro tua salute decernentis audire detrectas, audire cogêris tonitruum illud in caput tuum à justo judice fulminandum. *Ite maledicti in ignem æternum.* Væ tibi, quia qui nunc minimam expalles subire pœnitentiam, æternam sustinere cogêris lanienam.

Quocirca ô miser peccator, hîc dum vacat, huic Sathanæ abrenuntia, illius offucias expende, & unà mecum anathematiza. Cogita, an non multò melior sit amaritudo exigua in faucibus, quàm æternum tormentum in visceribus? Nonne præstat hîc ablui gutta lachrymarum; quàm inibi demergi in stagnum inextinguibilium flammarum. Nonne præstat nunc coram uno homine tui simili & æquè peccatis obnoxio ruborem tolerare; quàm coram orbe universo suffundi? Hoc terrenum tribunal ambit gratia, stipat misericordia, coronat gloria. Ambit gratia; quia non ut reum damnandum,sed ut filium suscipit ad patrem revertentem, stolâ innocentiæ exornat, annulo dilectionis consignat. Stipat misericordia; quoniam nihil supereſt in illo novissimo judicio fulminandum; quod in hoc humili confessione fuerit purgatũ. Coronat gloria; si enim fateris, à servitute peccati absolveris, in album filiorum adoptaris, misericordia, & miserationibus compleberis.

Confessionis commoda.

At verò tremendum illud Dei viventis Tribunal totum quantum exaspe-

ratum

ratum erit irâ, justitiâ, vindictâ, in peccatores. Tunc enim effundet omnem iram suam, & furor iræ suæ comprehendet eos. *Tunc omnis iniquitas oppilabit os suum*; & ut in hac mortalitate fauces illis præcluserat, ne illam expiarent; ita in die rationis, ne excusationem prætexere queant, est oppilatum, &c. *Psal. 106. v. 41.*

Tu verò mute spiritus adjuratus, & exorcisatus per virtutem sanctæ Crucis, quâ elisus, & profligatus es, per illius virtutem, qui dedit potestatem in te hominibus, per sanctissimum Nomen JESU, dulce, & amabile hominibus, tibi autem omni fulmine horribilius; extemplò te propipias à famulis Dei vivi; quatenus dum aures ad audiendum arrectæ, dum ostia gratiæ reserata, linguam ad seriam confessionem expediant, toxicum expuant; Deum, ac Dominum suum laudent, ac glorificent.

§. III.

Exorcismus Immundi.

VIII. TErtium dæmonium Ethymologiam sui nominis derivabat à corde. *Claudo cor*, ne fortè Deo pateret.

Hoc insistendo hodierno Evangelio, arbitror esse immundum. Hoc enim imprimis assumit septem spiritus nequiores se; nempe spiritum veneficiorum, ut philtra, & amatoria pocula propinet. Spiritum invidiæ, quatenus rivalem suum, odiô, ac livore prosequatur, illiúsque vitæ struat insidias; *Luxuria vitium capitale.*

spiritum prodigalitatis, quo sua, ad evincendum amorem dilectæ dilapidet; spiritum superbiæ, ut sese exornet supra statum suum, ac conditionem; spiritum furti, ut deficientibus mediis propriis, aliena surripiat; spiritum turpiloquii, & canticorum indecentium; spiritum denique imprecationum, votis omnibus in spumam abeuntibus.

Vel certè spiritus immundus fornicationum trahit secum septem nequiores; videlicet spiritum adulterii, sacrilegii, incestus, stupri, raptus, sodomiæ, bestialitatis.

Hoc itidem claudit cor, siquidem habitat ibi, ut vix ullis machinis sese moveri, ac profligari sinat. *Non dabunt*, ait de iis Oseas, *cogitationes suas ad Deum, quia spiritus fornicationis in medio eorum.* O quàm ægrè convertuntur, quibus hic spiritus dominatur! Samson ut vidit, flagrare cœpit; sed amare tum primùm dedidicit, cùm Samsonem exuit. Salomonis lapsum scimus, pœnitentiam ignoramus. Davidem quàm citò hic spiritus invasit? Vidit, & arsit. Ut verò evigilaret, Prophetæ monendus erat oraculo, ut ipsum subinde extingueret, pectus suum eluvione lachrymarum oppressit. Plorabat ipse, ne ille rideret; volutabatur in cinere, ut illum ambureret. *Non dabunt cogitationes*, &c. Ignis hic est, qui eliquat aurum, & argentum, sed lutum magis magisque indurat. Hirci hic sanguis est, qui vel adamantes virtutum infringit. Phœnix est, qui vel in cineribus vivit. *Non dabunt*, &c. *Oseæ 5. 4.* *Voluptas.*

Descripserat Propheta Isaias vastationem Babylonis, & solitudinem, *Isa. 13. v. 22.*

quam solæ feræ animantes habitaturæ erant. Nihilominùs in tantis ruinis voluptas vivebat; nec Sirenes abesse poterant à deletæ urbis parietinis. *Et accubabunt ibi Sirenes. Et Sirenes in delubris voluptatis.*

Luxuria etiam senibus inhæret. Greg. M. in Dial.

Gregorius Magnus de quodam Sene agente animam scribit, quòd cùm ad ipsum accessisset anus, visura, an exspirasset, illam intermortuis vocibus abegit, clamitans non interiisse adhuc fomitem carnis, spiritu deficiente. Sibi timuit ab anu senex jamjam moriturus. Enimverò non ausim illum ridere, mirari malo. Nam excisa, funditùsque eversa Babylone, non fugatam voluptatem video, sed Sirenes audio canentes in tanto luctu, soláque conspicio supereſſe delubra Voluptatis, collapsis diruísque cæteris ædificiis. Quomodo in vegeto corpore debacchabitur voluptas, quæ nec à labante, nec à lapso quidem abest. Canit in mœrore, silebit in epulis. *Ah! Non dabunt cogitationes suas ad Deum, quia spiritus fornicationum in medio eorum est.* Numquam aut rarò à calice Babylonis labia revelluntur. Rarò profligatur Luxuria, si semel ossibus hæserit.

In hodierno Evangelio domum suam immundam cor appellat, ex quo exterminatus exulabat. *Revertar in domum meam*; tanquam etiamnum sui juris esset; vel certè jus *protomisios* (ut vocant) ad illud occupandum haberet. Quia nimirum citò recurrit experta voluptas, nec plenè vincimus, si semel libidini succubuimus. Nullorum scelerum tam tenax est occupati aliquando cordis, ac luxuria. Nec humanam infirmitatem quidquam potentiùs sternit, quàm familiaritas Veneris, & assuetudo dulcis illecebræ.

VIII. Verùm te quoque præfractè, ac obstinatissime immunde spiritus haud fallat, impendere Rhadamanteum judicium, manere te pœnas tantò acerbiores; quantò te præstiteris pervicaciorem. *Cor enim durum malè habebit in novissimo.* Cor immundum in peccatis obstinatum, cùm semper cumulet peccata, eò quòd consectaneum est pœnas pœnis, secundùm duritiem, & impœnitentiam suam thesaurizat sibi iram in die iræ. *Væ*, inquit Dominus per Amos Propheten, *qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris.* Alia lectio habet: *Væ vobis, qui in decore estis, vos distenditis in stratis vestris lascivi & libidinosi.*

Libidinis supplicia.

Eccli. 3. 27.

Amos 6. 4.

Væ iterum vobis, inclamat Angelus Apocalypticus, *quia pars vestra erit in stagno ardenti igne & sulphure.* Paradysus voluptatis refingetur vobis in Sodomam & Gomorrham pœnalitatis. Omnia flumina delitiarum intrant in mare amaritudinum, & omnis delectatio doloribus terminatur. Væ vobis, tertiò inculcat idem, quia *quantum* quis *in delitiis fuit, tantum dabitur illi tormentum, & luctus.* Ex gutta mellis generabuntur flumina fellis. Væ, quia si in hoc sæculo ob luxuriam Numen Orbem cataclysmo involvit; si Sodomam & Gomorrham in perpetuum extinxit; si Zambri Principem cum viginti quatuor millibus ob id scelus Dominus

Apoc. 21. 8.

Apoc. 18. 7.

minus jugulare præcepit; si alii gravissimè puniti, quid non fiet in altera vita, in qua non tantopere forum obtinet misericordia, quàm justitia?

Væ tandem vobis, quia qui paradysum hîc obscœnitatis quæsivistis in terris, veræ ac indeficientis voluptatis, nunquam possidebitis in cælis. *Eph. 5. 5.*

Gravissimâ id emphasi inculcat ore Dominico ad Ephesios scribens sanctus Paulus, dum dicit: *Hoc enim scitote, intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Scitote*, ait, *intelligentes*; id est, diligenter incumbite ad id sciendum quod dico. Quid autem dicis, sancte Paule, quem excludis à parte regni Dei, & Christi JESU? Num parricidam? aut perjurum? aut Apostatam? *Omnis fornicator, & immundus non habet hæreditatem in regno Dei, & Christi.* Scipio est fractus super eos, conclamata eorum salus: *Omnis fornicator*, &c. Quòd si impudicos excludit à regno, corruptores virginum, Gomorrhæos incestuosos patietur? Hos, inquit, gehennæ mancipo, sed non solos; flammarum reos etiam fornicarios, atque immundos pronuntio. *Omnis fornicator*, &c.

XV. Quamobrem adjuro te, & anathematizo in nomine sanctissimæ, & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, cede, erumpe actutùm. Cede, inquam, in ultimas Orbis plagas, abscondere in intimis marmorum fibris, demergere in profundum abyssi magnæ. Collige illico vasa tua, & corda omnium credentium evacua. Id tibi imperat Omnipotentia Patris, qui finxit sigillatim corda eorum: id tibi imperat Sapientia Filii, quæ impendio sanguinis sui pretiosissimi illa redemit: id tibi imperat Bonitas Spiritus sancti, quæ eadem sacris lymphis sanctificavit, exornavitque. Imperat tibi JESUS Nazarenus, Rex Judæorum, cujus brachiis confixus es stipiti, cujus potentiâ, ceu fulgur de cælo decidisti, cujus decreto sempiternis involutus es incendiis. Cede, cede, difficile est tibi citra stimulum calcitrare. Cede, ne pervicaciâ tuâ gravioribus te obnoxium reddas tormentis. Cede, pavesce, contremisce.

Exorcism. immundi.

Quid agitur? ceditne? Nullum ad fulmina indicium exitus deprehendo. Unde istud? Non aliunde, quàm quòd tu miser arctissimè confœderatus sis Erebo. Non aliunde, quàm quòd perversa tua voluntate eidem conjugatus. *Peccator confœderatus diabolo.*

Parum dixi, tu ipse peccator immunde membrum illius es, frater ipsius, & hostis JESU CHRISTI. *Qui non est mecum*, inquit ille, *contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit.* Tu ipse dæmonium hoc in sinu tuo foves, & ne fulminibus meis percellatur, inhibes. *Luc. 11. v. 23.*

X. Te itaque adjuro, & anathematizo, resipisce miser dum tempus est. Redi, ac revertere ad Dominum Deum tuum. Redi, *antequam contenebrescat, & antequam offendant pedes tui ad montes caliginosos, & Miserere animæ tuæ placens Deo.* Nunc te monet, & rogat *Adhortatio peccatoris ad resipiscendùm. Ier. 13. 16. Eccli. 30. v. 24.*

Deus tuus, ut à peccatis lethalibus animum revoces. Audi nunc illum, dum rogat, ne postea non audiat ille, cùm judicat. Nunc ille causam tuam his verbis apud te agit, & à te non potest impetrare quod petit; quomodo te audiet in die novissimo supplicantem? *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Et, *Eccli. 5. 8.* Ne *tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Ignoras quàm multi sicut Core, Dathan, & Abyron in mediis peccatis absorpti sunt? *Rom. 2. 4.* *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit?* An alius tibi Orcus, & inferi condendi sunt, quorum ardoribus liquescas? An alter paradysus plantandus, cujus amoribus capiaris? An reparanda series reparationis tuæ; & recentia salutis remedia effingenda? An nondum satis à Filio Dei, tuo Assertore sudatum, ut exiret rubigo ex te? An verò quod è vestigio te tellus non absorbeat post scelus patratum, te impunitum fore, & nunquam multandum ominaberis? Latet nimirum, quòd Benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit, quòd infinita longanimitate præstoletur emendationem tuam, ne anima tua ad imaginem ipsius condita, tandem malè dispereat. Quia non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat. Vide igitur ô profligatissime peccator, ne *thesaurizes tibi iram in die iræ* secundùm duritiam tuam. Vide ne loco thesauri meritorum, ac charismatum cœlestium accumules tibi supplicia æterna. Vide ne in tempore vindictæ disperdat te, & ponat partem tuam cum hypocritis, & homicidis. Vide ne tandem fessus tot clamoribus te deserat, & in extremis clamantem non exaudiat. Vide & perpende hæc dum tempus est, & si vel gutta boni sanguinis in te est, contremisce, & liquesce.

Procrastinatio cavenda.

Tu interim benignissime Redemptor, quod fulminibus meis virtutis decedit, omnipotente tuo digito supple. Tu sacratissimo sanguine tuo induratissima præcordia irriga. Tu validissimo SS. Crucis ariete eò usque tunde, quoad tandem pressa ingemiscere cogantur. Ah JESU, ah JESU, ah Jesu parce, ignosce, miserere. Miserere ô Jesu mi, ô JESU Salvator. Hoc votum meum. Amen.



CONCIO XVIII.

IN DOMINICA IV. QUADRAG.

Iesus ergo cùm cognovisset, quód venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit ipse solus.

Joan. 6. 15.

ARGUMENTUM.

SEPTEM ELECTORUM IMPERII VOTA IRRITANTUR.

I. SEptem Imperii Electores ad jubendum novum Regem, generalibus comitiis adunatos, hodiernum exhibet Evangelium. Aud. Planiùs edico, quinque panes hordeacei, ac duo pisciculi calculo suo JESUM Nazarenum in imperium suum surrogare connituntur. *Cognovit JESUS, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum Regem.* Vereor tamen, ne quispiam actutùm in capite comitiorum per ea Jura Imperii infringi, aureámque violari Bullam obtendat. Comparent siquidem quini panes, ceu quini profani Electores in campo, in quo acies educunt confertissimas, ordinant, confligunt, vincunt, triumphant. At verò non nisi bini pisces in persona spiritualium ex profluente proximo subsellia sua occupant. Ut enim priorum officium est, aut bella movere, aut illata propulsare, ac restinguere; ita horum precibus insistere, innatare lachrymarum torrentibus; pro suis, populique delictis Numen placare offensum. Cur ergo tertius excluditur? aut quo jure profanus subsellium illius occupat? quid faciunt quinque panes, & non nisi bini pisces?

Conro-

Controversia hæc nullo deciditur negotio, si dicatur in his Comitiis non tam Romanorum, quàm Judæorum Regem creatum iri; aut unum ex iis necdum oleô inunctum, & eapropter non inter pisces, sed inter panes Laicos computari. Legitimum itaque conventum, quum esse constet, operæ erit pretium horum calculos Electorum exactiùs observare, eventumque comitiorum præstolari. Vos auribus, & animis adeste, ego munere Interpretis defungar.

§. I.

Vota Electorum excipiuntur.

II. PRæsentes Electores exciti tam evidenti, ac prodigioso epularum incremento, nihil se sanctiùs decreturos imperio; nihil digniùs delaturos JESU arbitrabantur, quam si illum communibus suffragiis Regem populi sui edicerent. Eam ob rem Primas ipsorum in hæc verba peroravisse creditur:

Electorum votum 1. Quod fastum, fortunatumque imperio nostro sit, & Superi bene vertant, convenimus hac luce, bono publico prospecturi, secureque nostris suffecturi calculis. Liquet enim probè, quò temporum iniquitate devolutum nostrum sit imperium. Ablatum est sceptrum de Juda, & Dux de femore David; alienique Semi-Equites principantur nobis. Patimur gemebundi Turtures invisum Accipitrem, vel ut liquidò edisseram, cum ranis sceptrum Jovis despuentibus experimur in Herode Herodium. Coaxare, vel ingemiscere, citra salutis periculum integrum non est. Votum itaque meum sit, si consultum nobis, ac imperio nostro imus; illi, quem Cœlites nobis destinarunt, JESU inquam Nazareno purpuram deferamus. In eo enim faustitatis non vana prognostica proximè desumpsimus, quando in immensum prope, ipsius Numine adolevimus. Exinde subsumere, & corollaria venturæ beatitatis deducere, cuivis pronum est; fore nimirum, ut eo moderante comedant subditi nostri panem in saturitate, & multiplicentur, augeanturve incrementa frugum agrorum ipsorum. Quin etiam, ut montes stillent dulcedinem, & rivi non mel, & lac duntaxat, sed massica spument in abundantia. Jam enim haud ementito accepimus Tripode, lympham stupendâ metamorphosi ad nuptias in Cana Galilææ in Liæum transmutasse, ac eodem hospites basilicè habuisse. Quocirca ad Carduum, Spinamve cum fatuis silvarum proceribus appellamus, si spretâ hac Cedro, & oleô, alicui extra ipsum fasces deferimus.

Amussis populi commodum proprium.

III. Dixit hæc ille, & illico excepit alter. Judicio meo necquicquam beatiùs humano generi obvenire posse autumo, quàm si beatæ pacis otiô, in omni rerum abundantia liberrimè perfruatur. Nemo enim sanæ mentis est, qui non experat Alcedoniis ferri, quàm tempestatibus, ac procellis jactari. Nemo, qui non satius paci, quàm Marti litet. Nemo, qui nolit ferias celebrare cum Superis, quàm cum Inferis tumultuari. Hæc sanè est beatitudo mor-

Votum alterum pro Christo.

Otium palmam præripit labori.

mortalium, quâ & corpus, & animam condiunt. Quippe:

Ovid. *Otia corpus alunt, animus quoque pascitur ipsis,*
Immodicus contra carpit utrumq; dolor.

Hæc in tantum Superis agnata, ut unum Sabbathismum agant, tota æternitate vacaturi. Quam & ego Reipublicæ nostræ obventuram, haud vanus augur præcino sub JESU Nazareno. Nam cùm in præsentia farinam, piscésque immoto pollice apparaverit, aliàsque Bromium citra torcularia propinaverit, omnino futurum ominor, ut & assæ de cælis columbæ in os advolent, & montes stagnent vindemiam. Quid igitur opus fuerit arare, occare, pastinare, serere agrum? quid metere, triturare, molere, subigere Cererem? quid pinsere, quid alia mechanica atque servilia opera suscipere, mensæ Solis accubituris. Jacebit unusquisque sub vite, vel ficu sua, & poma, perdicésque ultrò involantes prehendet, masticabitque. O nos fortunatos, ô nos felices, si ex hoc conchylio haurire beatitatis ambrosiam indultum fuerit. Quâ ut donemur, extemplò conveniendum eundem, & acclamandum decerno: Vivat JESUS Nazarenus Rex Judæorum, & Romanorum.

IV. Acclamo & ego, subjecit tertius eidem, ac votis vestris; idque multò ampliùs, quòd hoc otium millenis inspergendum salibus, ac solatiis præsumam. Etenim, ne fastidiosum nobis accidat Sabbathum perpetuum, ipse nobis exhibiturus est amphitheatra, daturus prodigia in cælo sursum, & signa in terra deorsum. Visuri sumus Angelos ascendentes ad ipsum, & descendentes. Arbitramur ea, quæ concupiverunt multi Patriarcharum videre, & non viderunt; audire, & non audiverunt. Ad votum illius, imò & nostrum mugiet tellus, fulgurabit olympus, cytharizabunt luscinïæ, exultabunt montes, sicut arietes, & colles sicut agni ovium. Haud calculum proinde tantum ad thronum inscendendum adjicio, sed & pallium; idque æquiore titulo, quàm quondam Samaria JESU substraverat; ego JESU Nazareno submitto.

Hisce Electoribus accessêre insimùl alii, & quà pollice surrectô, quà nutu corporis, vota dedêre sua.

V. Tum audita suffragia pro eodem JESU Nazareno ab exteris Principibus, ac Summatibus transmissa.

Primum erat Jacobi Patriarchæ, cujus tenor est: *Si Dominus fuerit mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & indumentum ad induendum, reversusque fuero prosperè in domum patris mei, erit mihi DOMINUS in DEUM.* quasi diceret: Si habuero commoditatem meam, si provisionem in victu, & amictu, si nec quicquam adversi passus fuero sub ipsius imperio, ac providentia; erit mihi DOMINUS in DEUM, & ego illi me cum tota mea submittam familia. Ille mihi Dominus, non qui dat

Iacobi Patriarchæ electio. Gen. 28. 20, 21.

minus, sed qui porrigit, & extendit ad opitulandum manus; Ille mihi Dominus, non qui minas intentat, & oppressionibus exasperat subditos, sed qui connivet, vel supplicia in beneficia commutat; Ille mihi Dominus, qui bella cuncta profligat, niveisque jugalibus Janum invehit, & obserat. Quod cùm à JESU Nazareno mihi obventurum confidam, erit is mihi in Dominum, ac Deum, in Principem, ac Imperatorem; atque in hunc finem calculum hunc, quem capiti suppositum eram, & quem magni ponderis esse patet, adjicio.

Alterum, ac suppar allatum est Niloticorum, qui interpositô solius panis stipendiô se suaque tradidêre. *Da nobis panes, nos, & terra nostra tui erimus; eme nos in servitutem regiam.* Ipse princeps noster sit, qui stomacho nostro ipse pendit tributum. Ibi pedes bene ancillantur, ubi Ceres torquet habenas, & ibi manus ad nutum velificantur principis, ubi clavum flectunt congiaria.

Gen. 47. v. 19.

Pani se omnes submittunt.

VI. Tertium votum lectum plurimorum aliorum, quorum hæc una sententia: Si fuerit de nobis bene meritus, & abundantiam omnem non panis duntaxat, sed & vini & mellis accuraverit, dignissimus erit imperio, electus ex millibus, cui in obsequium non capita duntaxat, sed & poplites lunemus. His auditis, quum nemo esset, qui refragaretur, acclamatum è vestigio ab omnibus: Vivat JESUS Nazarenus Rex noster, Princeps pacis, Pater futuri sæculi. Vivat prodigiorum Thaumaturgus, delitium generis humani, salus universi populi.

§. II.

JESUS fasces delatos repudiat.

VII. QUid ad hæc Dominus JESUS, admittitne oblatas secures, purpuram assumit, gratias habet? Nihil minus. Renuntiat, execratur, fugâ sese proripit. *Fugit ipse in montem solus.* Res mira, ad regnum non tam pedibus, quàm talaribus itur; per calcatum patris cadaver aguntur caballi, & ut rubeat auctiùs, fraterno ac paternô imbuitur purpurâ cocco. *JESUS fugit ipse in montem solus.* Acsi Cerberum latrantem audivisset, Cervum cursu in montem æmulatur, inde fors liberiore oculo despecturus regnum terrenum, quò propinquior empyreo futurus. Planiùs enim ex Alpibus despicitur humilitas vallium, & ad Solis purpurascentis conchylia, vilitas purpuræ terrenæ rectiùs expenditur. Lydius verò lapis Alpes sunt, ad quarum celsitudinem de angustiis terrarum decernimus.

Christus regni fasces averfatur.

Regula, & amussis, quâ profunditatem ipsam dimetimur: *Fugit JESUS in montem solus.* Nec comites itineri adhiberi solitos admittit, ne vel unicum tam pudendi imperii calculum accepisse crederetur. Nihil enim tam pudendum, quàm unô voracitatis, pigritiæ, impostura suffragiô ad thronum assurgere, & eniti. Nihil magis infirmum, ac regnum in Cerere, tineæ, & vermibus subdita meditari. Nihil detestandum ampliùs, quàm in Regem,

Regem, ac Ducem helluonum, parasitorum, nebulonum, & similium inaugurari. Configere tam infami calculô Toparcham quempiam, crimen esset læsæ Celsitudinis, ac Majestatis; quantò enormiùs creare, & inaugurari?

VIII. Sacer textus Ideam Regum Salomonem non in toro resupinum, sed in throno sedentem, & generosis cinctum exhibet agminibus. Quippe: *Lectulum ejus sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël.* Et: *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum.* Ubi Rex nequaquam nominatur in toro, qui talis describitur in throno. Nec machærophori affusi lecto, ad bella quamvis instructissimi servare principem potuêre, quo minus Regis nomen amitteret. Jacuit in pulvinari priùs Regis nomen, quàm membra. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt.* Relanguit Majestas in toro resupina, defecitque, nec quicquam affusis ei tot hastatis excubiis. Et tamen in throno etiam sine lictoribus salva subsistit. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon.* Nimirum dici, salutaríque principes, nec septi cohortibus possunt, si otientur in strato, aut soli dominentur Utopiæ. Qua fronte ergo vos Regem acclamabitis, cinctum Asotiis & helluonibus, qui campum haud alium ambiunt, quàm instratum culcitris, nec alias præter patinarias educunt copias? O regnum præclarum! ô regnum, cujus fasces prensetOrpheus, & Morpheus, non Jesus Nazarenus.

Cant. 3. 7.

Cant. 3. 9.

IX. Archidamus Græcus concordibus Procerum sententiis in Principem Lacedæmoniorum evectus, dum corona illi ab Electoribus deferretur, reposuit: Regium hunc honorem capesso, si tamen vos, qui datis, non Arecitæ, non Megarenses, non Pelasgi, sed Lacedæmonii fueritis. De triplici sorte subditorum querebatur hic Princeps, quorum detrectabat imperare capitibus. Primi erant Arecitæ, qui non tantopere bonum publicum, quàm privatum accurabant. Alii Megarenses, qui inertiæ mancipati, commoditates sectabantur, Pelasgi demum, qui fabulis, & rumusculis audiendis distinebantur. Dedecori sibi duxit homuncio vilis, ignavis, & inertibus principari; & gloriæ, ac virtutum, eos in sua sceptra admittet? *Plutarch.* *Imperari ignavis turpe.*

Prô, quàm monstrosum esset regnum ejus, cujus caput aurum optimum, corpus totum quantum luteum. Corruit illud in Colosso Nabuchodosoris adumbratum, datúmque fabulæ cunctis Gentibus, lapillô ludum faciente, brevì in rupem surrecturo. Et staret inconcussum JESU Nazareni inter Aquilones persecutionum, inter decumanas adversitatum tempestates; inter adunatas ad ipsius interitum acies? Scena ipsius multiplici metallô irradiata, & ut videbatur, latura non ætatem duntaxat, sed æternitatem, momentô evanuit; non rueret istud in arena, ac luto ægerrimè solidatum. Apage cum tali regno, infami, misero,

Dan. 2.

misero, invalido. *Fugit ipse in montem solus.*

Christus dux fortium.

X. Admittit tamen bonus JESUS, si Lacedæmonii, & non Arecitæ, aut Megarenses, aut Pelasgi eritis. Admittit, si excusso torpore, & ignaviâ, illum generosè secuti fueritis. Admittit, si cum eo pati inediam, adversitates, frigora, crucem, parati estis. *Si quis*, inquit ipse, *vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Si quis gestit, sive vir, sive mulier, sive vir, sive subditus me comitari, mihique famulari, hanc viam ingrediatur, quam ego. *Abneget semetipsum*, non eundo post concupiscentias suas; *tollat crucem suam* patienter sustinendo, & *sequatur me*, actus heroicos virtutum exercendo. Qui me desiderat, se despiciat, & qui vult facere voluntatem meam, discat frangere suam; ut perditam recuperet libertatem, crucifigat carnem cum vitiis & concupiscentiis suis; quatenus per continentiæ bonum adipisci mereatur societatem Angelorum; sequatur me patienter cuncta sufferendo, ut idem regnum Patris mei unà mecum mereatur possidere perfruendo. *Si compatimur, ut & conglorificemur.*

Luc.9.23.

Ibid.

Rom.8.17

XI. Id cùm ad mentem non esset hodiernorum Electorum, ait ad eos: *Quæritis me, non quia signa vidistis, sed quia de panibus saturati estis.* Eligere me nitemini, non quòd Divinitatem meam credatis, sed ut stomacho vestro, & extis consulatis. Haruspices, non Electores estis, qui vota non ex scrinio-

Joan.6.26.

lo capitis, ac rationis depromitis, sed è ventriculo vestro eruderatis: Fuci, non Apes, qui mella non tam legitis, quàm liguritis; Pythones auguria in extis circumferentes: *Quæritis me, quia de panibus saturati estis.* Deficiente verò annonâ, & abacô sublatô, perinde ac volucres cæli decoctâ offâ avolabitis. Vel etiam exulabitis, quemadmodum Majores vestri: *Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? deest panis, non sunt aquæ, anima nostra jam nauseat supra pane isto levissimo.* Futuri certò Protheo versatiliores, ita ut quam hodie mihi prorsum faciem explicatis, eandem postliminiò aversam exhibituri sitis. Quòd si me Regem ardetis, ut talem colite, mea imperia prona aure excipite, nec tam mea, quàm me respicite. Rex equidem haud esse abnuo: *Constitutus à Patre meo Rex super omnem terram*, sed apum, non fucorum. Recipio principatum Lacedæmonum, non Arecitarum, aut Pelasgorum. Aquilam in insignibus præfero, non quæ usque & usque in tomento niduletur, sed pullos suos Phœbeâ pertentet lampade. Talem si me eligitis, habetote. *Si quis vult venire post me, abneget*, &c.

Num.21.5

Psal.2.6.

Christus Rex acclamatur.

XII. Auditores mei, vos pariter confluxistis huc, si non ut Electores, revera ut Legati ex domibus vestris, quasi provinciis amandati. Nec ullum confido fore, qui non insimul JESUM NAZARENUM calculô, & voto suo designet. Nemo est, qui Primati Electorum, Jesseo Duci non

accla-

Psal.43.5. âcclamet : *Tu es ipse Rex meus, & Deus meus.* Tu Domine Creator, & Redemptor meus, & nunc eris mihi Rex meus, Dux meus, & Deus meus. Tibi vitam, tibi sanitatem, tibi omnia quæ possideo, in acceptis referre cogor. Qua ratione itaque me continere potero, quin te dictatorem; ac Imperatorem meum jubeam, quin tibi cor meum, méque totum consecrem, & dicam : *Tu es ipse Rex meus, & Deus meus.*

Quòd si turba hodierna unô symposiô, uno frustillo panis pellecta est, ad te coronandum; ego non terrena duntaxat, sed cælitum pastus alimoniâ, tardabo ? *Tu es ipse Rex meus.* Tu, cùm sis summum Bonum meum, te pro fine meo ultimo adopto. Tu, cùm sis Centrum rerum omnium, ad te omnes affectuum meorum inclinationes dirigo. Tu, cùm sis Rex Regum, & Dominus Dominantium, tibi me in mancipium æternum dedico, offero, consecro.

Christus non quæritur propter se.

XIII. Ita equidem unô omnes ore proloquuntur, cuncti JESU acclamant: Vivat Rex. Vereor tamen, ne iteratò Iesum suum ingeminare liceat magno Ecclesiæ Affricanæ Antistiti, & exclamare : *Quàm multi non quærunt JESUM, nisi ut faciat illis bene. Impletur talibus quotidie Ecclesia, vix quæritur JESUS propter JESUM.* Quàm multi convertuntur ad Ecclesiam, vel pervertuntur ab illa, non ut obsecundent Christo, sed ut Christus ipsis! Quàm multi sese non tam ex pietate, quàm levitate ipsi submittunt, non ut sequantur pauperem, sed ut suam exuant pauperiem! Quàm multi quærunt Christi regnum, non nisi, ut faciat illis bene, seu, ut saturentur de panibus. Quàm multi cum Jacobo electionem suam formant : *Si dederit mihi panem ad vescendum*, fiam Catholica, amplectar fidem Apostolicam, &c. Sin minus, alium Regem, alium Christum sibi adoptant, à vera Ecclesia sese sequestrant, vel etiam apostasiâ fulminanda desciscunt. Hos jure non tam discipulos, non tam sectarios Christi, quàm parasitos, & insectatores dixero. Non amicos, sed *inimicos Crucis CHRISTI, quorum finis*, ut ingemiscit Doctor Gentium, *interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum*; qui terrena sapiunt. Omnes enim isti quærunt quæ sua sunt, non quæ JESU Christi. Non tam cælum, quàm infernum ædificant; non tam Christo, quàm adversario ipsius adhærent.

S.Aug.in r.6.Ioan.

Gen.28. v.20.

Phil.3.18.

Hos omnes à societate, & communione CHristi, unà cum aliis proscriptos esse, & fore, denuntio. Quippe si eum à latere suo sequestrat, qui patrem suum, aut matrem, illius præfert servitio : *Qui amat patrem, aut matrem, plus quàm me, non est me dignus.* Quantò certiùs repudiaturus est illum, qui commoditatem suam, aut lucrum, aut usuram ejusdem amori anteponit.

Matt.17. v.38.

Quiſquis itaque mereri ſtipendia JESU intendit, quiſqui illum Deum, ac Dominum profitetur, illius gloriam etiam cum diſpendio fortunarum, imò & vitæ quærere contendat. Teſſera veri ſocii, ac militis JESU, Doctore Apoſtolo Paulo, eſt, ſi omnia terrena deſpuat, & formam referat Domini ſui crucifixi. *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis ſuis.* Teſſera veri Comitis Chriſti eſt, concupiſcentias carnis clavo timoris Domini configere, ne dominentur vitia corporis; & vitia cordis ita ſubigere, ne corpus per inſolentiam recalcitret. Teſſera diſcipuli veri eſt, mundare ſe ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus. Ejuſmodi Chriſtus diſcipulum ut ſuum agnoſcet, admittet, defendet, hunc Patri commendabit, hunc ut ſocium Paſſionis habuit, ita etiam gloriæ eſt habiturus.

Amen.

Gal. 5.



CONCIO XIX.

IN DOMINICA PASSIONIS.

Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es, & Dæmonium habes?

Joan. 8.

ARGUMENTUM.

SUPERSTITIO FULMINATA.

I. EXpendenti mihi præfatum Evangelium accuratiùs, occurrit parte ex una Assertor meus, haud secus, quàm signum in scopum positum; ex altera verò Judæi perinde ac sagittarii, virulenta in eum tela torquentes. A. Et ad Christum equidem Dominum, sub schemate hoc constituto collimasse visus est Jeremias Vates, quum in persona illius peroraret: *Posuit me, quasi signum ad sagittam.* De Judæis verò ceciniſſe Psalten in hæc verba: *Exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.* Quemadmodum enim telum, res est acuta, identidem virore tincta, ac subtilissima: haud dispari ratione calumniatrix lingua Judæorum extitit summè virulenta, intimáque petens præcordia. Ut telum ferit cominus, ac eminus: haud secus ipsi, & præsenti, & imprimis absenti Christo derogare nitebantur.

Christus in signum positus.

Thre. 3. 12.

Psal. 63. *v.* 4. 5.

Calumnia telum.

Verùm ô impiissimi jaculatores, totô cœlô à scopo exerratis. Neque enim tam fulminatum jaculum contingere eum poterat, qui gloriam Patris æterni, nunquam non præ oculis habebat; qui quàm alienus ab umbra cujusvis criminis, tam securus ab omni vulnere linguæ calumniatricis esse debuit. Exerratis toto cœlo impudentissimè, qui tela in solos veneficos, stryges, superstitiosos libranda, in Superos per omnem vesaniam vibratis; & venenum, quo præfatos Orci assecias afflare par erat, in

in Numen ipsum tremendum, & adorandum evomere non erubescitis.

Non aberrabo ego, si extortum ex ore vestro jaculum in superstiosos quosvis ejaculatus fuero, eosque quà Samaritanos, quà Dœmonium habentes evicero.

NARRATIO.

II. OHe quid video; fallórne, & umbratili ludor imagine? Non sum Ezechiel, miram tamen, ac stupendam illius visionem obversari menti meæ videor. Intueor enim obstetrices millenis ex fano Sathanæ desumptis ritibus, infantes primùm editos initiantes, & ignoto mihi carmine, non jam Deo, sed Diti consecrantes. Video Sodales, nescio quas ligaturas, ad devincienda sibi amasiæ præcordia circumferre; philtra attemperare; Hecubas in consilium, & auxilium accersere. Aspicio veterinarios, & mulo-medicos; illosque versum quempiam Psalmi super equum, aut mulum ægrotantem exululare percipio. Obversantur pincernæ, & ipsi, vel ipsæ patibularia pinguedine, aut campanariâ ad alliciendam fortunam, ollas, tonnasvè inungentes. Hem quæ monstra? *Superstitiones varia.*

Occurrunt milites, & ipsi exoticis quibusdam characteribus abutuntur; simplices, & ipsi contra febres, dolores dentium, aliosque morbos scedulas magicas admovent; rustici, & ipsi auguria certa, indubiâ fide observant; alii demum bene multi, qui herbas ad speciem quidem operatrices, revera autem ex se invalidas, solo autem pacto Diaboli implicito efficaces adhibent.

Hæc arbitror, nec vana ludor imagine, & in talia monstra non insurgam? Date, date, expedite telum, quod incassum in innocentissimum Agnum virulentâ linguâ detorsistis, vel si placet, in hæc monstra sine crimine depromite.

§. I.

Superstitiosi Samaritani.

III. QUid enim? An non jure Samaritanos eos dixero, & toto orbe evulgavero?

Hi ex parte credebant Deum, ex parte inficiabantur, Moysen admittebant, Prophetas anathematizabant, & quod verum in fundamento adstruebant, id desuper sexcentis fabulis subruebant. Ita ut meritò Arbiter, ac Magister vitæ divinæ iisdem exprobraverit: *Vos adoratis, quod nescitis.* Vel enim Deum loco circumscriptum, vel solis dominari Samaritanis, vel corpore, & anima constare ariolabantur; aliaque illius divina attributa inficiabantur. *Superstitiosi Samaritani.* *Ioan. 4. v. 22.*

Et deprehensi in visione mea incolæ hujus civitatis nonnulli, num verè Deum summè bonum omniscium, omnipotentem credunt? Num divinam ipsius Providentiam admittunt? Num totum illius dominio, ac fascibus orbem fatentur subditum? Neutiquam. Si enim de universali ipsius Providentia, dominióque in omnes non ambigerent; utique sese illi totâ mentis devotione submitterent; utique ægritudines, ac *Superstitiosi non credunt verè Deū.*

adver-

adversa quævis, tanquam de manu ejus acciperent, utique sacratissimæ ipsius voluntati sese conformare in omnibus niterentur? Si itidem bonum, ac cunctipotentem firmissimâ fide tenerent, ad eum utique in suis necessitatibus se reciperent, auxilium ab eo, non ab Orco præstolaturi. Si omniscium ac justum confiterentur, profectò irritare illius Majestatem vererentur. Quum verò nec ad eum, ut Deum, ac Dominum suum, auxiliatorem, ac medicum potentissimum confugiant, nec ejus infallibili dispositioni se submittant, nec adorandam Majestatem ejus lacessere vereantur; sed Lemures, Magos, Stryges consulant, ac invocent, consequens est, illos ducere Sathanam magis benevolum, magisque efficacem, quàm ipsummet Deum, vel certè illius ejurare Providentiam. Quicunque enim micam salis in cerebro habet, si in ipsius arbitrio est, mavult Medicum in arte sua magis versatum, probatum, potentem, quàm rudem, & inexpertum accersere. Si itaque præfati malefici præeligunt artem Sathanicam, illi utique plus fidunt, quàm ipsi Numini. Prô scelus! prô portentum, inter fideles imprimis intolerandum!

Samaritani amphibii.

IV. Samaritani colebant quidem Deum verum, sed tamen etiam idolis thura incendebant. Ita de iis expressè meminit Hagiographus: (4. *Reg.* 17. *v.* 33.) *Et cùm DEUM colerent, diis quoque suis serviebant.* Illum unâ, hos multiplici lampade, & acerrâ placabant; illum in ore, hos in corde ferebant, fovebantque.

Eapropter non sine sulphure verborum invectus est in eos Elias Propheta: (3. *Reg.* 18. 21.) *Usquequò claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini eum.* Minus Deo servit, minusque eum amat, qui cum eo aliquid amat, aut alicui alteri præter ipsum se mancipat. *Si Dominus est Deus, sequimini eum.* Tolerabiliùs judicat ille infidelem integrum, quàm fidelem divisum. Hic enim Deum despuit, quem novit, quod est multò gravius; ille Deum, quem non novit, prætermittit, quod est multò leviùs. *Usquequò claudicatis in duas partes.*

Fallar lubens, nisi idipsum jure omni de præfatis maleficis adstrui possit. Cùm Deum colunt, dæmoni quoque deserviunt. *Superstitiosi Deo & diabolo simul litant.*

Nam quid quæso faciunt Stryges, aut qui ipsorum operâ utuntur, cùm jam sacras Tilienses Virginis aras visitant, jam prope vicum infamem frequentant? Quid aliud agunt in templo Pacis, & penès illud in pago? Quid moliuntur ad Beatissimæ Virginis Thaumaturgæ aras, & unà ad veneficæ alterius haras? Nónne hoc est Deo simul, ac idolo sacrificare? Nónne hoc est arcam Dei cum Dagone unà constituere, & utrique incensum adolere velle?

Erravi, majore hostiâ placantur Lemures, quàm Cælites. Illis duplex fax accenditur, his una; illis in saga offeruntur Philippei, hisce obuli; illi flagrantissimè, hi frigidiusculè coluntur; illis filii innocentes immolantur; istis quidquid claudum, ac mutilum consecratur.

V. De sagis illud contestatum est, proprios Orco infantes pollucere, *Sagarum sacrilegia.*

aliis parvulis insidiari, accurare mortes, blaspemiis, ac sacrilegiis Numen infandis violare, sacrificia detestanda in Christi contemptum celebrare, conciones fraudulentissimas, ac mendacissimas audire; pro aqua lustrali hirci urinâ sese aspergere; aliáve, adquæ meritò tinniant aures, perpetrare.

Sed & isti, qui eas consulunt, qui amuleta ab iis emendicant, virus sacrilegii ab ipsis emutuant. Profectò & ipsi incantamentis ipsorum, justô Dei judiciô filiis suis orbantur, quos ante adhibitis sagarum incantationibus, quadantenus dœmoni initiaverunt. Concionibus Sathanæ interfunt, quoties veneficas auscultant. Actum fidei diabolicæ exercent, dum illorum persuasionibus accedunt. Sacramenta Orci usurpant, dum ejus characteribus, amuletis, unguentis utuntur. Flectunt toties illis genua, quoties gratias pro iisdem agentes poplites lunant. Itaque in omnibus Samaritanis tantò inveniuntur similiores, quantò sagis propinquiores, ac familiariores.

Samaritani Christum non recipiunt.

VI. Samaritani S. Luca contestante Christum ad se divertere cupientem, obseratis valvis, inhibuerunt. *Misit* (Dominus ait ille) *nuntios ante conspectum suum, & euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum, ut pararent illi, & non receperunt eum.* Coactus est itaque eos deserere, & aliam stationem quærere. At quanam de causa id consilii, ac flagitii meditati sunt? Subdit causam idem Evangelista: *Quia facies ejus erat euntis in Jerusalem.* Eò quòd Christus D. non frequentaverit sacra ipsorum in monte Garizim, nec eadem præsentiâ sua cohonestaverit, idcirco exterminatur, ac migrare aliò cogitur. Si Dominus communicasset ipsorum operibus, ac sacrificiis, gratissimus, acceptatissimusque illis fuisset; sed quia eos aversatus, faciem suam direxit ad cultum divinum in Jerusalem, recedere est coactus.

Luc. 9. 52.

Ibid. 53.

Quid causæ, quòd superstitiosi non consulant Confessarios, ac alios Christi Domini vicarios, in iisque Christum Dominum excludant? Alia profectò non est, quàm quòd facies eorum directa sit adversus Deum; quia percelluntur, ne eorum perfidiam damnent, ne à præstigiis ejusmodi, ac amuletis dehortentur. *Quia facies ejus erat euntis in Jerusalem.* Quoniam à Diaboli offuciis ad verum Dei cultum transducant, quia sacra eorum execrantur, & vera statuminant.

Quòd si itaque discipuli, justâ Nemesi irritati, fulgurita in capita Samaritanorum de cœlis vibrare moliebantur: *Domine, vis dicimus, descendat ignis de cœlo, & consumat illos?* Nonne justius ego Joannes Joannem æmulari possem, & cùm sæculares judices non animadvertant in eos, ultrices flammas advocare? Si illi in ignorantes, & lucis altioris etiamnum incapaces cives in tantum exarserunt; nonne æquius millena fulmina in eorum capita detorquenda, qui in lucem Evangelii ex umbra gentilitatis profecti, malitiosissimè Christum eliminant?

Ibid. v. 55.

VII. In Samaritanos amphibios, Deos, & Deum colere contendentes, *immisit Dominus Leones, qui interficiebant eos.* Et non immittet Dominus in hosce illum

Superstitio punita. 4. Reg. 17. v. 25.

illum Leonem, de quo Princeps Apo-
1. Petr. 5. stolorum testatur: *Quòd circumeat quærens, quem devoret?*

Pridem id illis minatus est, per Moysen servum suum fidelissimum, dicens:
Levit. 20. v. 6. *Anima, quæ declinaverit ad magos, & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi sui.*

Saul cur occisus.

VIII. Si quispiam lucem ab experientia advocat, is sibi reducat Regem Saul, qui quamdiu hostis extitit sagarum, & ariolorum, eosque toto regno proscriberet, tamdiu glorioſissimis victoriis, & successibus potitus est; at ubi
1. Reg. 20. primùm veneficam adiit, ab eaque consilium, & auxilium imploravit, illico & corporis, & animæ dispendium subiit. Causam hanc ruinæ ipsius perquam manifestò adducit sacer textus in hæc verba: *Mortuus est ergo Saul*
1. Paral. 10. 30. *propter iniquitates suas, --- & insuper etiam Pythonissam consuluerit, & non speraverit in Domino, propter quod interfecit eum; & transtulit regnum ejus ad David filium Isai.* Quum patientissimè illum tulisset Numen optimum, tandem hoc colophone adjecto criminum; illico eum & regno exturbavit, & vita.

Ochozias punitus, quòd idola coluerit. 4. Reg. 1. v. 3, 4.

IX. Æquè evidens est illud in Ochozia Rege Samariæ ægrotante. Misit hic nuntios ad consulendum Beelzebub Deum Accaron, utrùm supervicturus esset, de infirmitate sua. *Angelus autem Domini locutus est ad Eliam Thesbiten dicens: Surge, & ascende in occursum nuntiorum Regis Samariæ, & dices ad eos: Numquid non est Deus in Israël, ut eatis consulendum Beelzebub Deum Accaron? Quamobrem hæc dicit Dominus, de lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* q. d. Quoniam posthabuisti venam vitæ, incurristi mortem; quoniam aversus es à Deo cœli, idcirco approximasti ad portas inferni; quoniam non requisivisti benedictionem Domini, incurristi maledictionem.

Idipsum aliis innumeris evenisse compertissimum est, & experientiâ prope quotidianâ comprobatum. Nemo itaque inficiabitur ejusmodi & Samaritanos esse, & Samaritanorum pœnis obnoxios.

§. II.

Superstitiosi dæmonium habentes.

X. VErùm quoniam hoc telum superficie tenus forsitan tantum lancinat, aliud potentius depromo contra eosdem, & propalam enuntio, ejusmodi Orco confœderatos esse; seu, ut Evangelii textu utar, Diabolum habere.

Superstitiosi diabolo mancipati.

Etenim evidentissimum est, ea media, aut amuleta, quibus utuntur, nec naturalem ex se, nec supernaturalem aliunde virtutem habere. Consequens ergo est, effectum illum non nisi ab Orco præstolari quemquam posse, virtute pacti cum certis personis illi familiaribus initi, à quibus illa doctrina, seu anthidota Avernalia emanarunt.

Ad stabiliendam tamen assumptam propositionem optarem, uti inspice-

rent amuleta illa, ac inscriptiones, quidnam in se contineant, aut quibusnam ex speciebus sint composita, & certè deprehendent, aut ex setis, seu villis caprarum, hircorúmque, aut ex ossibus cujuspiam equæ demortuæ, aut patibularii cadaveris constare.

Sagarum amuleta quæ. Felis. in 1. Præcept.

XI. Recenset Gotschaldus Rosimundus, & Matthæus Felisius, sese audivisse juvenem efficacissimum remedium contra febres, & dolores dentium præscribere solitum. Postulatus itaque à quapiam Domina, sub non pœnitenda mercede, annuit, ac præscripsit; verùm sub rosa, ne ulli communicaret, vel saltem non legeret. Ac cepit illa, & è vestigio à morbo, quo vexabatur, exempta est. Participem subinde fecit amuleti vicinam suam, & ipsa illico morbi vi soluta. Tandem etiam tertiæ personæ sagaciori communicatum, eandem noscendi mysterii libido incendit, quatenus reseraret, legerétque. Et quid putatis exaratum? Num JESUS Nazarenus, Rex Judæorum, titulus triumphalis, defendat nos ab omnibus malis? Num Evangelii cujuspiam caput, quod ferre secum piè, ac sanctè licet? Numquid aliud quidpiam sacri? Nihil minus. Quid ergo? Sensus anthidoti, & tota ejus virtus, ac hypostasis erat: *Diabolus eruat tibi oculos, & luto obstruat foramina.* Ecce vobis Thaumaturgum remedium, ex pharmacopolio Tœnario desumptum! Ecce virtutem occultam, ex Draconis Avernalis cerebro eliquatam!

Magorum fraudes.

XII. Alter verò, eodem Doctore Diabolo, aut Stryge edoctus, hæc non-nisi verba in *Recipe* efformabat: *Joannes est magnus nequam.* Et tamen vim arcanam experientiâ ipsâ didicit habuisse, quoad credidit. Ubi verò de offuciis Sathanæ edoctus, vacillare occœpit, extemplò vis omnis evirata est. Unde autem redundaverat? Me hercle non aliunde, quàm à Lemuribus assistentibus, ac cooperantibus.

XIII. Dices: Ego à fœmina, ut reor, pia habeo, quæ non utitur, nisi verbis sacris, & vel ex ipso fonte eloquiorum DEI, vel ex aliis thesauris precum desumptis. Quin ut constet, rem sacram esse, secundùm quodvis verbum crux est apposita. Sit ita. At numquid Orcus ipse sacris paginis non utitur? Numquid ad ipsum Dominum ac Redemptorem nostrum in eremo supplantandum, verba divina non adhibuit? Æmulari nimirum simia infernalis omnipotentiam Numinis adnititur; ut quemadmodum illud verborum virtute plurimum operatur, & unicô *FIAT* condidit universa: ita illa nefanda sua mysteria verborum quorumpiam specie tenus sacrorum cortice involvit, utì eò minùs fraudis in se habere videantur; nec est quidpiam tam sacrum, quô ille ad offucias suas colorandas non abutatur.

Verbo DEI abutuntur malefici.

Quocirca ad propositam quæstionem pridem reposuit Os aureum, dicens: *Mulier, ais, est Christiana hæc excantans, & aliud nihil loquitur,*

quàm

S. Chrysost. hom. 21. ad pop.

quàm Nomen Dei. Et subdit : Propterea namque magis illam odi, & aversare, quòd DEI nomine ad contumeliam utatur, quòd se dicens Christianam, Gentilium faciat opera. Etenim & dæmones DEI nomen fatebantur, & tamen manebant dæmones: atque ita Christo dicebant, (*Marci* 1. 14.) & (*Lucæ* 4. 34.) *Scio te, quis sis, Sanctus Dei*, & tamen ipsos increpuit, & ejecit. Eapropter non actutum remedium sacrosanctum est, quia sancta intricantur, sed quia sancta sanctè ac piè usurpantur. Nihil autem indigniùs, quàm si Crux, Nomen DEI, aut ipsum corpus Dominicum per infanda sacrilegia in pernitiem animarum applicetur; & divina Bonitas patrocinando libertati humanæ, cogatur ancillari malitiæ, ac versutiis diaboli. Liquidum proinde est, quum ea amuleta, philtra, ligaturæ, nec virtutem innatam habeant, nec divinam aut supernaturalem, eam à malo genio mutuatam esse; & participare, ac consuescere diabolo, quicunque iis utitur malis artibus & præscriptionibus.

Maleficiorum dispendia.

XIV. Nec id benevolè præstat, sed cum ingenti suo lucro, & maleficorum dispendio. Pro quovis *Recipe*, recipit ille non unam animam, nec aliud quidpiam præfixum habet in suis beneficiis, quàm maleficium. Dispensat gratias, quibus imprudentiores inescet; erogat dona tanquam arrham, quâ sibi æternùm obstringit eos, qui ea capiunt; prorogat vitam temporalem, quatenus privet sempiterna; sublevat DEO connivente à doloribus momentaneis, aut diurnis, ut involvat æternantibus incendiis.

Quanquam quid dico prorogare vitam, aut lenire dolores? sæpe sæpiùs intercipit illam, & exaggerat acerbissimos cruciatus. Nolo immorari citandis aut prætexendis variis in hanc rem historiis, ipsemet non unum audivi propalam confitentem, secundùm adhibitas incantationes, aut filium, aut filiam, tanquam umbris initiatas, illico extinctos, aut in in miserabiliorem & deteriorem statum adductos.

Hæc nôrunt plerique, & nihilominus dementati quorumdam persuasionibus, aut ipso Alastore agitantæ illusi, perinde ac quondam Judæi Idolo Moloch, suos filios, filiasque, ac seipsos corpore & animâ dicant, mancipantque, sola spe cujuspiam vanæ ac momentaneæ indulgentiæ. Quid dici per DEUM immortalem, quid fingi potest detestabiliùs, ac vesaniùs!

XV. Statuite quæso vobis ob oculos hominem quemcumque, levi corporis ægritudine affectum, aut dolore cujuspiam digiti vexatum, pacisci cum quopiam medico sibi infenso, ut si ægritudinem illam abstergeret, aut dolorem

digiti leniret, fas illi deinceps futurum sævire in totum illius corpus, per omnem carnificinam, idque quamdiu vita superstes fuerit. Nónne quivis ejusmodi hominem helleborô indigere diceret, nónne omni sensu, ac cerebrô destitutum proclamaret.

Hæc, hæc vesania vestra est, qui cum sagis, ac veneficis communicatis, qui per eos opem Diaboli invocatis. Nam quid quæso id omne est, quod in hac mortalitate patimini, intuitu gehennalis incendii; quid morbi, quid dolores, quid pressuræ, nonne momentaneum, ac leve? Et nihilominus, ut solvamini tam levi morbo, ac transitorio, redditis vos obnoxios cruciatibus inexplicabilibus; ut vos vindicet Sathanas à languore corporis, mancipatis animam ferreo ipsius jugo, ac tyrannidi. Quid dici? quid fingi potest vecordius, dementius?

XVI. Timeant hi, si fortè sibi etiamnum blandiantur de conversione ad Deum per pœnitentiam, ne tandem decretum illud jam olim per Moysen judicii Assessorem exaratum; in ipsos evulgetur, ac detorqueatur. *Ubi sunt dii tui in quibus habebas fiduciam? Surgant & opitulentur vobis, & in necessitate* (hac extrema) *vos protegant.* Illi vobis fuerant asylo in vita, illi sint itidem in morte; illos invocastis tanquam me potentiores ac benigniores, & me tanquam infirmum, invalidum, immisericordem despexistis, illis dicastis ætatem prope omnem, iisdem etiam decrepitam consecrate. *Surgant & opitulentur vobis.* Surgat Luciper, surgat Asmodæus, surgat Megæra excantata antea, nec jam obstetricetur vobis, sed potiùs dominetur in vos. Cum illis societatem iniisti in vita, cum iisdem hæreditatem capessite post mortem, quibus servivistis in tempore, iisdem mancipati estote in tota instante æternitate.

Deut. 32. v. 37, 38.

XVII. Quod ne cuipiam eveniat, obtestor omnes, ac singulos huic crimini quomodolibet intricatos, quatenus ex nunc, quemcumque contractum etiam tacitum iniverunt, aut invenerint, rescindant, abrenuntient Sathanæ, ac operibus illius, malintque cum Deo sine tali medico mori, quàm vivere sine Deo, Diabolo Machaone.

Respiciant, & imitentur virum secundùm cor Dei, qui licèt intimè filiolum suum ex Bersabea primo-genitum deperiret; nihilo-minus neque ariolos, neque incantatores, neque stryges ullas adduxit, sed semet coram divina majestate, sacco indutus, ac cineribus consperfus, exorando, cum omnimoda resignatione, ejus clementiam, prostravit.

Respiciant, ac imitentur illum paralyticum ad probaticam piscinam, triginta octo annis resupinatum, deque cælo auxilium præstolantem. Neque enim eum quidpiam accepimus, vel cum incantatoribus communicasse, vel amuleta suspecta exorasse; & idcirco admirandam tandem indeptum esse à Domino sanitatem.

Respi-

Reſpiciant, atque æmulentur Lazarum illum ad Epulonis fores, cum fame, morbis, ac miſeriis aſſeclis totâ vitâ colluctantem. Numquid hic divinos quoſpiam adiit? numquid vitam illis ſuam oppignoravit? numquid impoſturis, ac præſtigiis illorum fidem habuit? numquid quidpiam vetitarum tentavit artium? Nihil omnino. Sed prius & antiquius habuit millies immori malis, quàm à pietate, ac fiducia in Deum, vel latum unguem diſcedere.

Et ſi illi, aliíve, in gravioribus malis conſtantes perſtiterunt, nos in minoribus febriculis, levioribusque doloribus impoſtores accerſere non verebimur, aut percellemur? Sit ratum deinceps, fixúmque cum præfatis viris, aliisque ſanctimoniâ vitæ inclytis, ſexcenties immori, quàm aliunde, præterquam à Numine præordinatis pharmacis uti.

Fiat.

CONCIO XX.

IN DOMINICA PALMARUM.

Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum ejus.

Matth. 21.

ARGUMENTUM.

PROCESSIO ASINARIA.

I. NUllus omnino eſt, qui glorioſo, hac luce, Chriſto adornato triumpho non applaudat; nemo, qui pompæ ipſius, ſeclusis Phariſæis, non velificetur. Aud. Diſcipuli ex voluntate ipſius ignobile adducunt jumentum, ut vel in ipſa humilitate ſplendidiſſimè triumpharet, qui magnitudinem, ac ſublimitatem omnem tranſcendit. Ex turba alii mutilant ramis arbores, & callem exornaturi proſternunt. Alii veſtimenta ſua ſinuabant ſub plantis ipſius, quatenus vel in vili amictu faſtum aliorum proculcaret, vel ex eodem deditionem, devotionémque ipſorum colligeret. Pueri tantò glorioſiùs, quantò innocentiùs Pæana, elatis palmis, occinebant: Hoſanna Filio David ingeminantes.

Eundem in finem Vos hîc Auditores meos coadunatos conjicio, ut fervorem hujus coronæ æmulemini, ut cum eadem ejuſdem ingreſſum in ſpiritu cohoneſtetis; vósque deditiſſima ſubjectione eidem ſubſternatis. Quid ego? Solúsne otioſus ſpectator adero? Abſit id à me. Memor officii mei, aſinum apprehendam, & deducam. Sed quò? Videamus.

NARRATIO, AC PARTITIO.

VIget etiamnum multis in partibus receptiſſimus mos, ut in memoriam hodiernæ triumphatricis pompæ, ſcholæ triviales Aſinum phaleris exornent,

ornent, eundemque ex scholis, per compita, ad atrium templi comitentur. Nec mihi quicquam occurrit aliud, quàm ut iisdem itineribus insistam, & in iis, pro eodem asino nostro diversorium quæram.

§. I. *Prima statio Asini in schola.*

II. ET primo quidem ingressu sapientissimè mihi videtur ducendus ad scholam. Est enim illa percommoda, & multorum ejusmodi capax animaliũ; multi inibi inveniuntur de genere ipsius fraterculi, qui de istius accessione sibi plurimum gratulabuntur. Togatus licèt sit, & Apostolico insignitus paludamento hodiernus asinus; attamen in cerebro pulmentum reconditum circumfert: suppari ratione benè multi Studiosorum, etsi pallium philosophicum gestent, asininos nihilominus mores, ac genium neutiquam deponunt. Non omnes, qui se laureatos Poëtas venditant, Hypocrenem epotârunt. Nec omnes, quibus mitra, & epomis imponitur, sapientiam eo ipso induunt, sibiq; maritant. Nec omnes, qui Gymnasia, Academiasque frequentant, cum Platone, aut Aristotele conferendi. Virtutis, & excellentiæ insignia, multi etiam citra virtutem, dignitatem, meritum consequuntur. Plerumque, ut Asinus ille Luciani Leonis exuvio ad arrogantiam utebatur, ita illi solâ Studiosi gloriantur nomenclaturâ.

Asinus ad scholam ducitur.

Studiosorum nonnullorum asinini mores.

III. Hodiernus asellus nuspiam incedit sine matre, ubique eam sequitur, uberibus adhæret; haud secus, & isti aselli scholastici nunquam de matre, de lacte cogitant; & si quando paululùm avelluntur, mente semper infixam gestant, ejus memoriâ labia lingunt, & imprimis approximante dominica Palmarum, ad matrem, ad ubera licentiam extorquere satagunt. Et quemadmodum illæ vaccæ Philisthinorum, quæ jugum necdum traxerant, tamen acceptâ arcâ Testamenti, abierunt vias suas mugientes: ita & isti vituli asinarii eas æmulantur; & quamvis imperio parentum Musas sequantur, tamen identidem remugiunt, & matrem inclamant.

IV. Deficiente quondam, inter adaquandum asinũ, Lunâ, credita est à simplicibus per asinum epota; siquidem imago illius proximè in stagno conspecta, illico nube interveniente disparuit. Subsimili deliriô matres nonnullæ de filiis suis ominantur, & ariolantur, eos nimirum omnium dignitatum, ac pinguium beneficiorũ splendores, in lunæ mutabilitate adũbratos, devoraturos, ipsis interea in asinina mente, & statu perseverantibus. Jure itaque ad hoc diversorium deducendus videtur asinus hodiernus.

Luna epota ab asino.

V. Sed quid faciet ibi, vel quid de illo fiet? Latet me quid de aliis; meliùs profectò sibi consulerent, si opificio sese honesto manciparent, quàm tempus incassum in pulvere scholastico insumerent. Hic autẽ meus, vel potiùs Christi, quem duco, Instructorem, ac Pædagogum perbellè aliorum Studiosorum ageret; utpote qui primus æternæ Sapientiæ voces in porticu stabuli excepit à Numine, Peripatetico effecto.

Et ne me ludere in ludo vestro literario putetis, ille imprimis vos edocturus est, vel suo exemplo primitias ætatis DEO consecrandas, & à teneris

Asini pullus docet, à teneris DEO serviendum.

jugum illius esse subeundum. Hæc prærogativa mei aselli est, quòd nemo ante Christum illius dorso inequitaverit. *Supra quem nemo hominum sedit.* Hæc illius excellentia, quòd ante omnes clitellas alias, Christum sarcinam levem in se susceperit. Hæc dignitas illius, quòd nullius alterius jugum antehac succollaverit. O verè sapientes! ô verè beatos! qui illum hac in parte æmulati fuerunt. *Bonum est viro*, modulatur Jeremias Vates, *cùm portaverit jugum ab adolescentia sua.* Proficuum imprimis est ab ipsa infantia deditum esse pietati, & ad vitam austeriorem, ad disciplinam rigidiorem, ad sanctitatis apicem manuduci. Cujus causam innuit Sapiens in suis Proverbiis dicens: *Adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Difficulter eraditur quod rudibus annis imbibitum est. Nemo lanarum conchylia ad pristinum revocet candorem; aut quercum annosam à teneris arcuari cœptam ad priorem rectitudinem. *Adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Haud secus ac testa recens, & saporem, & odorem, quo primùm imbutus fuerit retinebit.

Thren. 3. 27.

Consuetudinis vis. Prov. 22.

Spec. Exmp. tit. suv.

VI. In Speculo exemplorum legimus visam esse à quopiam *SS.* Patrum processionem, in qua junioribus crucem Angelus præferebat; Adolescentiores eam manu sustentabant; Senes dorso arcuato eam ægerrimè succollabant. Qua visione profectò nihil aliud indicatum est, quàm jugum Christi tam leve esse in pueritia, captivas sibi facientibus ejus ætatis delicias, quasi nomine eorum cœlestes Genii illud traherent, onusque omne in se derivarent. At verò qui jam ætate in adulta manum aratro admovet, onus prope intolerandum, illud jugum leve Christi esse existimat. Ac proinde: *Bonum est viro &c.*

Adhæc Professor hic Asellus in dubio, ac bivio iter probè expediet, planamque ad cœlestem Jerusalem vos edocebit. De eo enim tradit S. Marcus, quòd ex bivio sumptus fuerit, & viam Jerosolymam versus ingressus. Et vos mei, Domini Studiosi ubi statis? ubi moramini? Nonne in bivio inter virtutes ac vitia; inter statum sæcularem, ac religiosum, inter Jericho, ac Jerusalem, id est inter viam salutis, ac perditionis? Estote itaque Herculeo, & quantumvis via perditionis vobis mollis videatur, blandiorque, ac rosis aspersa; hæc verò durior dumisque obsita nihilominus istam duce Asello arripite, & in simplicitate cordis vestri cum eodem non jam ad terrestrem solo nomine duntaxat celebrem, sed ad cœlestem contendite. Nam quantò via illa in Jericho prima fronte blandietur speciosiùs, tantò in exitu cruciabit crudeliùs. Hæc verò quò asperior visa fuerit in primordio, eò amœnior evadet in exodo.

Asinus docet viam.

Marc. 11.

Item attentionem.

VII. Edocturus vos, ut alia mittam, auritam attentionem in templo, ac gymnasio. Observate ipsius aures, & auritum inter omnia animalia asellum meum deprehendetis. Ad hanc normam suos discipulos quinquenni efformabat silentio Pythagoras. Noverat enim probè olim elocuturos, qui

ante

ante mordicus linguæ ſuæ temperaſſent. At mei Studioſi, quia potius linguati ſunt, quàm auriti, quia quidquid imbibunt, actutum effundunt; mirum non eſt, ſi ſubinde hæreat aqua, & nihil ad rem eloquantur. Itaque ut Sapiens quondam ad formicas vos amandavit: *Vade ad formicam ô piger:* ita ego vos ad aſinum ablego. Ito ad Aſinum ô inſipide, diſce ab eo frugalitatem, diſce obedientiam, diſce viam; diſce jugum Domini portare, & non jugum trahere Diaboli à juventute tua. Doctorem habes egregium Aſinum, dummodo non tantopere in vitiis naturæ, quàm in virtutibus eum ſequi adnitaris.

Aptiſſimè igitur, commodiſſimèque hoc locandus videtur hoſpitio Aſellus hodiernus, in quo, & ſuos eſt habiturus æmulos, & diſcipulos. Unum duntaxat vereor, ne eum perinde, ac alios pudendo ludibrio ſtramineâ coronâ dehoneſtent, aut alio probroſo ſtigmate, quod multis proclive eſt, notatum exturbent.

§. II.

Statio altera in plateis.

VIII. PRogrediamur ergo mi Aſelle, & compita petamus. Eja quot hîc pro te diverſoria. Vix credo domus eſt, in qua vel uxor, vel maritus in aſino ſubinde non equitet, & quod mirêre, illa ſæpiuſcule primatum obtinet. Ergo apud hoſce in obſequiis eſſe, & ſtipendia mereri fors poteris?

Attamen & hîc ſubvereri cogor, ne tua abutantur patientia, & ubi parte ex una hactenus aſinus conſcenſus eſt, jam etiam ex altera clitellæ imponantur. Nolo etiam novam hîc condere Arcadiam, ubi imprimis principantur, qui agaſones agunt. Etenim ſi turpe eſt, ac probroſum mulieri honeſtæ equitem ementiri; multò infamius, & ab humanitate omni alienum in aſino equitare. Nihil enim tam proprium hominis eſt; nihil quod inſignius illum ab aliis procreatis rebus, & maximè belluis diſtinguat, ac mãſuetudo. Tolle hãc ab homine, brutum fiet, aut degeneri barbarie odioſus, aut infamium Lemurum perſimillimus. Character, quo ſeparatur à belluis, & divinam participat naturam excellentiſſimè, in hac una emicat virtute. *Iracundia dehoneſtat*

Quum Numen optimum Eliæ Vati pollicitum fuiſſet, ſe eidem manifeſtaturum in viſione, primùm auditus eſt ſpiritus grandis, & fortis, ſubvertens montes, & conterens petras ante Dominum; ſubinde commotio, poſt ignis; ad extremum ſibilus auræ tenuis, in quo Deus, tanquam in eſſedo honoratiſſimo ad Prophetam adlabebatur. In hoc facto recondita eſſe ingentia myſteria ipſe modus procedendi conteſtatur. Numquid enim incaſſum tot ante ſe Præcurſores, & veluti haſtatos præmiſit in ſpiritu grandi, ac forti milites? Numquid fruſtra concuſſi ſuis ſedibus montes, contrita Alpium pectora? Numquid citra cauſam turbo, & flamma præceſſit? Edicat Procopius nobis, quid ſentiat: Ut oſtenderet, ait, quòd facile ſibi ſit fulmina de cœlo latè cladem ferentia demittere, orbis 3. *Reg.* 19. *Deus quomodo apparuit Eliæ*

molem quatere, terram impiis in tumulum aperire, vi procellarum commovere omnia, atque evertere. *Sed placet mihi manſuetudo, i[n]uit; Non in ſpiritu, non in commotione [v]inus, ſed in animi placabilitate.* Eam ob rem in ſibilo auræ tenuis apparuit, ut nos edoceret manſuetudinem, & dulcem quandam, ſedatamque humanitatem divinum quidpiam eſſe, Deique moribus conveniens; & fœdare Numinis imaginem, quiſquis in ſpiritu turbido, ac impotente; in mente iracunda, ac faſtuoſa, in voce tonante, ac fulgurantibus oculis coram aliis apparet.

Procop. in lib. 3. Reg.

Ergo ſi notâ, ac charactere divinitatis, immo & humanitatis privari reformidamus, eliminandus eſt hic aſinus in quo equitare offenſi conſueverunt, evacuanda eſt omnis ira, & animus ad clementiam componendus.

§. III.

Statio tertia in Curia.

IX. HÆc etſi aſellum meum minimè concernant, utpote genere diſtinctum ab ipſis, progrediendum mihi tamen ultra, ne vel in nomine vitium præſetuliſſe videatur. Sed quò? Apparet hîc prope domus alta, & ſplendida, ne dicam baſilica, curia noſtra. At numquid pro te Aſine? Cur non? Etenim ille idiota, quem vulgari Calepinô aſinum indigetamus, altiſſimô nonnunquam pollet conſilio, & veluti ex Tripode fundit oracula. *Confiteor*, inquit Verbum incorporatũ, *tibi Pater cæli ac terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Certè in ſuam aulam eadem Increata Sapientia, non Oratores, non Philoſophos, non ſapientes, ſed ſimplices, & idiotas adſcivit: *Videte*, ſcribit Doctor gentium, *vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles; ſed quæ ſtulta mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret, ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus.* q. d. Videte, & reflectite vos ad primum illius in hunc mundum ingreſſum, quos aſſiſtentes habuerit, nonne bovem, & aſinum? Videte, ac obſervate, quibus primùm grande nativitatis ipſius ſacramentum revelatum; nonne paſtoribus vigilantibus juxta gregem ſuum? Videte, & expendite, quos ſubinde collaterales amicos elegerit, quoſnam ſocios menſæ, principes Eccleſiæ ſuæ, nonne rudes retium magiſtros, inconditos, ac unius artis opifices?

Simplices audiendi.

A DEO electi.

1. Cor. 1. 26, 27.

X. Quorſum hæc? An ad convitium Sapientum adducta? Neutiquam. Sit ſuus ſapientibus locus, ſit honos, ſit authoritas. Quod oculi ſunt corpori, id ſapientes communitati. Perperam æquè illi citra oculos, ac iſti citra ſapientes proſpectum eſt. Vulgatum illud Platonis: Tum primùm beatas fore Reſpublicas, ſi eas, vel ſtudioſi ſapientiæ regerent, vel earum rectores ſtudere ſapientiæ contigiſſet. Plurima in civitatem redundant emolumenta, ſi moderatrix præſtò fuerit Sapientia. Quorſum itaque Aſellum meum illuc compello? Eo non niſi ſine, ut & ſimplicis non ſemper ſpernatur ſententia; ut & ipſis dicendi campus pateat, & auris; ut curia ſit aſylum afflictorum, ara gementium, templum

Sapientes rectores urbium.

Curiæ fines.

plum deorum, quo cuivis accessus ad vota sua exolvenda patet, Numenque invocandum, ac placandum.

Asinus symb. Sapientiæ.

Relinquendus forsitan hoc loci meus asellus, imprimis cùm illum sapientiæ symbolum apud secretiores Hebræos fuisse tradat Pierius, cujus ideam constituunt *Saphiroth*. Verùm non forensis, aut prophanus jam hic asinus, ex quo Dominum rectorem passus est. Haudquaquam ultra colla submittet sarcinis vestris sæcularibus portandis, (quibus forsitan illum onneraretis) qui onus cœleste portare didicit.

Pier. in Hierogl.

Brev. Rom 27. Maji.

Joanni Etrusco sanctæ Ecclesiæ Romanæ Antistiti, ac Martyri, quum ei nobilis vir ad Corinthum equum, quo ejus uxor mansueto utebatur itineris causa commodasset, factum est, ut equus subinde remissus Domino, ita ferociret, ut fremitu, ac totius corporis agitatione, semper deinceps Dominam expulerit, tanquam indignaretur mulierem recipere, ex quo sedisset in eo Jesu Christi Vicarius. Idipsum ne aliis eveniat, reformido, si abuti meo asello, ad onera forensia portanda contenderent.

§. II.

Statio quarta in Templo.

Asinus in templum ducitur.

XI. REctius ergo jumentum meum ad Basilicam dirigam; siquidem Christi Domini contactu aliqua ratione, piis non nisi usibus consecratus est. At hic item, cum tam multa sint præsepia, ad quodnam eorum statuam? Non viderur aptius, quàm ad exedram meam. Hic enim si naturam suam non exuerit, mores minimùm asininos dediscet.

Comminiscuntur Poëtæ, incantationibus Medeæ veneficæ homines in asinos transformatos. Experientiâ item, & millenis testimoniis est comprobatum, id à sagis aliis, vel arte delusoriâ, vel effecto ex ambiente aëre habitu ferino, vel veris pellibus aliunde allatis, & adaptatis factum fuisse. Possunt id dico incantationibus suis venefici, & non poterit sacratiore carmine Ecclesiastes, ut eandem feritatem exuat; vel transmutet? O quot ad alias exedras, vel etiam istas, brutorum deposito genio, non humanum duntaxat, sed angelicum sensum receperunt! Quot illorum, qui alios canum instar allatrare soliti, hic didicere pro inimicis orare? Quot lupi transformati in agnos mitissimos? Quot accipitres hic transiêre in columbas? Quot corvi conversi in cignos? Quot upupæ in alaudas &c. Quemadmodum enim cuncta verbo Domini formata sunt; ita eodem reformari queunt. De uno itaque cur id non sperem asello?

Quod si id minimùm evicero, moribus certè imbuam politioribus. Redarguam illius stoliditatem, calcaria subdam tarditati, castigabo inverecundiã, aliósq; ipsius mores sordidissimos refingam, quatenꝰ meliori vitæ sese redonet.

XII. Id duntaxat subvereri cogor, ne me descendente, ipse in mei confusionem conscendat.

Asinus rudit in cathedra. Sigon. de bell. Ital. lib. 9.

Recenset Sigonius, asinum Mutinæ, (ni fallor) in suggestum evasisse, in eoque ad terrorem multorum rudisse. Solemne idipsum est nostratibus, qui dum planè stolidi sunt, tamen arrudere concionanti, ipsius carpere, taxare, exenterare sacras orationes assolent. Non sinam ergo, ut hic advinciatur, mihimet alapam inflicturus.

XIII. Capiam proinde aliud consilium, & ad sacra tribunalia eum sistam. Ibi enim alios video palmeos, vel satiùs palmares asinos, qui computruerunt, ut jumenta, in stercore suo, qui totius anni ambitu congesta dorso onera gravissima deponere, ac vinculis, quibus constricti sunt, eximi gestiunt. Quod ut ritè faciant, velim ut morales asini, ab hoc naturali artem addiscant.

Asini sagacitas.

De eo perhibent Naturalis Philosophiæ authores, quòd cùm sale onustus ageretur per fluvium, & casu impegisset, clitellásque sale impletas demersisset, evadens ex flumine, cùm cerneret salem defluere, séque onere levari; alterâ die, idem flumen trajiciens, sponte, & ultrò sese lymphis demersit, jacuitque quoad sal diffluxisset. Vobis, mei palmei asini, si cum isto exonerari contenditis, idipsum faciendum est, & cor pofluvio lachrymarum, ac labro pœnitentiæ immergendum. Non satis Vobis est, assistere sacro tribunali, vestrásque emussitare culpas; nisi cor scindatur contritione, & amarissimo dolorum, de Deo offenso conceptorum, Oceano diluatur. Lachryma enim est, quæ extinguit gehennam, solvit pœnitentem, ligat, ne ultra nocere queat, ipsum Zabulon.

XIV. Secretarius Incorporatæ Sapientiæ intimus, vidit quâdam ectasi septem Angelos, quorum singuli tubas flatu suô animabant, & de sexto Angelo loquens, testatur audivisse vocem ab altari prodeuntem, quæ ei præcipiebat: *Solve quatuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate.* Quæro, quinam hi sint Angeli, quisnam eos in flumine advinxerit? Et audio Interpretes passim decidere, malos fuisse genios, concatenatos pœnitentiâ incolarum, & retardatos, ne nocerent. Ita Ribera: *Quatuor Angelos, de quibus nunc sermo est, ex majoribus esse arbitror, quibus commissum est, ut per se, & per inferiores spiritus infestent quatuor partes terræ, nitentes impedire hominum salutem, eosque in idololatriam, & in omnia peccatorum genera inducere.* Itaque dæmonia homines aggressura, & ad scelera stimulatura, alligata sunt, absque viribus, armis, ac telis. *In flumine magno Euphrate.* Nonne autem id flumen est, quod Babylonem pertransit? Nullus dubitat. Nonne id flumen, supra quod Hebræi captivi sedebant, & flebant, suisque lachrymis undas præterfluentes augebant, ac ditabant? *Super flumina,* lamentabantur, *sedimus, & flevimus, dum recordaremur tui Syon.* Ecce ergo, quare in hoc flumine catenati sint Lemures? Ecce, ubi vires suas amittunt? Ecce ubi armis, & offuciis suis nequicquam officere queunt; ubi nimirum sinceræ lachrymæ, vera contritio in vinculis constrictos tenet.

Diabolus lachrymis alligatur.

Ribera h.l.

Psal. 136. 1.

Utinam & nos iisdem scelera nostra expiaremus, profectò redderemus eum inermem, & enervem, vinculisque constrictum teneremus. At quia annum sæpè integrum transigimus, quin cum dolore delictorum nostrorum veniam exoremus, & confiteamur, aut ex sola consuetudine id præstamus, ac cæremonia, idcirco triumphum de inimicis nostris haud assequimur, diabolus insultat, & invalescit. Immergamus nos ergo, & ex intimis medullis doleamus,

Apoc. 9. 14

mus, quòd DEUM noſtrum offenderimus, illius cumulata in nos beneficia neglexerimus, tantum vitæ in delitiis, ac voluptatibus perdiderimus, tantum divinis ejus obluctati fuerimus imperiis. Ita fiet, ut cum aſino exonerati, in flumine ſentiamus jugum Domini ſuave, & onus ejus leve.

Relinquendus itaque hic mihi eſſet, ſi apoſtolicis manibus non eſſet ſolutus. Aliò ergo ducam liberum jam & expeditum à vinculis neceſſe eſt. Quò tandem? Nuſpiam digniùs, ac congruentius, quàm ad crates, ad altare, ad Chriſtum. Nihil enim novi, aſinos ad Chriſtum ſub euchariſticis ſpeciebus latentem acceſſiſſe, ac deveneratos eſſe.

Aſinus cultor Euchariſtiæ.

In Vita S. Antonii de Padua id prodigii refertur. Quidam præfractæ mentis hæreſiarcha, quum propalam inficiaretur præſentiam Corporis dominici in ſacra Synaxi, à S. Antonio evidentibus S. paginæ, ac ſanctorum Patrum teſtimoniis, argumentorumque vi eò adductus, ut ori frænos imponere ſit coactus. Verùm ut eſt impudens hæreſis, in luce meridiana palpat, ac diverticula quærit: ita & hic ejuſdem veritatis myſterium prodigio comprobari expetiit. Annuit Sanctus, &, quodnam tandem ſignum intenderet, ſciſcitatur. Cui ille: Domi meæ aſinum habeo, cui triduo pabulum ſubtraham, & quarta die tu illi tuum panem ſacrum propones, ego avenam monſtrabo. Quòd ſi aſinus neglecto pabulo ſuo ad panem tuum ſacrum converſus fuerit, victas dabo manus, & firmiter me crediturum recipio, ac juro. Comprobata utrinque conditio; & triduo evoluto, adductus eſt aſinus ad limina templi, propoſito hinc ab Heterodoxo pabulo jumento, inde à S. Antonio pane Angelorum, & addito eidem imperio, ut DEUM, quem in præſepi ſuus frater deveneratus erat, hic ipſe pariter præſentem coleret. Et ecce, inauditum ſpectaculum paret illico aſinus, & poplite lunato Numen ſuum conteſtatus adorat. Quod videntes, qui incoram aderant, Deo meritas perſolvêre grates, & hæreticus perfidiâ ejuratâ, fidem ſuſcepit.

Aſini comites Sacerdotis. Hiſt. Socie. tom. 1. l. 2. n. 27.

Perſimile quidpiam recenſet Hiſtoria Societatis noſtræ, nimirum in pago agri Tarviſini, cui Salzanum nomen, Laurentium quemdam Sacerdotem, cùm epulum Euchariſticum ad ægrotum citra pompam, comitatumque deferret, aſellos quoſpiam extra oppidum offendiſſe, qui cùm Presbytero occurriſſent, veluti ſentirent, quod ille deferret, ex utroque viæ latere repentè diſcretos procubuiſſe in genua. Sacerdotem verò ipſum, uno puero comitante, re, novitate attonitum, medium inter mites ambulaſſe quadrupedes; eas verò quaſi pompam ducerent, præeuntem fuiſſe ſecutas, & Presbytero in ædes ingreſſo, conſtitiſſe præ foribus, nec inde priùs abiiſſe, quàm is ab ægro reverſus, eos ad ſua paſcua cum benedictione dimitteret.

An quidpiam talis obſequii, ac reverentiæ hodiernus aſinus Domino exhibuerit, tabulis mandatum non eſt. Veroſimile tamen id præſtitiſſe, quod tantam addecebat Majeſtatem, quodque ab ea exigere ſenſerat. Tanta vel brutis

brutis animantibus ineſt erga Numen obſervantia; tam mancipatus ad ejus cultum ipſorum genius. Prô pudor! & nos quoties tanquam ſtipites adſtamus, ſine ullo & ſenſu devotionis, & debitæ ſubjectionis teſtificatione; ut vel inde liquidum evadat, in nobis aut fidem, aut religionem vacillare.

Profectò ſi ex mediis ſilvis Ethnicorum quiſpiam huc intraret, & me de præſentia Domini in ſacro epulo diſſerentem audiret; & ex altera parte tantam in multis, imprimis in Studioſis noſtris irreverentiam cerneret, nunquam ſibi perſuadere poſſet, illos verbis meis pondus habere, aut dictis aſſentiri, quum alii in aulis, aut curiis, coram ſuis Summatibus, & Magiſtratu, hi coram ſuis Præceptoribus multò obſervantiores ſeſe exhibeant.

Diſcant itaque hi, quicunque ii ſunt, vel à brutis animantibus, quantâ deinceps reverentiâ aſſiſtere ſacris Altaribus, aut ſacrificiis debeant. Diſcant vel ab aſino, lunare poplites, & ſe opus manuum Domini, ipſius omnino ſubjectum arbitrio conteſtari. Diſcant eſſe Chriſtophori, & Chriſtum non tam in corpore, quàm in mente circumferre; nec tam in tergo, quàm in moribus oſtentare.

Ita credo futurum, ut ab eodem triumphatore noſtro jam non in terreſtrem, ſed in cæleſtem Hieruſalem introducantur.

Largire id nobis Chriſte JESU, qui accuratiore ſtudio nos perditos, quàm olim Saul parentis ſui aſinos quæſiverat, reducere conatus es, ut & homines, & jumenta per te ſalutem conſequantur.

Fiat.

DOMINICAM PASCHATIS V. TOMO SECUNDO.

CONCIO XXI.

IN DOMINICA IN ALBIS.

Cùm fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit IESVS, & dixit eis : Pax vobis.

Ioan. 20.

ARGUMENTUM.

PACIS BASILICA TIMOR.

I. DIgnissima Sapientum exedris quæstio est, si Pax nostræ foret conditionis ac naturæ, quanam in sede commorari eidem allubesceret ? Aud. Et primis quidem votis quispiam decernere posset, haud esse operæ pretium, eidem quærere arces Dardanias, mœnibus, fossis, vallisque circumdatas, omni armorum genere instructissimas, densatis militum copiis refertissimas; sed perquàm appositum futurum, palatium quodcunque, aulæis, ac peripetasmatis exornatum. Immò potest Pax tentoria sua sub tilia, vel platano extendere, in horto, aut campo meridiari ; in umbra, vel aprico degere. Cùm enim parte ex una omnis armatura fortium, & propugnacula quævis ad hostem repellendum inventa, atque architectata sint, ne hic inopinatò irrumpat, proterat, mactet, diripiat, incendat; ex parte altera Pax, si verè hoc nomine digna est, hostem nullum reformidet, neutiquam illi aut armis, aut munitionibus opus erit. Thronus illius sit, ubi timor omnis, ac periculum exulat; ubi nemo beatissimo indulgentem otio, inquietet. Ambit enim illa serenæ mentis gaudia, corporis æquè, ac animi ab omni molestia tranquillitatem.

Pacis domus qua sit.

Hæc nonnullorum de Regia Pacis posset esse opinio, cui favere videtur Author Veritatis cùm dicit: *Pax vobis*: *Ioan.20.* *Nolite timere.* Faceſſant timores, adſint gaudia, & ſecuritas, ſiquidem pacem, pacisque Conditorem præſentem habetis. *Pax vobis. Nolite timere, ego ſum.*

Ego nihilominus expendendo hujus Pacis circumſtantias, & quòd Dominus clauſis, ac timore conſternatis pacem apprecetur, audeo dicere, vel Fecialem Pacis pavorem eſſe, vel certè eidem cohabitare; nec unquam firmam pacem cum Deo, ſemotô metu conſiſtere poſſe. Quod cùm elucidare intendo, à largitore pacis gratiam, à Vobis benevolam attentionem efflagito.

§. I.

Pax ſtipata pavore ſalva ſubſiſtit.

II. AD evincendam propoſiti mei veritatem, miſſis ſublimibus, ac profundis argumentationum dilemmatis, ſuffectura credo, ab ipſa omnis diſcretionis magiſtra experientia, deſumpta exempla, quorum inductione liquidò deprehendere poterimus pacem inter arma, ac pavores nutriri, foverique. *Pax in delubro pavoris habitat.*

Quotieſcunque cæli, terrarúmque Arbiter Deus ad pacis fœdera cum hominibus ſancienda deſcendit, nunquam id citra Fecialem Pavorem præſtitit.

Secundùm prima adoleſcentis mundi exordia, hominibus in deſideria carnis prolabentibus, & neſcio quâ aliâ ratione ſupremam illius Majeſtatem irritantibus, juſtô ſuccenſus furore Dominus, per internuntios ſuos extrema quæque illis intentabat. Hominibus autem præfractâ cervice obnitentibus, & in valle contra eundem ſcelerum caſtra metantibus, ſolvit catadupas cæli ſublimiores, mortalésque univerſos, paucis exceptis, inauditô involvit cataclyſmô. *Rupti ſunt omnes fontes abyſſi, & cataractæ cæli apertæ ſunt, factúmque eſt diluvium quadraginta diebus, & delevit omnem ſubſtantiam ab homine uſque ad pecus.* *Gen.7.11.* Expendite hîc tantiſper, quæ tum facies agonizantis, expirantisque Orbis fuerit? Volatilia cæli, jam diu alarum remigiô fracta, cùm nec arboris ullius cacumen, ubi requieſceret pes eorum, invenirent; nec montis ſupercilium, in quo illum defigerent; defluebant in undas, triſti concentu, ac mœſto gemitu ſibimet parentantes. Bruta in ſpeluncas abditas ſeſe recipientia, in ipſis exundantibus aquis ſepulchra miſeranda inveniebant; formidabilique rugitu, ac deſperatô ululatu vitam exhalabant. Homines ſtupidi, & attoniti inter tot ſtrages, & circumſtans periculum, ſenſibus omnibus deficiebant. Plorabat infans, quin potens eſſet mater manum auxiliarem extendere; augebatur in fœminis planctus, & nec vires, nec amor par erat ſubminiſtrando ſuffugio; juvenes æquè, ac ſenes lamentis aëra complebant. Hi primo aquarum impetu hauriebantur; illi natando feſſi, extremum ſuſtinebant *Diluvii horror.*

peri-

periculum; alii ad edita turrium enitentes, cum illis decidentibus duplex, naufragii nempe, & præcipitii tormentum experiebantur. His necquicquam commotus Dominus, *delevit omnem substantiam, ab homine usque ad pecus.* Hoc primævæ extitit in summum cæli, terrarúmque Monarcham perfidiæ stipendium, ut qui effusi erant aquæ instar in omnem libidinem, torrentibus abyssi absorberentur, & qui guttâ lachrymarum expiare scelera sua renuerant, Oceano intermino innatarent. Ita nunquam impunè violatur Majestas; ita consanguinea sceleribus nunquam non intentantur supplicia.

Ibid.

III. Nihilominus cùm nunquam tam solitaria divina Justitia incedat, quin comitem ducat Clementiam, absterſis flagitiis, & justâ Nemesi multatis, (ut magnis, excelsisque solemne est mentibus, quæ tam facilè placantur, quàm citò efferantur) misertus reliquiis mortalitatis nostræ, stitit catadupas, abyssi fontes infrænavit, lymphasque in unum coëgit Oceanum. *Clausi sunt fontes abyssi, & cataractæ cæli, & prohibitæ sunt pluviæ, reversæque sunt aquæ, euntes & redeuntes, & cœperunt minui.* Noë in genua ad placandum, Deus ad pacem firmandam sese demisit. *Statuam pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos, & nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii, nec erit deinceps diluvium dissipans terram.* Utque ratum, fixumque fœdus esset, illicò confectæ sunt tabulæ, pacta incisa, posterisque, ne unquam obliterarentur, his omnino verbis commissa: *Terror vester, ac tremor sit super cuncta animantia terræ, & super omnes volucres cæli; cum universis, quæ moventur super terram, omnes pisces maris manui vestræ traditæ sunt, & omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia; excepto, quòd carnem cum sanguine non comedetis.* Ex his fœderibus ingens gaudium toto Orbe divulgatum, cantatum: *Te Deum laudamus*, oblata sacrificia, &c.

Gen. 8. v. 2, 3.

Gen. 9. v. 9. 10.

Lb. v. 2, 3.

IV. Verumtamen, quod signum arbitramini in symbolum huic pacis erectum? Numquid rosam auream, aut Jerichuntinam? Numquid oleam decisam, aut lilium? Audite: *Hoc signum fœderis mei, quod do inter me, & vos, & ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas. Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram.* Ohe, quænam hæc pax, in qua Arcus extensus nunquam non imminet cervicibus? Quæ spes firmæ, ac inconcussæ securitatis, Deô armatô in vindictam excubante? Quod gaudium, signô ipsô pacis sanguinem præseferente? Nonne Pax dubia est, adversariorum armis undique circumstantibus? Quàm proclive est, exacerbari Dominum, ejaculari tela, atque superstites omnes de medio tollere? Adde, quòd Arcus hic fictitium quidpiam sit, non reale; colores ipsius apparentes, non veri, ac solidi; ut apparentes, ita evanescentes; quomodo itaque veram pacem indicare queat? Vel quomodo in nube rorida opaca enascens arcus

Fœdus Domini cum Noë. Gen. 9. v. 11.

diluvium, ac tempestatem non portendit ? An non color aqueus, igneúsve signa potiùs sunt, atque phenomena iracundiæ, quàm clementiæ? Ergo rectiùs Pax hæc impacata est, tantò formidanda magis , quantò evidentiùs sub pacis hieroglyphico bellum latet? Ita forsitan quispiam secum, aut etiam alios inter argumentaretur.

E contra tamen , quibus divinior mens insedit, probè perspiciunt, aptissimum esse pacis symbolum Arcum istum, utpote non terram, sed cælum versùs extensum, petiturum istud citiùs, quàm illam, si fortè telum ejacularetur; utpote fune ipso destitùtum, in evidens argumentum bellici incendii jam sopiti; utpote , qui in cæli concavo, tanquam de laqueari suspensus cernitur.

Iris quomodo Arcus fœderis.

V. Quòd si tamen Arcus est, timeant illi, qui non verentur exacuere furorem Domini, & funes peccatorum suorum eidem ad suum indere interitum ; percellantur, qui attritâ fronte fœderibus ipsius contraveniunt; expalleant, qui sanguinem proximi fundere præsumpserint. Arcus hic ut justis ac timentibus umbraculo, ac scuto est , ita impiis , ac perduellibus exitio, ac exterminio. An non itaque sancta, & æqua Pax, an non justissimæ fœderis conditiones ? O Domine mi , pone Arcum tuum in nubibus, non in millibus , sed in millionibus sit exercitus tuus , & in qua regione deprehendes, quòd carnem cum sanguine , panem cum lachrymis comedant , dele eos de terra viventium, & cum justis non scribantur. Sciat Orbis , quoniam oppressorum Vindex tu es , qui creasti nobilem , & ignobilem; divitem, & pauperem; potentem, atque infirmum.

Ita olim Numen adversum posteritatem Adami arcum suum tetendit, atque de terra viventium sustulit. Jam verò Tartaricum in nos expedit, & diluvium inundans per Portam Ottomanicam minatur.

Ah ! quæso vos , servemus pacta Domini Dei nostri , ne furor illius comprehendat nos, & Arcus hostium nostrorum in Arcum fœderis, ac victoriæ surrigantur.

VI. Hanc pacem paulò pòst excepit nova rebellio filiorum Noë , insultantium quadantenus Superis , & molientium turres , cælo cervice minantes. *Venite*, inquiunt, *faciamus nobis civitatem, & turrim, cujus culmen pertingat ad cælum, & celebremus nomen nostrum.* q. d. Videamus, quid Superi nobis facturi sint , vel aquarum, vel ignium diluvio, ascendamus ad eos , & possideamus regiones ipsorum. *Gen. 11. v. 4.*

Movit hæc stultitia rursum bilem Domino, & immissa in eos confusione linguarum , in extremas usque oras in fugam egit. *Confundamus linguas eorum, & non audiat unusquisque vocem proximi sui.* Nemo cum altero verbo ullo communicet, nemo alteri credat, quisque explodi se ab alio existimet. Sic suis ipsimet interibunt armis. Ubi Helena hæc fuerit, Troja futura est. *Ibid. v. 7.*

Discordia subvertit omnia.

Pro-

Protracta sunt hæc per sæcula integerrima dissidia, in tantum, ut plerique à Deo suo omnino desciscerent, & liberiùs genio suo litaturi, ad idola colenda deflecterent.

Fœdus Domini cum Israëlitis.

VII. Et hîc piissimus Dominus misertus cœcitatis ipsorum, novum cum Gente Judæorum fœdus pangere dignatus est, inque tabulas referre marmoreas: *Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Memento, &c.* Hæc si feceritis, eritis mihi in peculium, præ cunctis nationibus terræ; & introducam vos in terram, lacte & melle manantem.

Hebræi item sese juramento obstrinxêre, sacrosanctè præfata edicta se executuros, nec ulli alii præterquam illi soli homagium præstituros; sanctum ejus Nomen nullatenus violaturos, Sabbatha sanctificaturos, &c. Incisa sunt pacta ista ipsiusmet digito Numinis in tabulis marmoreis, ac depositа in arca aurea, unà cum manna cælesti, & baculo Moysis, Pharaonem flagellante. Cæremoniæ iterum fœderum impletæ, pecora occisa, sanguis effusus, manus data, & accepta. Ubique Pax hæc divulgata est, jubilo festivorum gaudiorum insonante.

VIII. Me tamen, aut magis Judæos angebat scrupulus, eò quòd baculus adnexus iis esset fœderibus. Quid enim, mussitabant, portendit hoc sceptrum? Si Sapientem consulimus, dicet: *Disciplina & opus servo, virga & onus asino.* Ergone jam in mancipia radendi, jam fustigandi toties quoties? Hoc baculô periit Ægyptus, Pharao lymphis obrutus, an non idem nobis timendum? Vah turpiter erratum! Ut detur titulus Deo Creatori nostro, fiat; ut ex parte nostra Nomen ipsius sanctum habeatur, fiat; ut Sabbatha ipsius festivè agantur, fiat, &c. Quòd itidem ex parte sua Dominus pollicitus sit terram lacte, melleque manantem, id ei in acceptis referendum. Sed cur baculus appositus? Nec Prophetæ quondam scipio puerum suscitavit, nec hic ad meliorem nos credo vitam ducet. In baculo suo transivit peregrinus Jacob Jordanem; an & nos mendicabula futura? Talibus, aut paribus discursibus, tota inhorruit natio, quoad quispiam attentione exorata hunc in modum peroraſſe pro concione creditur: Viri fratres, quid soliciti estis, & suspiciones anxiæ in præcordiis vestris nidulantur? Res ipsa loquitur, & interpretatur mysterium. Si vos fœdus Domini inviolatum custodieritis, bona terræ in manna adumbrata comedetis. Sin verò eadem transgressi fueritis, vapulabitis multis: *Servus* enim *sciens voluntatem Domini, & non faciens, vapulabit multis.* Estote observantes, & extra pavorem vivetis. Expalleat servus nequam, jubilet, & exultet filius. Hic baculus ejus naturæ est, ut pro ratione meritorum, vel in serpentem, vel in floridam virgam convertatur; ut & hostibus interitum procreet, & sitientibus undas salutares eliciat; ut & Ægyptum

Baculus in Arca quid signet. Eccli. 33. v. 25.

conterat, & morigeros in Terram Promissionis deducat. Si itaque mandatorum, ac fœderum Domini memores extiterimus, pro nobis erit baculus iste, & ut olim liguriebat dracones excantatos, ita nunc absumet hostes nostros. Ut quondam pelagus in hostium tumulos convertit, ita nobis sternet viam inter adversa; ut impiis erat exitio, ita nobis futurus adminiculo. Nixi hoc baculo, & in lubrico erecti consistemus, & inter fluctus tempestatum vadum tentabimus, & gressus nostros in omnibus prosperrimè dirigemus. Inter exteriora severitatis signa, beneficia, & fœdera subsistunt securiora.

IX. Nec Pax ista inconcussa permansit. Ruperunt fœdus perfidi Judæi, & neglecto Domino, conversi sunt ad idola Gentium; rupêre itidem gentes aliæ dœmoniis, & non Deo deservientes.

Quid non facit benignissimum Numen, misertum rursus perditionis nostræ, destinat Unigenitum suum in Fecialem, ac Arbitrum pacis. Et mox eodem adveniente proclamata Pax; Cantatum: *Gloria in excelsis Deo, & in terra Pax*; fluxere fluenta olei, Jani postes recluſi. Ipsemet verò Unigenitus Dei, Sequester factus, nihil aliud volvebat mente præter pacem: *Ego cogito cogitationes pacis*. Necquicquam frequentius tractabat, vel apprecabatur, quàm pacem: *Pax vobis. Pax vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Tandem ut firma subsisteret, non jam in sanguine taurorum, & arietum; sed in proprio firmavit consignavitque: *Pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris.* Conditiones rursus exaratæ, & inter alias: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te. Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe ei & alteram*; similesque aliæ multæ.

Christus Fecialis noster.

Ierem. 29. v. 11.

Ioan. 20. v. 20.

Ioan. 14. v. 17.

Coloss. 1. v. 20.

Matth. 5. v. 44.

Quæso autem vos, reflectite vos paulisper, ubinam Pax hæc promulgata? Num fortè in regia quapiam? Num inter lilia, & rosas? Num in monte Oliveti? An in campo alio ad delicias exuberantissimè effuso? Neutiquam. Ubi ergo? Audite: *Cùm fores essent clausæ, ubi discipuli erant congregati, propter metum Judæorum, stetit Jesus in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis.* In ædibus obseratis, inter angores, & vitæ discrimina promulgata est Pax Christiana. Per Deum, quid est hoc? Itane controversiæ dirimuntur? Itane expediuntur lites? Itane ad conditiones pacis non descenditur, nisi ubi pavoribus litatur? Ita omnino est; huc Caduceatores accedunt, & Jrenarchæ causas componunt.

Ioan. 20.

X. Id tam compertum, liquidumque erat, vel in ipsis superstitiosæ gentilitatis degentibus Sophis; ut caduceum in symbolum Pacis assumpserint; erexerintque. Videre erat in eo Amphisbœnas, hinc inde aculeum exerentes, & certo certius in se ruituras, nisi mediatore baculo inhiberentur. Idipsum nobis eveniret ablato baculo timoris Domini, loricaremur invicem, ignemque spiraremus, nisi virga Domini nos dirimeret. Parum dico, nunquam

audacius in ipsum Numen per contemptum mandatorum ipsius insurgeremus; quàm si omnis ferula, omnis timor exularet. Fac enim hunc vel ad modicum excedere ex præcordiis, actutum toto agmine cohortes ingruent criminum.

§. II.

Fatiscit Pacis Basilica, Timoris basi submota.

Adami felicitas.

XI. FLorebant Protoplasti parentes nostri inter amœna paradysi virētia eâ securitate, ac beatitate, quâ major vix animo, vel de ipsis cœlitibus cōcipi potest. Tota illorum vita jugi divinarum rerum contemplatione trahebatur, & inter Angelorum, ipsiusque divinitatis spectacula distinebatur, eratque in iis animi mundities summa, cogitationes omnes cœlo defixæ, voluntatis cum divina absoluta, perfectissimaque consensio. Invidit beatam hanc sortem homini juratissimus hostis Sathanas, deque eadem evertenda consilia coquere cœpit. At quonam ex capite exorsus? Num cœlestia meditandi studium abolere; aut voluntatis rectitudinem invertere, aut amoris ardorem extinguere est aggressus? Neutiquam. Num fortè secessionem à Deo faciendam suasit, qui post traditum totius orbi imperium pomi unius esu interdiceret, nec prudenti, nec satis æquo consilio? Nihil minus. Num otio indulgere, aut fingere auro statuas jussit; posteris adorandas, quos ipsi fecissent Deos? Nec istud. Quid igitur? Unam divini timoris aciem hebetare est aggressus, mortisque minas, quas pomi gustus allaturus erat, infirmare, nec ultra moratus abscessit: *Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini.* Et ecce, ut primùm mulier meru soluta, illico vetiti pomi cupido incessit; atque unà odium adversus legem, contemptus pœnæ, oblivio denique Conditoris facto agmine irrupêre. Ut adeo non ambigeret pomum Deo anteferre, ad ipsas arboris radices originariæ gratiæ cimelium abjicere, felicitatis promissæ præmia conculcare, & imperio quod absolutum, in omnes animantes obtinebat, se protinus abdicare, inque Numen ipsum tremendum audaci, ac propudiosâ rebellione insurgere. *Gen. 3. v. 4*

Ejusdem ruina unde?

Quòd si à parentibus nostris ad nos ipsos reflectamus, ejusdem nos genii esse deprehendemus. Possumus etiamnum frui cum Deo pace, tametsi mentem nonnunquam à contemplatione avocemus, possumus florere castitate, tametsi lachrymas non fundamus, legis tabulas retinere, quamvis sacrorum Vatum volumina oppilemus; at nisi timeamus, periimus. Actum de pace ac securitate, ubi vexillum attollit audacia, & præsumptio.

Pax semoto timore impacata. Isa. 3. v. 4.

XII. Meminit cujusdam personatæ pacis Isaias Vates, & ait: *Conflaverunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.* Sustulerunt omnia armamentaria, & incudes, ne fortè tinnitu malleorum, pax ipsorum quidpiam offensi pateretur. *Nec faber ferrarius inveniebatur in omni terra Israel. Descendebat ergo omnis Israel ad Philistiim, ut exa-* *1. Reg. 13.*

exacueret unuſquiſque vomeres ſuos, & ligonem & ſecurim. Quotidiana verò Optimatum exercitia erant, ſpheriſteria viſitare, epulari in criſtallino vitro, genio litare, ſymphonia paſcere aures; ubi ſedere ad abacum tædebat, ſpatia imaginaria obambulare, colloquia de moribus Perſicis, de nuntiis exoticis, de cirris mulierum, tractare, in curribus, aut carpentis auro, argentoque obductis, aut incruſtatis puriorem captare auram &c. Pacem hîc forſitan ſibi quiſpiam deliciari perſuaſiſſet; at ſub his deliciis, ſub hac ſecuritate, & licentia bellum gliſcebant. Quippe his ita conſtitutis, & timore omni ſequeſtratô, irruerunt repente Philiſtiim, & improviſos, incautoſque adorti, longè, latèque regionem ipſorum depopulati ſunt. *Congregati ſunt Philiſtiim contra Iſraël, triginta millia curruum, ſex millia equitum, & reliquum vulgus, ſicut arena, quæ eſt in litore maris.* Quid hîc animi? quid conſilii præſumentibus de alto pacis ſilentio Judæis? Addit ſacer textus: *Videntes igitur filii Iſraël ſe in arcto poſitos, abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in abditis, & in petris quoque & in antris, & in ciſternis.* Ecce hic fructus pacis pacati in Iſraël, ubi timore amandato, vana regnabat præſumptio, audaciâ ſolâ frœnos moderante. Idem nobis timendus, ſi exauthorato pavore, arrabonem ſceleris admiſerimus audaciam; quaſi ſemotis excubiis, irruet Philiſtæus Avernalis, obvia quæque demoliturus, captivosque abducturus.

2. Reg. 13. v. 4.

Ibid.

XIII. Certè ſapientiſſimus, ac pacificus Salomon nunquam niſi inter ſexaginta validiſſimos excubitores cõquieverat: *Ecce*, ait Sponſa, *lectulum Salomonis fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi, uniuſcujuſque enſis ſuper femur ſuum.* Hac ratione in alta pace, ac quiete inter excubias, & pavores, ſecurus degebat Rex pacificus. Noverat ſanè ubi ſemotis vigiliis ſeræ, & oſtia hiant, ibi pacem meridiari non poſſe.

XIV. Ad Herinaceum viſitandum officii, ac urbanitatis (ut videbatur) gratiâ, acceſſit Lupus, præmiſſaque benevola apprecatione inter alia illum affatur: Frater mi ex medullis dilecte, lubens tecum paciſcerer, niſi ſemper cataphractus incederes; ita enim nec ſuavium, neç baſium in amoris tibi pignus dare, nec ad votum complecti te queo. Si me amas, depone hanc lariſſam, & dexteras arctiùs jungamus. Coaleſcent inter nos fœdera, ubi caro carni arctiùs fuerit conglutinata. Cui Herinaceus: O mi Frater Lupe, novi quò tendas, carnes, non meam amicitiam prehenſas. Malo ſemper paratus eſſe ad pugnam, quàm hoſti ingruenti nudum latus exponere, aut circumſpicere antra non ſemper profutura. Perbellè ille ſibi conſulit, quisquis pacem in pavoris antro, ac ſatellitum catervis conſtituit.

Fabula Lupi & Herinacei.

XV. Hæc eadem nobis mens ſit Aud. eadem dexteritas, utque ab hoſtibus noſtris tam corporalibus, quam ſpiritualibus tuti ſimus, tela illorum eminus proſpiciamus, inque eorum machinamenta oculum intentum figamus. Revolvamus identidem illud Re-

Timoris commodo.

gii

gii Vatis : *Inimici mei vivunt, & confirmati sunt super me.* Utut in præsenti pacata compositáque sunt omnia, induciæ hæ sunt, & brevis malacia facilè in decumanas tempestates abitura. Nulla enim in hac mortalitate tanta est securitas, cui periculum non subsit, nec ulla tranquillitas in mundi hujus Oceano, quam modico excitata vento tempestas decumana non excipiat. *Quoniam inimici mei vivunt, & confirmati sunt super me.* Vivunt hostes æquè corporales, ac spirituales, invigilantque in omnes occasiones, ut me perimant, meaque diripiant; & ego omnis formidinis expers resupinabor? *Inimici mei vivunt, & confirmati sunt.* Multum mihi intulit illa persona, quam utinam nunquam agnovissem, & etiamnum vivit, & me forsitan in tentationem ac peccatum rursus inducet. O quàm cautum, quàm circumspectum, quàm pavidum me esse par est; quatenus ejus tendiculas, ac laqueos evadam. *Inimici mei vivunt.* Et quantumvis ista non sit, quot sunt alii, & aliæ? Num una Bersabea in mundo, quæ Davidem illaqueare queat? Num una Ægyptia, quæ Josepho flammas supponat? Num unus perversus socius aut una mali occasio? *Ah inimici mei vivunt.* Vivit non unus, sed milleni, & milleni Diaboli; qui me supplantare, & laqueis suis irretire adnituntur. Vivit etiamnum appetitus honoris, cui quondam supplex accidi; vivit Mammon, cui tot hostias litavi, vivunt deliciæ, & millena irritamenta malorum, quæ me à Deo meo avocare queunt. An ergo uspiam alibi, quàm in antro pavoris, quàm in foribus sensuum meorum oppilatis pacem sperare potero? Ah non potero, frustra alibi illam quæro. Hîc mecum habitet, quisquis illam desiderat, & unà cum timore, ac tremore salutem nostram operemur. Auxilio tuo Christe Redemptor,

Fiat.

Psal. 37.

CONCIO XXII.

IN DOMINICA II. POST PASCHA.

Lupus rapit, & dispergit oves.

Joan. 10.

ARGUMENTUM.

LUPUS EDOCETUR PATER NOSTER.

1. CUM lupo, & quidem rapacissimo, res mihi hodie est, Aud. Non quidem cum silvestri, ac irrationali, attamen cum domestico, & ejusdem genii ac naturæ cum illo. Nam si ille in pellibus ravis incedit, & iste; si ille insidiatur ovibus, & iste; si ille dentem jam in hunc, jam in illum impunè figit agnellum, pellémque detrahit, ac degulat, & iste simplices, atque innocentes circumvenit, pellémque detrahit. Nam quid sunt bona externa, vel ipsius Orci testimoniô, quàm vellera, & pelles? *Pellem*, ait, *pro pelle, & cuncta quæ habet, dabit homo pro anima sua.* Id est, bona fortunæ, pro bonis corporis sui, & vitæ tuendæ ergo exponet. Illis enim perinde ac pellibus circumdamur, fovemur, protegimur. Consequens itaque est, ut qui alterius bona diripit, pellem deglubere censeatur, & in hoc cum lupo rapace communicet.

Job 2. 4.

Quid ergo ago cum hoc lupo domestico? Dissimulo. Reus depasti pecoris arguar. Canes immitto, retia dispono? Loci religio vetat. Foveam, in quam incidat, eruo? Nimis ille cautus est, & vigili acie prævidet, & odoratur casum. Trado Magistro cuipiam cicurandum, aut instruendum? Nimis bardus, ac stolidus est. Pilum ille forsitan, non mores, & mentem mutaret. Et vulgò dicitur, dic Lupo *Pater noster*, & ille remussitabit, ovis. Ne quid tamen partibus meis desit, idipsum tentabo, atque hunc Lupum moribus Christianis imbuere studebo, Pater noster, quô filii Dei mores & pietatem ediscat, edocebo. Attende

frater

frater Lupe, & sequere, oro, præeuntem.

§. I.

Exordium Orationis Dominicæ Lupo proponitur.

Pater noster explicatur Lupo.

II. *Pater noster.* Noveris, mi frater Lupe, & si quæ soror etiam invenitur Lupa, DEUM esse reverà Patrem nostrum, qui nos ex nihilo ad sui similitudinem, homines rationales condidit; qui perditos per mortem Filii sui à morte, & gehenna redemit; qui per Baptismi laticem ad novam vitam regeneravit; qui nos sibi in filios gratiæ adoptavit, & ad cælestem hæreditatem evocavit. Dic ergo: *Pater noster, qui es in cælis.* Quid hæsitas, quodnam os gutturi infixum, quominus enunties? Sequere: *Pater noster.* Non potest ille verbum istud egurgitare; & si forsitan vocis sono profert, inanime certè, & citra affectum omnem protrudit. Quippe ille Deum Patrem in veritate invocat, qui haud degenerem sese divinis ostentat cunabulis, is qui Patrem, non mercedem spectat, qui non Sathanæ fornicarii voces auscultat, sed Deo in omnibus morem gerit. Ille *nostrum* indigitare, qui alios quantumvis pauperes, in fratres recipit. Cunctis enim eandem cælestis Pater donavit fibulam, dignatus omnium ex æquo Pater vocari, & cohæredes Filii sui fieri; ita ut ex hac divina prosapia, nec ille Lazarus excludatur, qui in plateis profusis lachrymis stipem exorat; qui redemptionis pretia interponit, qui per sanguinem, ac vulnera Christi obtestatur; nec ille, qui in pandochio quopiam incrustatus, ulceribus resupinatur; nec alter, qui in centonibus afflictus, & egens obambulat. Ille, *qui est in cælis*, potest subjicere; qui hæreditatem ex hac filiatione redundantem sperat in cælis, non in terris; qui mentem suam transfert in oratione à terrenis ad cælestia; qui non alia efflagitat, quàm quæ ad cælum, & ad Deum ducunt.

Avarus nequit dicere Pater noster.

Jam verò quâ linguâ, aut quô animô Euclio quispiam Deum Patrem suum inclamabit, quum in omnibus sit discolor, ac degener, cùm similitudinem imaginis ipsius eraserit ex anima sua, quando se servum ac mancipium mundi esse meminit; mandata ejus vilipendat, ac fugillet? Quibus labiis apponet *noster*, qui in hoc sæculo nullam fraternitatem admittit, in altero citra vesanam præsumptionem sapere nequit? Quomodo ille, qui alienos labores, & sanguinem harpiarum more exugit, qui accuratiore solertiâ canibus, quàm proximi succurrit; qui nec eôdem prognatos nidô, ad communionem ullam admittit? Quô supercilio addet: *Qui es in cælis*, qui non nisi hæc mobilia sectatur, auram popularem venatur, perituram inter mortales exambit gratiam, thesaurisque agglomerandis inhiat, nec quicquam in cælis repositum habet, aut spe præcipit.

Frustra igitur Lupis occino: *Pater noster*, & subvereri cogor, ne si fortè iconem Patris æterni, aut Filii illius exhibeam, oculos, mentémque cum al-

tero fulminato à forma avertant, & ad materiam se reflectant, petántque, sitnè argentea crux, vel imago, & quanti constet? seu, éstne probati argenti, an non?

§. II.

Sanctificetur nomen tuum.

III. MItto itaque præfationem istam, & ad primam petitionem me converto. Audi me, quæso, frater Lupe, & altùm præcordiis imprime. Deus Optimus M. qui se nobis Patrem exhibere, & nos in filios suscipere dignatus est, is te, & universa, quæ conspicis, quibusve frueris, condidit in laudem, ac gloriam suam. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus.* Dignum proinde est, mi frater Lupe, illum cognoscere, laudare, magnificare, ac petere, ut omnes homines cognoscant, colent, sanctificent ipsum, id est Deum in essentia unum, & trinum in Personis, ac illius famam ac gloriam, omnipotentiam, sapientiam, justitiam, misericordiam, cæteraque attributa magnificent. Nihil enim augustius, sanctius, diviniùs Deo; ac proinde nihil magis reverendum, colendum, glorificandum. Si vilis humana majestas tanti æstimatur, ac colitur, si tot tantísque præconiis efferuntur eorum facinora, aut beneficia; quantis cogita celebrandum, ac efferendum Numen ipsum, à quo omnia redundant, qui citra ullam comparationem eminet universis. Dic ergo Lupe, *Sanctificetur nomen tuum.* Sancta tua Majestas, Deitas, Omnipotentia, Clementia, &c. decantetur, ac glorificetur, timeatur, ac ametur ab omnibus fidelibus ac infidelibus. *Sanctificetur nomen tuum*, & dispereat omne nomen idolorum, ac hæresiarcharum. Tacet lupus, suum quærit, non nomen Domini magnificare. Si fortè ore egurgitat, *Sanctificetur nomen tuum*, corde profectò eructat, nomen meum, ac filiorum meorum, gestiretque, quatenus universi divitiis ipsius sese acclinarent, seque Dominum præpotentem devenerarentur.

Prov. 16. v. 4.

Sanctificare nomen Domini, quid sit.

IV. Sanctificantur permulta in Ecclesia piè ac sanctè in usus certos, quemadmodum campanæ, panis, potus, herbæ. Hunc pium usum perperàm æmulantur Lupi rapaces, & se ad eam sanctificationem devotos exhibent. Ubi enim illuxerit dies festus, in quo decantari, ac sanctificari nomen Domini par esset; tum apud quospiam clarificatur vinum, mulsum, vinum adustum. Tunc uxori manendum domi, ad cauponandum potum; tum viro pulsanda moneta, an proba, aut reproba; tum panis glorificandus, & epulæ instruendæ. Et ubinam nomen Domini? Ignotum, propè ac apud Athenienses nomen Ignoti DEI; seu apud Romanos nomen Deæ silentiariæ.

***

§. III.

§. III.

Adveniat regnum tuum.

V. REcordare tamen, frater Lupe, tibi non semper successura latibula, migrandum nonnunquam ex silva. Veniet, veniet venator mors, quæ te jaculo confodiet; veniet Sathanas, qui te reti suo involvet; veniet Deus ipse, qui à te rationes exiget, & te hinc exturbabit. Eja itaque, asylum aliud in tempore prospice, & defensorem accura. Precare, ut Dominus Deus tuus absolutè, semotoque regnet adversario; ut omnes omnino creaturæ, ac homines eidem incurventur, ut gloriosè in piis regnet per gratiam, ac gloriam; in impiis per justitiam ac vindictam. Precare, quatenus sequestratis offendiculis, ex hoc mundo, tanquam ex periculosa militia, unà mecum transferaris ad regnum gloriæ, ac felicitatis æternæ. Precare, inquam, hæreditatem sanguine Filii Dei comparatam, & exulula: *Adveniat regnum tuum.* Video, ô Domine, Sathanæ regnum mirum in modum propagari, video terrena omnia evanescere, regnum tuum sempiternum inaudio, ac credo: *Adveniat regnum tuum.*

Eheu, incassum & id occino, ut video, non novit, nec credit Lupus aliud regnum, præterquam quod deperit.

Lupi vitant Olympum.

Lupi, testimonio Metaphrastis, vitant Olympum, nec ullus unquam in monte illo celsissimo visus est. Horrent nimirum silvestres Lupi sublimia, & ut plurimùm in dumetis, ac vallibus, vel ut Hyena (quæ & ipsa de familia ipsorum habetur) in sepulchris morantur. Peræqua conditio domesticorum, seu civilium luporum, & ipsi viscera terræ rimantur, terram liguriunt, sepulchra effodiunt, tenebras adamant, ab Olympo cæleſti ore Apostolico fugantur. *Nolite*, ait Doctor Gentium, *errare fratres mei, neque fornicarii, neque adulteri, neque fures, neque avari, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Arcet, & rejicit illemet, qui tenet claves mortis, & inferni, dum ait: *Quàm difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt! Facilius est enim, Camelum per foramen acus transire, quàm divitem in regnum cælorum.* Quemadmodum naturalibus mediis, ac industriâ implicat gibbosum illud animal foramen acus transire, ita etiam impossibile est, naturalibus viribus, aut etiam communibus Dei auxiliis divitem fieri participem regni cæleſtis. Singularibus, amplioribusque auxiliis supernaturalibus illi opus est, ut ab inordinato divitiarum, ac illecebrarum affectu avellatur, & finem suum, in quem conditus, consequatur.

Avari cælo arcentur.

1. Cor. 6. 9.

Luc. 18. v. 25.

Jam verò, si id de quovis etiam innoxiè opulento adstruitur, quantò ægriùs difficiliùsque regnum illud patebit lupis rapacibus, & sanguinem proximi exugentibus. Resipisce itaque, frater lupe, & sectare justitiam, ac dicito: *Adveniat regnum tuum*, Domine. Non audit. Dic lupo, *Pater noster*, & ille remussitabit ovis.

§. IV.

Fiat voluntas tua.

VI. JAm si mihi cum silvestri lupo res esset, tangerem defectum quempiam colli ipsius, quòd illud inflectere nequeat. Sed heu idem defectus est domesticorum in voluntate. Nolunt illam inflectere ad amussim, & regulam supremæ divinæ voluntatis, sed suam in omnibus sequuntur, & quantum in illis est, exequuntur.

Nihilominus & hîc scito mi Lupe: Quia: *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem Patris, qui in cœlis est.* Scito quòd necquicquam Numen tremendum vindicet, ac detestetur præter propriam voluntatem. *Cesset voluntas propria, & infernus non erit*: loquor cum mellitissimo Patre Bernardo. *In quem enim ignis ille desævit, nisi in propriam voluntatem?* Si itaque Deum amicum exoptas, idem velis, idem nolis cum eodem; nihilque aliud intensius exoptes, quàm ut ipse dirigat actiones tuas omnes secundùm beneplacitum suum.

Matth. 7. v. 21.

Voluntas propria fulminata

Bern. ser. 3. de Resurr.

Catenam pendere è cœlo à Jove dimissam commentus est Homerus, quatenus dii in terris commorantes ad eam appensi, ipsum è cœlo traherent, & attraherentur. Typus id orationis ad divinam voluntatem conformatæ; Catena illa est, quâ Deum ad nos trahimus, nosque ad eum trahimur, dum velle nostrum infallibili, & æquissimæ ejus voluntati subjicimus, & is est orationis nostræ præcipuus effectus. Dic ergo mi Lupe: *Fiat voluntas tua.* Reluctatur, & abnutat. Mallet ille orare: O Domine, non tua, sed mea voluntas fiat; sicut in cœlis, ita & in terris, in vota te quæso inclines nostra.

Homer. in Odyss.

Obviantem sibi canem bellè adipatum nactus in nemore lupus, faustum mane apprecatur, scitaturque ut valeret? Cui pancraticè valere se jactanti, instabat Lupus: Unde tibi tam procera statura? unde pellis tam nitida? venter tam tumidus? Respondit canis: Favori id Domini mei acceptum fero, cui quando adblandior, ille me demulcet, ex orbe offam ministrat, tapete dormituro insternit. Arrisit id genio Lupi, & se animitùs Domino ipsius deservituram, si gratiam faceret, jurat. Efficiam, inquit canis, quod petis, & te pro viríli commendare adnitar; tu duntaxat mores tuos paululùm agrestes corrige, & ad officia humanitatis, voluntatemque heri mei exequendam te compone. Recepit Lupus, se id accuraturum, & illi vicissim, si pondus habuisse commendationem illius perspexerit, servitia sua commodaturum. Cùm ecce arbitratur antehac non visam in collo vertagi armillam, & num de familia Torquati foret, aut qua de causa torquem hanc portaret, expiscatur. Cui canis: Herus meus eam mihi imposuit, illaque me advincit catena, ne contra ipsius voluntatem, aut lepores infecter, aut feras alias, hominesque ipso invito invadam. Quo audito, lupus reululabat: Jam renuntio tali Summati, malo genio meo amplius, etsi minus cuticulæ litare. Præstat sui, quàm

Fabula de Lupo & Cane.

alterius

alterius esse arbitrii. Tu, si libet, in ergastulis saginam operiare, ego libertatem meam tanti haud auctionabor, aut prostituam.

Reflectite Vos, quæso, ab hoc silvestri lupo, ad domesticum, & dicite, an non idipsum præstet ille, an non invitô Dominô, pauperem tanquam lepusculum invadat? an non devorare festinet? an non malit perire, quàm voluntatem suam ad amussim divinæ inclinare? Nimirum, dic *Lupo, Pater noster, & ille dicet ovis.*

§. V.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

VII. VErùm ut ista comprehendere nequis cerebellô tuô, minimum tibi imprime: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Novi enim probè stomachum tuum; liquidum te non panes, & carnes tantùm, sed & terram ingerere, ac ossa belle concoquere. Dic ergo: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Id est: Largire ô Domine, cibum ac potum, victum & amictum non alienum, aut raptum; sed mihi per laborem, census, eleemosynas, aliisve viis dandum. Largire panem nostræ substantiæ congruentem, & sufficientem, non qui serviat voluptati, sed necessitati; non delicatum, aut copiosum, sed frugalem, ac moderatum; id est quotidianum. *Divitias ac paupertatem ne dederis mihi, sed tantùm victui meo tribue necessaria.* Largire insuper panem spiritualem, panem supersubstantialem, ac Eucharisticum; panem inquam corporis & animæ; & sacramentum visibile, ac invisibile verbi Dei.

Prov. 30. v. 8.

Quid verò cogitat, quid postulat Lupus, quid avarus? Panem infinitum, panem sine numero, pondere, mensura. Mallet ille ut juxta Midæ votum, cuncta suo attactu converterentur in aurum, aut argentum. Gestiret non tam cibo vulgari, quàm metallo fulvo repleri.

In Cilicia, & Tauro invenitur genus Luporum teste Opiano, Chrysæon dictum, hoc est aureum. Id æs, ferrum, saxa devorat, & tempore famis terrâ pascitur, quam prædâ habitâ egurgitat. Cœcos ut plurimùm parit catulos, super aliorum genium feracissimos. An non collactaneus horum censendus est Euclio quisque? Nonne terrâ, auro, argento sese infarcire laborat? Nonne inferno similis, & quantò plures possidet opes, tantò copiosiores desiderat?

VIII. Recenset P. Nider Societatis nostræ, ejusmodi Lupum Constantiæ repertum, qui aurum suum in vita corrasum tam perditè deperibat, ut gravi obnoxius morbo, ne quid in medicos de auro erogandum esset, in valetudinarium publicum sese deferri curaverit. Hic cùm ultimam sibi instare vitæ lineam persentisceret, & jam inter gravissimos cruciatus, deficiente sensim animo, mortem ipsam anhelaret, jusculum quodpiam ex leguminibus sibi parari, & aurum adferri efflagitaverit. Paratur jusculum, & unà cum auro cista adfertur, cujus aspectu ille animo

Avari exemplum terribile. P. Nider in Alphab. Diab.

animo vehementissimè commotus, obortis lachrymis, & abruptis singultibus ejulare cœpit : Cui te dilectum elementum, cui te thesaurum cordis mei committam? Heu quantis tu mihi laboribus, sudoribus, vigiliis constitisti? Quomodo te tota vitâ meâ medullitùs dilexi, & nunc avellor à te?

Tum admotâ, ut potuit manu, aureos accipit, offæ immiscet, arreptoque cochleari semel, ac iterum in os ingerit; quoad fulminatam animam, unà cum vita expuit.

Exigite hîc apud vos, an non impletum in eo ad literam, quod prædixerat Jobus virorum patientissimus, ac sapientissimus: *Divitias, quas devoravit, evomet, & de ventre extrahet illas Deus.* Exigite an non hic, ut lupus vixerit, & pejus illo mortuus sit. Exigite, an is unquam *Pater noster, panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, verè dicere quiverit?

Iob. 20. v. 15.

§. VI.

Et dimitte nobis debita nostra.

IX. REvoca tibi minimum frater lupe, quòd multa damna intuleris, innumeros defraudaveris, peccatis tuis supremum Numen exacerbaveris, & suspira ad Deum, & dic: *Dimitte nobis debita nostra, sicut nos dimittimus his, qui peccaverunt in nos.* Dimitte non debita pecuniæ, non restitutionis famæ, ac honoris; quia hæc me refusurum recipio, sed debitum culpæ, ac injuriæ tibi illatæ, quæ reatum sive obligationem pœnæ, ac gehennæ inducunt, quemadmodum & ego propter te dimitto, nec volo vindictam ullam privatam, aut publicam, nisi quam recta ratio efflagitat.

Matt. 6. v. 12. Luc. 11. 4.

Hæc est conditio, quam Deus à nobis requirit, quâ positâ facile dimittit, si verò ea desit non dimittit; juxta quod subditur apud S. Matthæum: *Si enim dimiseritis hominibus peccata, eorum dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra; si autem non dimiseritis, non dimittet.* Hoc est ergo quasi pactum Dei cum peccatore; si dimittis, dimitto; si non dimittis, non dimitto. Unde qui nolunt proximis offensas dimittere, mentiuntur, Deo, & se tacitè condemnant, ac se remissione indignos ostendunt; & quasi contra se sententiam pronuntiant, nimirum ne Deus illis debita sua remittat. Dic itaque Lupe: *Dimitte nobis* &c. Prô dolor! Et id lupo impossibile; & si forsitan ad exomologesim ex consuetudine, aut præcepto se recipiat; nunquam id sincerè, aut cum vero emendationis proposito præstat.

X. Volens nonnunquam Lupus silvestris exonerare conscientiam suam, contulit se ad Asinum quempiam obvium; & Confiteor suum deblaterat. Quærit ex eo Confessarius Asinus, Lupe devorasti verveces? Ita est, reposuit, sed non meâ culpâ. Pergit ille, nonne & capros, porcosque? Annuit & hic Lupus, sed id non suâ culpâ etiam factitatum. Nonne & Juvencos? Comedi ait Lupus, sed non ex malitia mea, nihil amplius. Quid tamen causæ intervenit effare? Ego respondit hausturus

Lupi Confessio.

turus parum aquæ liquidioris, acceſſi flumen, & ecce vervex ſordidus turbavit mihi illam, ac miſcuit, eapropter docturus illum mores, invaſi, & ligurii. Et porcum cur devoraſti? Componebam me ad ſomnum, & hic grunnire occepit. Cogitavi itaque, beſtia hæc turbabit me, & alios bonos homines, invaſi itaque, apprehendi, & offocavi. Quid autem deliquit bos? Jam probè Morpheo indulgebam, cùm is ultra milliarium immugiit, exhorrui igitur, inopinato excitus boatu, & ut putabam, claſſico; at ubi mens, ſenſusque redière, & ille alterum intonaret, accurro, & devoro. Hac in parte non equidem arbitror me deliqu ſſe, ſi tamen reus ſum violatæ manſuetudinis, incuſo memet. Audiit hæc tacitus Aſinus, & ubi finem feciſſet, ſententiam tulit, iniquè illum feciſſe, quòd tam futili ex cauſa innocentes animas ſuſtulerit, adeoque ſeria illi opus eſſe ad conciliandum Numen pœnitentia. Tum Lupus: O Domine Aſine, per Deum rogo, da parvam aliquam, alioqui non implebo. Jejunare in oleo, aut piſcibus non valeo, tuſſim aut catharrum ex illis timeo, & ne graviore affligar ægritudine, percellor. Ut etiam corpus meum ſat emaciatum, ac tenerum excruciem, religio mihi eſt. Comedas ſanè, reponit Aſinus, carnes; verùm tam temperatè, ut non excedas quantitatem auriculæ meæ. Audiit hæc lupus, & arreptis ejus, qui illi à Confeſſionibus erat, auribus, momentô concidit, devoravitque. Ecce, qualis confeſſio, talis ſatisfactio.

Avarorum confeſſio vana

Et num pauci hac in parte lupum æmulantur? Num pauci leviſſima de cauſa familiæ mercedem defalcant, aut alios opprimunt, emungunt, circumveniunt? Num pauci, qui alios quà verbis, quà facto graviter læſerunt? Interim aut quærunt Aſinum, cui peccata deponunt, aut pejores remigrant, quàm acceſſerunt, nullô conceptô propoſitô, aut reſtitutionis, aut emendationis. O Lupe frater, ſcito, quòd non dimittatur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Scito, quòd niſi dimiſeris aliis peccata eorum, nec DEUS Pater dimittet tibi peccata tua. Scito, quòd fruſtra abſolutionem extorqueas, niſi emendes, quod plangis. At dic *Lupo Pater noſter, & ille exululabit ovis.*

§. VIII.

Et ne nos inducas in tentationem.

XI. NOn omnino de tua ſalute deſpero, mi Lupe, nec tam perfrictæ frontis animal re eſſe autumo, ut per nequitiam diſſipes, ac diſperdas oviculas. Occaſio nimirum, tentatio facit furem, ac perditum peccatorem. Dic ergo: *Et ne nos inducas in tentationem.* Non permittas nos, ô Domine, in eam induci tentationem, quâ capiamur, & illaqueemur. Sed incaſſum tento & iſtud.

Lupi propositum fragile.

Cœpit quadam nocte Paterfamilias lupum in ſtabulo, & præ gaudio exclamavit: Expecta furcifer, jam te teneo, hîc mihi dabis collum, tot oves unô tuô perſolves coriô. Ille ad lupinam converſus demiſſionem, rogat, obteſtatur, emendationem ſpondet, pejerat, deinceps ſe injuriam nulli facturum. Regerit Paterfamilias: Ho, ho, lupe, novi genium tuum, pilum, non naturam mutabis, novi effrænem ad carnes appetitum tuum, non ſuſtinebis, non deſiſtes. Exululat rurſum lupus, & per Deos, Deásque, per capreas, hinnulósque cervorum obteſtatur; Parce Domine, jam me corrigam. Paterfamilias religione tactus, ſiquidem, replicat, ita me obteſtaris, ecce liberum te dimitto, ſed ea conditione, ut unico groſſo terminetur prandium tuum. Jurat tertiùm lupus, & dimittitur liber. Ecce verò, de juramento anxio, occurrit porcellus inſignis. O tentatio! Quid facio, inquit? Comedo, propoſitum, & votum infringam. Quid? nequaquam. Eſt ſetaceum unum, perca una, vix ſolido væniit. Hæc intra ſe diſceptans, invaſit, degulavit. Ereptat paulò pòſt ultra, & bovem cum vitulo offendit. Hîc rurſum religione, ac conſcientiâ remordente tactus, deliberat, quid faciat, decidítque bovem duobus ſolidis, vitulum unô æſtimandum. Hac definitione fretus, & hunc & illum necat, & depaſcitur.

Fabula hæc, Aud. mei, ſed veritas, quòd nemo magis tentationibus obnoxius, ac avari. *Qui volunt*, ait Vas Electionis Paulus, *divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueos diaboli.* Quoquò ſe vertunt, occurrit illis tentatio. Conferunt ſeſe ad viridaria, ad campos, prata, comitatur tentatio, ſi tuum eſſet. Ad forum, ad nundinas, ad vicinos, tentatio, ſi fallere poſſes. Nec petunt ſe ab iis liberari, ſed dolent ſe tam parum irretitos eſſe. Rogent ergo: *Et ne nos inducas in tentationem.* Incaſſum, incaſſum.

1. Tim. 6

§. IX.

Sed libera nos à malo.

XII. UT video, oleum & operam perdo tecum, mi Lupe, id ultimùm moneo, ut noveris, tibi foveam eſſe paratam, eámque profundiſſimam; noveris, Leonem Averni, qui per Antonomaſiam dicitur malus, tibi inſidiari; noveris, tibi, tuíſque mala inſtare graviſſima. Dic ergo: *Libera nos à malo.* Libera, inquam, nos Domine ab omni malo, quod vel ad peccatum trahit, vel in via virtutis, ac perfectionis remoratur. Nullus mihi in ſæculo ô DEUS timor erit, ſi tu meus tutor eris. At dic Lupo, *Pater noſter*, & ille iterum atque iterum exululabit ovis, ovis.

Quid igitur ago tecum, quid ſuadeo? Id quod lupis agnatum, & quod D. Jacobus Apoſtolus inculcat: *Agite nunc divites*, (agite lupi rapaces) *ululate in miſeriis veſtris, quæ advenient vobis. Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt,*

Iacobi 5. v. 1.

sunt, aurum, & argentum vestrum æruginavit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras, sicut ignis. Loquitur hîc Apostolus de futuro, quasi de præterito; & perinde acsi jam factum esset, quod eventurum erat. Certò certiùs enim illa rerum catastrophe vobis impendet, aurum vestrum in auram evanescet, & de potentia sola superstes manebit miseria; de opibus inopia; de delitiis fames; de purpura & byssо nuditas, de divitiis non nisi vitia, de tantis mortalium favoribus, non nisi immortalium nunquam interitura odia. Quippe, ut idem subdit: *Thesaurizastis vobis iram in die iræ.* Arbitramini vos gazam quampiam thesaurorum coacervasse, & conflastis vobis cumulum calamitatis, ac miseriæ, fulminum, ac tormentorum.

Id ne tandem superveniat reipsa vobis, nunc ululate in miseriis vestris, rapinas dimittite, aliena restituite, damna compensate, & Numen offensum placare satagite.

CONCIO XXIII.

IN DOMINICA III. POST PASCHA.

Triſtitia veſtra convertetur in gaudium.

Joan. 16.

ARGUMENTUM.

CONDIMENTUM TRIBULATIONIS.

I. ACri hactenus ſtudiô, ac impêſis deſudatum in eo eſt à plurimis, ut metallum unum in aliud, ſtannum in argentum, æs in aurum refingerent. A. Ego, ſi quid artis in chymicis eſt, eam hâc luce addiſcere geſtirem, quatenus aquam triſtitiæ, tribulationumque in decoctum voluptatis, ac gaudiorum eliquare poſſem. Hæc enim ars & in ſeipſa longè excellentior, & nobis lympham tribulationis, ac miſeriarum continuò potantibus multò fructuoſior. Verùm, quem magiſtrum hujus gnarum artis nanciſcar? quem ſequar?

Occurrit zelantiſſimi Eliæ verus, germanusque, quà virtutum, quà prodigiorum hæres Eliſæus. Hic quum in urbem Jericho deflexiſſet, eamque per circuitum luſtraſſet, audiit à circumſtantibus: *Ecce, habitatio hujus civitatis optima eſt, ſicut tu ipſe Domine perſpicis, ſed aquæ peſſimæ ſunt.* Si quid vales, ut vales plurimùm apud Deum, opitulare, atque hanc amaritudinem in dulcedinem tranſmuta. Quorum humanitati gratificaturus Vates, ſalem afferri præcepit, eumque in flumen demiſit, dicens: *Sanavi aquas has, non erit ultra in eis mors, neque ſterilitas.* 4. Reg. 2. v. 19.

Quòd ſi per hanc dudum fulminatam Jericho mundum in maligno poſitum cum aliis SS. Patribus intelligo, & juxta eorundem ſenſum per aquas tribulationes interpretor, ejusque & ſtatum, & querelas expendo; idem omnino mihi inſuſurrare inaudio: Ecce habitatio civitatis hujus mundi optima eſt, ſed aquæ tribulationum ejus peſſimæ. Officiunt, non proſunt; amaricât, & exaſperant, non temperant ſitim; necant, non nutriunt.

nutriunt. *Aquæ ejus pessimæ sunt.* Cui malo medicaturus, nequicquam efficacius invenio, quàm ut exemplo Elisæi salem Evangelicum immittam. Cum grano enim salis accipienda, & interpretanda esse dicimus, quæ vel minus salutaria, vel minus sapida occurrunt. Et insulsum est omne, quod non est sale conditum. In eum finem septem grana permodica ex hodierno Evangelio desumam, (toties enim in eo legitur *modicum*,) illisque condire, ac temperare aquas vestras admitar.

§. I.

Primum granum salis condiendis miseriis aptissimum est modicum temporis.

II. PRimum Granum salis, quo aquæ tribulationum condiendæ, & amaritudo indulcoranda est, est modicum durationis, seu temporis. Labor enim omnis, & afflictio justorum, quo in hac mortalitate conficiuntur, permodicus est, & prope momentaneus. De eo enim ipse Dominus apud Isaiam ita enuntiat: *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui.* Quæso quid minus puncto? aut quid brevius momento? Minimum illud in linea, minimum istud aliis in rebus. Et tamen hoc puncto, ac modico comprehendere voluit Dominus, D. Hieronymo Interprete, tempus omne ab Adam, usque ad Christum, quo Gentilitas à Deo fuit derelicta ac repudiata; quoniam respectu æternitatis, in qua deinceps Deo conjuncta est, facta que æterna ejus uxor, tempus illud, punctum, ac momentum meritò reputatur. S. Ambrosius intelligit tempus persecutionum à tempore Neronis, usque ad tempus Constantini Magni, quod omne appellat Dominus modicum, *quoniam mille anni ante oculos ejus tanquam dies hesterna, quæ præteriit.* Ad veram æternitatis regulam, & amussim omne illud tempus, vel ab Adam usque ad Christum, vel à Christo usque ad Constantinum modicum erat, momentaneum, punctum. Ergo si illa millia annorum indigitantur puncta, si trecenti hi post Christum natum momentum, quid erunt tribulationes nostræ; quàm quidpiam minus puncto, ac momento? Vah & nos puncto uno modico patientiam nostram exerceri, ac periclitari indignabimur? Vah quale aurum sumus, quod in camino tribulationis tam facile evanescit? Vah quàm corrupta organa Numinis, quæ modulata, tam flebiles edunt sonos? quàm putridæ naves, quæ in aquis minimis subsident? quàm exigua in nobis amoris divini flamma, quæ guttis tribulationum modicis omnino extinguitur?

Tribulatio omnis brevis hujus vitæ.

§. II.

Alterum granum Salis, seu modicum respectu pœnarum inferni.

III. EXululat hîc quispiam, & ingemiscit: Ita quidem olim Vulpes consolata est Leporē, dum illi pellis detrahe-

Tribulatio levis intuitu pœnarum inferni.

traheretur. Frater Lepûſcule, patientiam habe, eſt tantùm tranſitus. At ego acutiſſimè ſentio, quàm acerbæ ſint adverſitatum lymphæ, quæntáve cum juſculo miſeriæ mihi ingerantur. Si delibares & tu hanc aquam, aliter profectò de illa decerneres. Modicum ſanè non eſt, quod premit graviſſimè. Sit ita. Verumtamen utut Aqua quam potas amara ſit, condiri illam ſapidiùs poteris, ſi alterum granum ſalis apposueris, id eſt, offam ſulphuris, in olla Erebi ſuccenſam, ſeriâ mente ruminatus fueris. Ohe quàm grata, quàm accepta, quàm ſapida foret illico offa tua! Quidquid enim in hac univerſitate excruciat, utut durum, aſperum, atrox, crudele ſit, gutta eſt modica ad inexhauſtum illud tormentorum pelagus. Punctura eſt leviſſima, in comparatione plagæ illius, nunquam & nunquam ſanandæ.

IV. Quum Dominus oraculo ſuo prædixiſſet impendentia Jeroſolymæ mala, futuris temporibus eventura, ſubdidit: *Hæc omnia initia ſunt dolorum.* Matt. 24. Sunt primi apices flagellorum, quibus impii exarabuntur, litus placidum ad Oceanum cruciatuum; janua, ad locum perpetuum tormentorum. *Hæc ſunt initia dolorum.* Quidquid filius perditionis, vel membra ejus tormentorum commenti fuerint, quidquid tyrannis attentare valuerit, vix umbra reputabitur. *Hæc omnia initia ſunt dolorum.*

V. Inaudita prope crudelitas Antiochi Regis in Judæos exercita, ſat graphicè in hiſtoria Machabæorum deſcribitur. Effudit ille vim omnem ſuæ tyrannidis in ſenes æquè, ac juvenes, in viros, ac fœminas; in templa & altaria. Nihilominus totius tragœdiæ epilogum hoc epiphonemate coronat Hiſtoricus: *Propter peccata habitantium civitatem modicùm Dominus fuerat iratus.* 2 Mach. 5. O mi Deus, hoccine eſt modicum in ſartagine frixare vivos, in craticulis torrere ſemianimes, pectinibus ferreis excarnificare, decoriare, diffindere, & aliis ejuſmodi, imò acerbioribus torquere cruciatibus? Quid dici atrox, aut crudele poterit, ſi hoc leve, aut modicum judicatur? Et tamen revera modicum fuit; initium dolorum fuit; eidem Antiocho, aliiſque impiis impendentium. Hîc jam exigite intra vos metipſos, & obvio, planoque ſyllogiſmo concludite: Si non poſſum in præſentia tolerare modicum, quâ ratione perferam pondus ſuppliciorum? ſi non queo flagellum ſuſtinere, quo animo gladium excipiam? ſi nec ad momentum flammam lambentem, quomodo intimè depaſcentem ſufferam?

Antiochi crudelitas

VI. Hunc in modum ſuis in doloribus ſecum ratiocinabatur ſapientiſſimus æquè, ac patientiſſimus Jobus; vocando in comparationem ſuas afflictiones cum fulminandorum ſuppliciis: *Cùm vix parvam ſtillam ſermonis ejus audiverimus, quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri?* Iob. 26. q. d. Omnia ea quæ patior, videntur mihi ſtilla intuitu pelagi, omnes plagæ tam leves, ut vix ſentiantur, niſi auribus percipe-rentur. At verò pœnas damnatorum, quis non dico ſufferre, ſed vel intueri queat. *Cùm vix parvam ſtillam,* &c.

Hoc

Hoc grano ſalis condire ſolitus cibos, quantumvis inſulſiſſimos P. Franciſcus Borgia, quondam Dux Gandiæ, ac ſubinde Societatis noſtræ Moderator, in tantum, ut quò amariores, eò prope dulciores eidem acciderent. *In Vita.* Quod advertens P. Buſtamantius ſocius illius, percontatus eſt ipſum, quomodo tam inſulſa comedere poſſet? Cui ille: O Pater, ſi inferni ſulphur deguſtares, nimis dulcia, & opipara tibi hæc ipſa viderentur. Crede mihi, nihil tam acerbum eſt, quod ſulphur inferni non condiat; nihil tam durum, quod ignis illius non excoquat; nihil tam nauſeabundum, quod ſempiternarum memoria pœnarum rejiciat. Eodem ſi nos uteremur, credo miſeriarum pulmentum, utut acerbum, aut acidum fuerit, multò minùs inſipidum guſtui noſtro futurum. Abſorberetur vis illa omnis amaritudinis noſtræ; intuitu, ac præſentiâ, citra ullam comparationem gravioris calamitatis.

§. III.

Modicum, ſeu ſalis granum tertium, reflexio ad cauſam.

VII. HAud modicum etiam accederet ſaporis aquis tribulationum, ſi ad malum culparum noſtrarum nos reflecteremus; & hoc veluti condimentò tertiò temperaremus. *Tribulatio levis reſpectu culpæ.* Lenitur enim dolor flagelli memoriâ culpæ, & tantò quiſque ferramentum medici patientiùs ſuſtinet, quantò magis putridum eſſe arbitratur, quod ſecat.

Fratribus Joſephi Patriarchæ, ut primùm obverſari animo cœpit malevolentia in ipſum exercita, illicò ſimulati etiam furti pœnam juſtam, ac æquam habuêre, dicentes: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtias animæ ejus, cùm deprecaretur nos, & non audivimus.* Juſtus eſt Deus, qui talione æquiſſimâ vincula pro vinculis, latomias pro ſpelunca, Ægyptum infeſtum pro averſione, ac odio rependit. Cùm enim fratrem noſtrum vinculis adſtrinxerimus, juſtum eſt, ut & nos cataſtis innodemur. Quum ipſum in foſſam putei demerſerimus, juſtum, ut carceribus mancipemur; cùm in ſervitutem Ægyptiacam vendiderimus, meritiſſimum, ut & nos in mediaſtinos, ac mancipia tondeamur. *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum.* *Gen. 42. v. 21.* Ita illi, & quidem ſapientiſſimè ratiocinabantur, levaturi dolorem, ac miſerias in caput ſuum devolutas. Nos pari profectò dilemmate calamitates noſtras interciperemus, ſi delicta priſtina vel molli unguiculò refricaremus. *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum*, in Aſſertorem, in Deum, ac Dominum noſtrum.

VIII. Minimo etiam veniali peccato expiando, necipſe per ſe par eſt Orcus, cum omni tormentorum ſuorum ſupellectile; & ego lamentor, ſi vel febricula tentet, vel ſtilla adverſitatum tingat, vel gutta amaritudinis palatum inficiat, vel dolor unguium illudat? Supremi

premi cœlituum antistites, & primogeniti ante omnem aliam creaturam spiritus ob unicum superbiæ actum, momento temporis exercitum, rudentibus inferni detracti; totus mundus in concupiscentiæ suæ pœnam cataclysmô involutus, Bethsamitæ ob curiosum arcæ conspectum morte subitaneâ sublati, alii aliis supplicîis ob unum flagitium patratum, affecti; nos haud ob unam arrogantiam, lasciviam, curiositatem, verùm multa alia flagitia castigati virgâ correptionis, in Furias, ac furores agemur? Miremur satius, quòd aliis gravioribus casibus non simus excepti, aut fame consumpti, aut morte crudelissimâ sublati. *Meritò hæc patimur.* Exosculemur manum Domini in conferendis gratiis munificam, in vindicandis offensis tam parcam, ac moderatam. Stupeamus perversam nostram voluntatem divinæ in tantum refractariam, quæ nos tanto tempore in misericordia, & miserationibus sustinuit, vel tam paternè castigavit, dicamusque: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus.* Vel cum regio Vate; *Psal. 118.* *Justus es Domine, & rectum judicium tuum.* Agnosco summam Pater pissime dignationem tuam, quâ ignem mutas in aquam, ferrum in virgam, æternas pœnas in temporales; Justitiæ tribunal in thronum misericordiæ, quia in tempore corripis, ne in perpetuum fulmines. Vel cum Origine: *Opto, ut cùm in hoc* *Orig. h. 20 in hexam.* *sæculo sum, visitet Dominus peccata mea; ne in altero audire merear: Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua.* Vel cum S. Augustino: *Domine hîc ure, hîc seca, modò in æternum parce.*

§. IV.

Quartum Granum Salis, seu Modicum respectu aliorum miserius viventium.

Tribulatio nostra levis respectu aliorum.

IX. JAm gusta paululùm, sic attemperatas aquas tuas, & si etiamnum desipiant, quartum granum appone, ex miseriis aliorum desumptum. Tu tibi videris derelictus inter alios, & vix mortalium quempiam gravioribus obnoxium calamitatibus. Verùm si accuratiùs expendas, invenies tuas cruculas esse festucas, aliorum trabes ingentes. Etenim si te defectus aliquis premit, alii in extremo mendicitatis veterno versantur; si ægritudine affligeris, alii Herculanis occupantur; si spes tua in aliquo elusa, aliorum conatus omnes incassum cecidêre. Quid multa? Tu maceraris curis in animo, illi distorquentur laboribus, ac cruciatibus in corpore; alii cum Lazaro ostiatim stipem emendicant, tibi omnia ad votum suppetunt. Vah & tamen grave tibi est sarcinam tuam portare, & forsitan cum aliorum commutatam cuperes?

Fabula de miseriis commutatis.

X. Comminiscuntur Poëtæ mortales expensis quondam tot, tantisque restagnantibus undique adversitatum rivis, concordibus suffragiis, pro iis avertendis supplices Jovem adiisse, enixéque efflagitasse, quatenus tantis eximerentur calamitatibus. Ille auditâ eorumdem legatione, respondisse fertur, rem impossibilem, & tam suo honori, quàm commodis ipsorum adversam urgeri. Siquidem cos ipsius virtutis

cutis sit adversitas, quâ illa exacuitur, & citra quam hebetatur, ac rubigine vitiatur quàm maximè. Nec alto unquam invehi navigia, nisi agglomerentur diluvia, nec homines è litore soluturos, nisi tempestatibus provocentur. Cùmque nihilominus instarent, & ut minimùm has tempestates moderaretur, efflagitarent, id ea conditione indultum est, quatenus quisque suam crucem cum altero commutaret. Excepêre hanc gratiam pronâ aure, atque animis universi, & die statuta suas in unum cumulum miserias coadunârunt. Hic uxorem suam, (malam crucem) ille ægrimoniam, tertius defectus alios attulit. Tum factâ optione, hic aliam uxorem ducit, ut rebatur meliorem; ille pro chyragra eligit colicam; iste præ asthmate dolorem dentium, alii alios dolores, languoresque, prout sors ferebat, adoptant. Et ecce, ut primùm domum redière deprehendunt suas commutationes summè erroneas; & alter quidem pro Hecuba Megæram se possediße indoluit; alter suum dolorem non æquanimiter sustinuisse conquestus; tertius suum infortunium in deterius versum ingemuit. Factâ itaque iteratâ conspiratione, Jovem rursum appellant, errorem agnoscunt, irritam reddi permutationem efflagitant, & suas sibi reddi uxores, suas miserias restitui instantissimè urgent.

Quorsum verò ista Poësis? ut vel ex fabulis veritatem agnoscatis, miserias nimirum vestras longè inferiores esse iis, quibus alii obnoxii existunt; & vos latere, ubinam alium vicinum calculus vexet, vel quantum excruciet.

§. V.

Modicum Tribulationis nostræ respectu Sanctorum.

XI. ET hæc forsitan solis impiis supplicia irrogantur tuo judicio, à quibus filii immunes. Age exploremus, & si contrarium deprehenderimus, quintum jam granum, seu modicum apponamus. Eheu quàm leve, quàm modicum est omne illud, respectu ipsorum, quod perferimus. *Tribulatio levis respectu Martyriorum.*

Doctor Gentium delibans eorum itinera, quibus ad Elysias sedes eluctati sunt, ait: *Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. Alii verò ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.* Notæ, ac perspectæ sunt persecutiones decem, quibus primitiva ecclesia, non tam concussa, quàm nobilitata est. Compertum quibus tormentis sublati Apostoli; quibus lanienis excarnificati Martyres; quibus equuleis probati Confessores. Perspecta etiamnum hæreticæ crudelitatis theatra, nec quicquam prioribus sæculis hac in re palmam cessura. *Hebr. 11. v. 37.*

Hem & nos citra ullam patientiæ laureolam assidere illis affectabimus? Nonne nos imbelles datura est in ruborem ipsorum purpura? Quot ibi tenellæ Virgines, quæ cùm non haberent, quo ferrum reciperent; invenerunt,

quo ferrum vincerent. Quot ibi nondum idoneæ pœnæ, & jam maturæ triumphis? An non vel in ipso illorum, illarumve comitatu, & gloria gestires, in eodem cum illis cucurrisse stadio? Nonne concupisceres, idem cum illis apprehendisse bravium, eandem meruisse coronam. Reverà si nos, aut alios quosvis nostri similes in ea beatitate aliqua tangere polleret vis doloris; tum ea imprimis, quòd tam frigidè alios æmulati fuerimus, tam parum amore Christi perpessi fuerimus. Optaremus omnia illa solos pertulisse, quæ universorum humeris, ac pectoribus exantlata intuebimur. Et tamen, prô pudor! si fortè spina occurrat, acturùm humeros contrahimus; ad cœlum nubilum, frontem caperamus, cum fulminante, fulmina procudimus. Si mica aloës sumenda, pondo saccari mox est condienda, gutta fellis cado mellis diluenda, punctura aciculæ byssо, ac serico involvenda. Præterit nos credo edictum S. Pauli Corinthiis graphicè intimatum: *Sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis.* Præterit nos, quòd qui *Sanctos Martyres in quantum potuerit, imitari noluerit, ad eorum beatitudinem non poterit pervenire.* Præterit nos non posse gaudere cum Sanctis, nisi tribulationem sustineamus cum ipsis.

2. Cor. 17.

S. Aug. ser. 47. de Sanctis.

* * *

§. VI.

Granum salis sextum, seu Modicum in collatione Passionis Christi.

XII. QUòd si tamen nec istud palato vestro satisfacit, addo sextum ex monte Calvariæ effossum. En stat Dominus Jesus manibus simul, ac pedibus perforatis, perinde ac fasciculus myrrhæ, virgæ alligatus. Exhibet is vobis trutinam sacratissimæ crucis suæ, quatenus in ea expendatis, quàm modicum omne illud sit, quod vos amore ipsius toleratis; quàm multum & prope immensum, quod ipse pro vobis sustinuit. *Item vespectacicis Christi.*

Ite igitur, appendite in lance una flagella vestra, cilicia, festucas quaspiam crucis ipsius; & in alia quæ Deus vester pro vobis pertulit. Componite lectos vestros cum lectulo ipsius; famem, sitimve vestram cum siti ipsius; alios dolores sociate doloribus illius; nonne intuitu ipsorum flagella vestra videbuntur vobis blandimenta, vestri defectus commoditates, vestra jejunia gula, vestræ mortificationes deliciæ?

XIII. Ad trutinam hanc, seu mensuram evocat nos ipse Dominus per Ezechielem Prophetam, dicens: *Fili hominis ostende domui Israël templum, & confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam, & erubescant ex omnibus, quæ fecerunt.* Quippe per templum hoc scitè accipitur hîc Corpus Christi, quod ipse Templum, teste S. Joan- Ezech. 43.

S. Joanne, indigitavit. Hoc templum nobis proponit ſeriâ meditatione trutinandum; ut dirutum à Judæis, ſepulchrique ſolo adæquatum; quatenus confundamur ab omnibus iniquitatibus noſtris, tantæ ruinæ obſtetricibus. Metienda eſt fabrica & Celſitudo ipſius, perpendenda ſumma illius Excellentia, ſuprema Majeſtas, Dignitas immenſa, quam ipſe tantopere depreſſit, & exinanivit. Menſuranda longitudo & latitudo, ſublimitas & profundum pœnarum ejus, quas ſuſtinuit nobis præbendo exemplum: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Reliquit exemplum non deliciarum, ſed tribulationum, contumeliarum, flagellorum, dolorum, opprobriorum, ſpinarum, crucis, vulnerum, mortis denique atrociſſimæ. Hæc metire, & cum illis tuas compone.

1. Petr. 2.

Ad hanc trutinam ſuos librare ſolita dolores piiſſima Princeps Parmenſis, ad quam in gravi dolore poſitam cùm altera Domina acceſſiſſet, crucem ferens, perſuadenſque, quatenus lenimentum quodpiam doloris ſui ab eo efflagitaret; reſpondit: Quomodo à tali Domino in cruce pro me exquiſitis ſuppliciis affecto, ut à me dolorem multò leviorem auferat, petere præſumam? Vereor ne forte in faciem mihi exprobret, dicatque: Utique tibi filia mea probè compertum eſt, quantis ego exercitus fuerim, totâ vitâ meâ, corporis, animique angoribus? Utique liquida tibi flagella, corona, crux mea, vulnera mea, quæ ego amore tui perpeſſus ſum, & tu amore mei hanc febriculam, hunc æſtum, hunc capitis dolorem tolerare detrectabis? Pudeat membrum tam delicatum eſſe ſub ſpinoſo capite. Pudeat te in cruce ſolatia captare velle, in pharmaco ſolam quærere voluptatem. Hoc illi erat lenimento, hoc ſolatio; quidni & nobis ſi modò eo uſi fuerimus.

Labbata tom. 2. prop. 2. de Trib.

XIV. Exodi capite decimo quinto proficiſcentes filii Iſraël per deſertum, offenderunt aquas amariſſimas, cumque ex via laſſi deficerent, nec aliam ad bibendum haberent, clamaverunt ad Dominum, qui oſtendit eis lignum, quod cum miſiſſent in aquam, in dulcedinem verſæ ſunt. Manifeſtum eſt, id lignum ex ſe tantam virtutem neutiquam profudiſſe. Indubium, Dominum uno etiam verbulo potabilem facere potuiſſe, voluit tamen mediante ligno hanc præſtare gratiam, ad typum ſalutiferæ crucis exhibendum. Lignum enim crucis, & memoria ipſius eſt, quæ amaritudines pœnitentiæ, tribulationumque noſtrarum in dulcedinem vertit; ſiquidem crucem Chriſti, graviſſimoſque cruciatus conſiderantes, facilè ad ferendas paſſiones noſtras pro Chriſto inducimur, & confortamur. Effœminatus enim, & ingratus nimium eſſet, qui cruciatum ſuam non æquo animo ferret, quum Dominum ſuum tantos cruciatus amore ſui perpeſſum contemplatur.

Exod. 15.

***
**

§. VII.

Ultimum Granum, seu Modicum respectu æternæ Retributionis.

XIV. ULtimum Granum accipio ex salis fodinis ipsiusmet paradysi. Quid quæso est omne illud quod patimur collatum ad pondus æternæ retributionis? Ea sanè est Beatitudo cœlestis, ut si singulis diebus vitæ nostræ millenis gladiis jugulum præbendum esset, parum id omne foret, ad regni illius delicias promerendas. Nam ut bellè convincit Præsul Africanus: *Pro æterna requie æternus labor subeundus erat. Æternam felicitatem accepturus, æternas passiones sustinere deberes. Nam etsi mille annorum essent, appende mille annos contra æternitatem, quid appendis cum infinito quantumcunque finitum? Decem millia annorum, decies centena millia, & millia millium, quæ finem habent, cum æternitate comparari non possunt.* Paucorum dierum est vita hominis, etsi dura lætis non miscerentur, quæ plura certè, & longiora sunt, quàm quæ molesta; & ideo breviora, & rariora sunt dura, quò durare possimus. Si ergo per totam vitam suam homo in laboribus, & ærumnis esset, in doloribus ac tormentis, in carcere & plagis omnibus diebus vitæ suæ, adusque extremam senectutem, pauci illi dies reputandi essent, quibus evolutis instabat regnum æternum, veniet sine fine felicitas, veniet æqualitas Angelorum, veniet hæreditas Christi, veniet cohæres Christus. Prô, quàm exiguo labore, quàm ingentem mercedem referimus? Veterani homines, qui laborant in militia, & tot annos inter vulnera versantur, incipiunt mereri à juventute, & tandem vix senio confecti emancipantur, ut habeant dies paucos quietos, quando eos jam ipsa ætas incipit gravare; nec attendunt ad itinera, frigora, vulnera, pericula, sed ad paucos illos dies senii sui, ad quos utrùm perventuri sunt, ignorant. Vah, & nobis grave erit, modico tempore affligi, pro requie sine fine permansura?

Aug. in Psal. 36.

XVI. Hoc grano temperabat suas afflictiones Dux populi Israëlitici Moyses, de quo oracula sonant, *quòd magis elegerit affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* Cujus causam illico subdit: *Aspiciebat enim in remunerationem.* Hæc illi amara omnia condiebat, hæc edocuit postponere regnum terrenum, pedibusque diadema proculcare regium. *Aspiciebat enim in remunerationem.* Hæc exilium, hæc paupertatem, aliásque incommoditates indulcorabat. *Aspiciebat enim in remunerationem.*

Heb. 11. v. 26.

Ibid.

Hoc ipso grano Vas Electionis, omnes tribulationes, ac pressuras temperabat, recogitans, quia *Modicum hoc, & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Siquidem immensum pondus futuræ gloriæ levem facit præsentis temporis tribulationem. Exiguum est, ut breve, quod pati possumus, immensum, quod per hoc præstolamur. *Momentaneum hoc, &c.* Cogitet

2. Cor. 4. v. 17.

æter-

æternùm afflictus, & leviter ferat momentaneum. Cogitet pondus, id est magnitudinem gloriæ, & perlevis reddetur tribulatio, quam talis comitatur retributio.

Hoc ipso, teste eodem sancto Apostolo, ipsemet Assertor noster calicem amarissimum Passionis suæ quadantenus temperavit, quum *proposito sibi gaudio, sustinuit crucem*, q. d. Sustinuit crucem, ut mereretur, & consequeretur Humanitas ipsius gaudium, quod Pater æternus ipsi proposuit, tum per se, tum per Angelum, ipsum in agonia constitutum, confortantem. Hic enim non in phantasia, sed exteriùs voce corporali, proponebat gaudium ex crucis acerbitate eventurum, nimirum resurrectionem, gloriam; salutem hominum, qui tanquam Redemptorem eum agnoscerent, colerent, adorarent, templa erigerent, Sacerdotes initiarent, &c. Ideoque Christus propter hoc gaudium sibi propositum amplexus est ignominiam, ac confusionem.

Hebr. 12. *v.* 2.

Luc. 22. *v.* 43. *Corn. h. l.*

Hac eadem sancta Alchymia alii usi Sancti Dei, quibus lapides torrentis dulces fuêre, quibus prunæ ardentes versæ in rosas, & ipsa tormenta in epulas commutata.

Hac eadem utamur & nos, confidamusque, tristitiam nostram si non omnino vertendam in gaudium, minimùm hisce gratis salis condiendam, quò minùs insulsa nobis accidat. Amen.

CONCIO XXIV.

IN DOMINICA IV. POST PASCHA.

Arguet mundum de peccato.

Joan. 16.

ARGUMENTUM.

Pulvis nitratus mundo maligno suppositus.

I. EO cum fulminato jam pridem mundo ventum, ut & consilium, & ratio Æsculapios quosque in eo curando destituat. Aud. Quibus enim artibus, quibus mediis, industriisq; in eum finem usi non sunt? Palladius eum in ruborem daturus, conspuere solitus improperando: Dignus conspui, qui me indignè conspuit. Democritus eundem salibus, cachinnisque explodebat, ut vel sic stultitiam suam cognosceret. Heraclitus ex adversum lachrymis instagnabat, ut vel hoc diluviô demergeret. Tymon malam crucem architectatus, quatenus millena dignum morte in eum ageret. Cælites medici in eo fessi, lavando Æthiope valere jubent: *Curavimus Babylonem, & non est salvata, derelinquamus eam.* Ier. 51. 9. Ipsemet supremus omnium, efficacissimúsque Magister Spiritus S. eundem sub ferulam suam recepit, redarguit, leges, quas sequeretur, condidit, & nihilominus mundus immundus in sua malitia, in injustitia, in damnatione sua præfractissimè obstinatur. *Arguet mundum de peccato.*

Vita PP.

Quid ego agam? Quid consilii comminiscar? Haud me fallit modico nitrato pulvere, identidem quassatas, demolitas, inque auram diffflatas urbes, ac munitiones. Utar eodem stratagemate, ad mundum in maligno positum fulminandum, pulveremque pyrium eidem supponam. Tu illum quæso inflamma, qui venisti ignem mittere in terram, idque ea intentione, ut accenderetur.

PARTI-

PARTITIO.

II. Dilectissimus à secretis Domini discipulus, describens mundi immundi firmamenta, ea trifariam partitur dicens: *Omne quod in mundo est, Concupiscentia carnis est, & Concupiscentia oculorum, & Superbia vitæ.* His tribus quasi basibus nititur moles ipsius, & hac Triade fretus, adversum Divinam ipsam impudentissimè loricatur. Eum itaque pessumdaturus omni ex parte aggrediar, & ut dixi pulveribus subversum ibo.

1. Ioan. 2. v. 16.

§. I.

Supponitur pulvis basi Concupiscentiæ carnis.

III. PRima, quam memorat Basis, Concupiscentia carnis est. Ad hanc funditus subruendam, ex armamentario sereniſſimi Psaltis pulverem demutuo. Hic capite ex uno æternans incomprehensam Numinis in populum suum bonitatem, ex alio verò taxans illius ingratitudinem ita occinit: *Pluit super eos sicut pulverem carnes.* Quibus verbis etsi ad literam multitudinem coturnicum, more pulveris in castra eorum eventilatam designet; nihilo secius solido positæ allegoriæ fundamento inhærendo, eorumque effrœnatam liguriendi libidinem perpendendo, haud abs re dixerim instar nitrati pulveris illas gulæ delicias ipsis occidisse. Hunc enim quum diversis alii elucidaverint symbolis, lemmatibusque, unus eorum illud adscripsit: *Ardet, ut feriat.* Nihil tam consanguineum pulveri, quàm in stragem urgeri hominum, mœnium, domiciliorum. Ut primùm illum scintilla contigerit, actutùm prorumpit, obvia quæque difflat, fulminat, & ipsum sæpe sæpius ingenti cruciatu parturientis dilaniat uterum. Nam quemadmodum eadem cum fulmine cunabula sortitur; ita ejusdem cum illo indolis est, & non nisi eo fine concipitur, profunditurque; ut dissipet, pessumdet, obvia quæque comminuat. *Ardet ut feriat.*

Psal. 77. v. 27.

Pulveris pyrei proprietas.

IV. Jam verò exigite, an non idipsum floridissimum brutæ voluptatis Hieroglyphicum sit? Numquid illa flammam pollet concipere, quin noceat? Si paululum nutriatur, non corpora duntaxat, sed animas depascitur. Mors prima non nisi à gula, & voluptate prorupit. Mors altera eadem obstetrice aboritur. Hæc, hæc est, quæ insignivit illa concupiscentiæ sepulchra in deserto. *Nam dum adhuc escæ erant in faucibus eorum, ira Dei descendit super eos.* Hæc Sodomam, Gomorrham, finitimasque urbes sulphureo inundatos impluvio subruit. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum ejus.* Hæc Sichimitas cum Toparcha suo demessuit; hæc complures alios decumanis mactavit suppliciis. Adeo omne volupe devolvit, præcipitatque ad interitum, morsque in omni Sybaritica conditur olla.

Voluptas exitialis.

Psal. 77. v. 31.

Ezech. 16. v. 49.

V. Alter ad ejusdem pulveris indolem evulgandam exaravit, *Cum fœtore perit.* Pulvis, quam ex nitro, sulphureque

Voluptas fœtida.

que traxit geneſim, in exodo teſtatur; Et voluptas, quam in vita ſpirabat, eandem in morte exhalat mephytim. *Cum fœtore perit.*

Vita PP. Ex cœleſti Ephebeo, viſibili ſpecie, quempiam ſe comitem ſociâſſe cuidam Eremitæ Patrum, perhibent hiſtoriæ; iiſdemque itinerantibus primùm quidem canis fœtidiſſimi cadaver, tum verò juvenem opobalſama ſpirantem occurriſſe. Quid verò putatis, quâ fronte illud & iſte ſuſceptus? Stupeſcite factum. Cadaver bonus Genius propiùs, idque facie obversâ, diductiſque naribus tranſiit; hunc verò averſo vultu, oreque compreſſo denauſeare viſus eſt. Movit facti inſolentia ſilvicolam, nec tulit, quin percontaretur, quid myſterii eſſet, quòd prope rancidum illud cadaver vultu exporrecto, camœnoque proreptaverit, floridiſſimum autem juventæ lilium horrore quopiam ſit averſatus? Cui ille: Scito Juvenem illum deliciis, voluptatibuſque mancipatum, enormiùs in oculis putere meis, quàm cadaver quodcunque abſurdiſſimum. Nec quidquam tam graveolentem exhalat mephytim, quam effœminatus in nitido corpore animus. Hic ubi Deo vivere deſiit, omni cadavere fœdiùs marcet; quantòque mors illius gravior eſt morte corporali, tantò & fœtor intolerabilior.

Ex quo mihi inferre pronum eſt, quòd ſi in vivido, floreniteque etiamnum corpore, tam ſquallidus eſt animus Veneri mancipatus, quid tum futurum, quando oraculo Iſaiæ: *Erit pro ſuavi odore fœtor, & pro criſpante crine calvitium?* Si nunc inter pulveres aromatarios omnis caro fœnum, *phefe*, quantò magis eo articulo, cùm putreſcet in ſtereore ſuo? Si nunc odore unguentorum Agni nec rapitur, nec expiatur; quantò minus hædis aſſociatus marcere deſiſtet? *Cum fœtore perit.*

Isa. 3. v. 24.

VI. Tertius ne ſua deeſſet ſymbola addidit: *Momento perit.* Non enim opus eſt fomento alio, aut ſollibus ad flammam in eo alendam, unius ſcintillæ attactu animatur, & ſpirat. Nec diſpar deliciarum conditio, Venus eſt vel quia carò veniit, vel quia ut venit, ita abit. Ex ſpuma procreatam comminiſcitur Homerus, non alio credo fundamento, quàm quòd citò diffluat. Nulla profectò ſpuma tam propere diſſolvitur; ac pulvis deliciarum avolat, & diſploditur. *Quàm fallax, & perniciosa ſit illa deluſoria felicitas, quam plerique in voluptate carnis conſtituunt, in libro experientiæ legitur inceſſanter, dum citò præterit, quod delectat, & permanet ſine fine quod cruciat*; ait Melliſluus. Legitur inquam in tabulis quotidianæ experientiæ, quòd quantùm quis laxat fræna cupiditati, tantùm detrahat vitæ. Legitur apud Sapientem, ubi redimita illa roſis capita jam umbræ evaneſcentis, jam nuntii deſultoriè percurrentis, jam navigii ſecundis Æolys æquor emetientis, jam aliis ad fugacitatem illius indicandam utuntur ſimilitudinibus. *Tranſierunt omnia illa,* (ingemiſcunt apud Sapientem) *tanquam umbra, & tanquam nuntius percurrens, & tanquam navis, quæ pertranſiit præterfluentem aquam, cujus cùm præterierit, non eſt veſtigium invenire.* Legitur apud Jobum, *Ducunt in bonis dies ſuos,*

Voluptas momentanea.

S. Bern. ſp. de Char. c. 15.

Sap. 5. v. 9, 10, 11.

Iob. 21. v. 13.

ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Momentum voluptatis aſſociatum eſt monumento mortalitatis. Vix illud ducitur, dum iſtud conſtruitur, vix terminatur, dum iſtud, vel ipſe infernus intratur. *Ducunt in bonis dies ſuos,* &c.

Legitur in ipſis Evangeliis de Epulone purpurato, cujus infelicem abitum ex hac vita paucis complexus S. Lucas: *Luc. 16.* *Mortuus eſt dives, & ſepultus in inferno.* Cur enim tam paucis caſum tam lamentabilem attingit. Enarravit prolixè admodum, quid in vita egerit, quibus veſci cibis, quibus ornari veſtibus ſolitus, quâ regali pompâ, quibus ſervis ſtipatus extento per arrogantiam collo incedebat, ut ne quidem obtutum ad Lazarum in limine domus reſupinatum deflectere dignaretur, cur igitur nobis, quid in morte egerit, non ediſſerit? cur præterit, qualenam condiderit teſtamentum, quæ ipſius fuerit ultima voluntas, quid fieri decreverit, quis illi adſtiterit morienti, quos actus contritionis elicuerit? quâ diligentia ad extremam illam luctam, eamque graviſſimam præparaverit? quid ſibi illa jam imminente ſtatuerit prælegendum, quod doloris ſignum ſuorum oſtenderit peccatorum? Num horum hæc referens oblitus eſt Evangeliſta? Neutiquam. Cujus enim Spiritus S. dirigebat manum, calamumque, hæc utique excidere non poterant; verùm cœleſti factum eſt conſilio, ut eorum nullam faceret mentionem, declaraturus ejus vitæ mortem fuiſſe ſubſimilem, ſibique mutuò reſponden-

Epulonis mors cur breviter perſtricta.

tem. Quemadmodum egit vitam inter byſſum, purpuram, epulas, ſic inter byſſum, purpuram, delicias expiravit.

Non aliud quærebatur illo ægrotante, quàm pixides aromatum, cervicalia redolentia, argentei foculi pelvibus variis inſtructi, tapetes, qui humi ſternantur in honorem illorum, qui languidum eſſent viſitaturi, aliaque ſimilia. Ita ab his voluptatibus momento ad ſupplicia raptus eſt; & cùm corpus etiamnum jaceret in tomento, jam anima gehennali cruciabatur tormento. Momento perit. In puncto ad inferna deſcendunt.

VII. Eapropter ſeriò adhortatur Eccleſiaſtes: *Lætare juvenis in adoleſcentia tua, & in bonis ſit cor tuum, in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, & ſcito, quòd pro omnibus his adducet te Deus in judicium.* *Eccle. 11.* Comitator ſanè ad quævis dedecora diſcinctos ſodales, emetitor per me licet in vitiorum ſtadio ævum floridæ juventæ; verùm unum eſt quod à te peto, ut ſcias voluptatem eſſe pulverem, quæ cum fœtore momento perit, & ardet ut feriat. Peto ut in his omnibus ſtrictos ſuper te faſces Numinis obſerves, ſciaſque menſuræ voluptatum reſponſurum calicem furoris Domini. *Quantum*, inquit alio in loco Judex ſupremus, *in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctus.* Proxima pœnarum, culparumque eſt cognatio, & ſuo ſemper eſt

affixa menſura ſceleri, ſuo ſemper voluptas abſynthii humore delibuta.

§. II.

Altera baſis mundi immundi in auram diſploditur.

VIII. ALtera Baſis, cui mundus in maligno poſitus innititur, teſte eodem D. Joanne Apoſtolo, eſt Concupiſcentia oculorum, ſeu opum, ac divitiarum.

Ad hanc ſubruendam accipio pulverem ex armamentario Babylonico. Inde inaudio Nabuchodonozorem
Dan. 2. ſtatuam vidiſſe prægrandem, cujus caput aurum optimum, pectus argenteum, fœmora ærea, pedes ex parte ferreos, ex parte fictiles; quos lapillus de monte exciſus in tantum comminuit, ut omne æs, argentum, aurum, redactum fuerit in pulverem, *quaſi in favillam æſtivæ areæ, quæ à vento rapitur.* Certum eſt, auri, argentique nomine opulentiam, æriſque ferrique potentiam, (in quibus mundi cardo vertitur) ſignificari. Quid autem eſt, quòd in pulverem tam minutum à vento quovis ventilandum contrita ſunt? Cur non contenta erat Divina Nemeſis ſolo æquaſſe ſtatuam? Cur in favillam ſeu pulverem redigitur? Sanè non aliam ob cauſam, quàm ut poprietas auri in pulvere pyrio exhiberetur.

Huic nonnemo Lemma appoſuit: *Ex toto nihil fit.* Sit vas pleniſſimum pulvere, ſit turris eodem oneratiſſima, ſi incendatur, quid quæſo remanet? *Ex toto nihil.* Ex tota pulveris ſubſtantia præter odorem, fumumque nihil ſupereſt. Et quid quæſo remanebit avaris, rapacibus, Euclionibus ex omnibus bonis ipſorum? Quid? nec obulus, nec ungula, nec granum unicum. *Dormierunt*, canit Pſaltes, *ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.* Nihil Cræſus, nihil Polycrates, nihil Salomon ex omnibus poſſeſſionibus ſuis, ex omnibus hortis ſuis, ex omnibus gemmis, ac theſauris ſuis. *Omnia redacta ſunt in favillam.* Et *Nihil invenerunt in manibus ſuis.* *Pſal. 76. v. 6.*

IX. Ego id haud capio, quando vanitatem mundi conſidero, undenam eveniat, quòd in annos ſingulos tanto eruto auro, & navibus, onerariiſque integris advecto, non modò nihil accedere, ſed & decedere, ac decreſcere idipſum videatur. Compertum enim probè vobis eſt, tempora priora multò extitiſſe ditiora, menſuraſſe Majores veſtros, theſauros ſuos prope modiis, calculaſſe millionibus. David in Baſilicæ unius fabricam auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum intulit. Temporibus Salomonis filii ipſius tanta erat abundantia argenti in Jeruſalem, quanta & lapidum. Quibus item Roma vetus, quibus Perſia ſub Dario ſtagnaverit opibus, profanis teſtatum eſt codicibus. Attebalipa Cupeniorum in novo orbe Regulus, Caroli V. Imperatoris armis ſubjugatus, ſeptuaginta auri milliones ſe intra ſeptuaginta dies expediturum pro libertate ſua redimenda recepit. Eadem ratione gens Indorum uni ſe legi conditæ exemptura, eidem viginti millio-

Aurum ubi maneat.

1. Paral. 22. v. 14.

1. Reg. 10. v. 27.

nes

nes & unum, totidemque filio Philippo appromisit. Hispani itidem unâ navigatione secum attulêre ex Indiis septuaginta milliones, in auro, gemmis, unionibus, &c.

Surius an. 1558.

Quæso vos Domini Thesaurarii, Monetarii, Nummularii, tantus acervus auri ubinam nunc reconditus? Ubinam manent opes aliæ eruto indies novo auro? Dicet forsitan quispiam Sathanam ipsum pro Anti-Christo eos coacervare, servaréque thesauros. Verùm unde id vobis, ex ratione? an revelatione? Judæi infert alter, evehunt, proque ementito Messia congerunt. Et hoc commentum, cùm vix non ubivis illos vexet egestas. Multum auri, argentique in mensis atteritur, sentit tertius. Sed quantum id, nonne plus effoditur? Celant, inquiunt, alii aurum suum in terra, quòd quia non revelant, cùm morientibus unà tumulatum manet. Tangitur aliquid, sed non ab integro. Neque enim tantum infoditur, quantum eruitur. Et utut solertia hominum magna est in custodiendo, non minor tamen eorum est industria in indagando. Si humanæ desint industriæ, si virgæ coryli necquicquam operentur, infernus ad occultos thesauros eruendos, per sagas, veneficosque referatur. Quid itaque causæ? Ego dixerim, quòd avolent, vel in chaos sui nihili revertantur.

X. Lysander Atheniensis cistæ pecuniis turgidæ inscripsit: *Upupas, Noctuas.* Philippus ejus famulus id advertens sustulit nummos, adjecitque: *Avolarunt:* Alter recondidit in templo, addita epigraphe: *Hîc jacet Christus.* Olfecit id ædituus, & sublato thesauro, lemma subdidit: *Surrexit non est hîc.* Tertius cùm securè in navi quiesceret, catumque fartum nummis coram se haberet, advolavit corvus, ratus frustum carnis esse, rapuitque, sed agnito errore in pelagi profunda demersit. Hinc belle de iis vaticinatus Sapiens: *Facient sibi pennas, quasi aquilæ, & volabunt.* Quidquid sit, fateri cogimur mirabilem quandam esse auri proprietatem, quòd vel ex semetipso in pristinum nihilum remigret, vel pulvere supposito in auras abeat.

Prov. 23. v. 5.

XI. Hinc conjiciat prudens quisque, quis tum sensus opulentorum mentem arietabit? quis dolor divexabit præcordia, quum exacto hujus vitæ cursu, se nudos, destitutosque conspecturi sunt omnibus.

Jobus illud patientiæ prodigium, rapto à furibus patrimonio, prædiis grandine contritis, grege à latronibus abducto, prole, domus ruinâ, oppressa, amicis in irrisores transversis, uxore in bestiam prope deformata, toto corpore ulceribus incrustatus, quum summâ heroicaque fortitudine cuncta pertulisset, tandem indolens miseriis ac laboribus suis, diem in qua natus, fulminavit: *Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper.* Id si egit homo sanctissimus, quibus putatis fulminibus impios suas vigilias, studia, industrias impetituros, quando ex omnibus suis divitiis nec obulum, ex omnibus pecoribus nec ungulam, ex omnibus possessionibus nec spitamam terræ, ex omnibus deliciis nec micam sibi in omnem

Iobi imprecatio.

Iob. 3. v. 3.

æternitatem obventuram prospexerint.

XII. Salomonem item probè nôstis, quibus curis defunctus sit in augendis possessionibus, in erigendis sibi basilicis, in plantandis hortis, in piscinis eruendis, in auro ex Ophir advehendo, &c. Quid verò inde? Audite ipsummet lamentantem: *Cùm me convertissem ad omnia opera, quæ fecerunt manus meæ, & ad labores, in quibus frustra desudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub Sole; & detestatus sum omnem industriam meam, quâ sub Sole studiosissimè laboravi.* Hic in tantis deliciis, & auge felicitatis constitutus, ea non nisi de causa, quòd perspiceret, nihil sub Sole solidum, & omnia in manus aliorum perventura, fulminavit decertatos labores suos, industrias, studia, quantumvis iis etiamnum gauderet. Quantis itaque diris non devoturi sunt Eucliones alii suos prope sanguineos sudores, quos in spumam abiisse deprehendent, immò in mare amarissimum omnis miseriæ, ac tempestatis? Quibus tunc debacchabuntur ejulatibus, quando Tantali instar, in mediis aquis poma natantia incassum captabunt, aut cum Epulone, irritis semper precibus, guttam unam exorabunt?

Eccle. 2. v. 12.

XIII. Si quispiam nunc illudatur autô fictitiô, aut gemma adultera furit, indignatur, ac propè ringitur; quid tunc, quando non in uno nummo, non in una margarita, aut gemma, sed in omnibus palpaverit mendacium; idque damno suo æternùm irreparabili, in quas Furias non abibit? quæ tonitrua si posset, non conciret? in quos threnos tandem non effundetur? Heu luctus, heu dolor, heu damnum, in omne ævum irreparabile! *Ex toto nihil.*

§. III.

Basis tertia superbiæ fulminatur.

XIV. BAsis ultima, qua mundus immundus solidatur, est fastus, atque arrogantia. *Superbia turris diffiatur.*

Ad hanc comminuendam haud alio utar pulvere, quàm eo, quem ipse Dominus, mox ab Orbe condito, homini Divinitatem affectanti suppositi, dicens: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Quid itaque cristas erigis? Quid elato supercilio alios insuper habes? Quid ingentes spiritus, super humanæ naturæ communem conditionem attollis, paulò pòst in pulverem abiturus? *Quid superbis pulvis, & cinis? Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Decretum id adamantinis inaratum libellis, nullis unquam deterendum, aut eradendum sæculis. Quid inquam habes præ aliis, quàm quòd ut pulvis cum sonitu pereas, famâ undique circumsonante, & evanescente? *Gen. 3. v. 19.* *Eccli. 10.*

Hoc elogium tibi dat Psaltes decantatissimus. *Periit memoria eorum cum sonitu.* Hoc unum elati cum pulvere pyrio commune habent, quòd cum sonitu evanescant; quòd laudentur, ubi non sunt, quòd crucientur, ubi sunt. *Psal. 9. v. 7.*

XV.

XV. Germanæ ſuperbiæ pullus erat Herodes ille, qui ob facundiam diis ipſis à populo æquatus eſt. Quid verò inde retulit? Profectò, nonniſi ſonitum. Huic, uti Joſephus de Antiquitatibus Hebraicis teſtatur, filius exequias mortuo fecit, quales nec Sol unquam vidit celebrari magnificentiores; at ille in inferno ſepultus, ingemiſcebat. Laus ipſius famáque tota divulgabatur Judæa, at clamor ipſius in toto exaudiebatur Averno. *Periit memoria eorum cum ſonitu.*

Joſeph. lib. 17. antiq. c. 11.

XVI. Refert ſanctiſſima Virgo Tereſia de quodam alio viro potente non minùs, quàm flagitioſo, quòd bienniô, ad correctionem ſuam à Deo, incurabili percuſſus infirmitate, cùm non ab integro reſipiſceret, inexpiatum inopinatò deceſſiſſe. Hujus cadaver, cùm magnificè, ſplendidéque efferretur, vidit ipſa circumquaque dæmonum legiones variis corpus, horrendíſque torquentes cruciatibus, & confuſis ululatibus, huc, illucque quaſi colluſuri diſtrahentes. In ipſa Eccleſia, dum ſolenni pompâ decantaretur officium, corpúsque terræ mandaretur, tanta (teſtatur ipſa) in tumulo aderat dæmonum multitudo illud exceptura, ut ſpectra hæc videre nequirem, magnúsque mihi neceſſarius erat animus, ut hoc me videre diſſimularem. Attendebat interea, expendebatque, quid de illa ageretur anima in inferno, cujus corpus tam truculentè tractabatur in tumulo. Et utinam, ait, quæ vidi terribilia, iſti viderent, qui mortali culpa inquinantur, quantum ſapio, non modicum illis prodeſſet, ad vitæ, morúmque emendationem. Quæſo, an non de eodem verè cantatum à Davide: *Periit memoria eorum cum ſonitu.* Periit, & quidem æternùm, æternùm periit.

Lib. Vitæ ſuæ, c. 38.

XVII. Inter alia bellica ſtratagemata legi, nonnunquam mandato ducis cujuſpiam omnem pulverem effuſum in terram, cùmque hoſtes alto inſtarent ſupercilio, ipſum fugam ſimulaſſe, quoad in locum pulveris pellexiſſet; tum verò eundem incendiſſe, hoſtium acies confudiſſe, ſubvertiſſe, jugulaſſe.

Caſui huic perſimilem accipio ex Eſdra Notario, Vateque Altiſſimi in multitudine quapiam armatorum erectis criſtis cœlum laceſſentium. Congregati hi erant de quatuor ventis cœli, decertaturi contra ipſum Deum, qui immotis omnino digitis unico de ore ſuo flatu excuſſo ſuſtulit univerſos: *Succendit omnes, ut ſubitò nihil videretur de innumerabili multitudine, niſi ſolummodò pulvis, & fumi odor.* Nonne & iſtud erat perire cum ſonitu? perire cum tumultu?

4. Eſd. 13. v. 11.

XVIII. Et hic tibi extimeſcendus eſt caſus, quiſquis nunc alto graderis ſupercilio; ſuppoſitus enim tibi cinis eſt, qui hodie, ac cras diffabitur, explodeturque, te caſuro eò profundiùs, quò altiùs cervicem extuliſti. Nihil enim tam obnoxium periculo, ac pulvis; minima ſcintilla corripitur, incenditurque. Nihil itidem tam proximum caſui, quàm animus per arrogantiam elatus. Heu nunquam ſtabilem ſortita ſuperbia pedem, cecinit Auſonius, ceſpitat,

hallucinaturque ille, quocumque movetur. Quid igitur ſuperbis, pulvis & cinis? Cur tuum nihilum non expendis? Cur ventos, tempeſtates, ignémque non reformidas?

XIX. At jam ſatis, ſuperque pulveris ſuppoſitum autumo, ſatis Concupiſcentiæ carnis, ſatis Concupiſcentiæ oculorum, ſatis Superbiæ vitæ. Quòd ſi tamen eodem nec quicquam effectum, ſi mundus fulminatus cum concupiſcentiis ſuis etiamnum in præcordiis cujuſpiam vigeat, ſi pulvis hic ſuccenſus non eſt, cæleſtem invoco incendiarium, quatenus ipſe ſcintillam de foco ſuo in illum immittere dignetur, quatenus peſſumdatô, explosôque perverſô mundô, terra nova, & cælum novum in nobis condatur, in quo ſolus ipſe regnet, & imperet, qui gubernat univerſa, Chriſtus JESUS.

Audior, audior, jo, jo, *Cecidit Babylon illa meretrix magna.* Tibi gloria, tibi laus, tibi imperium, ô Chriſte JESU in ſæcula ſæculorum. Amen. *Apoc. 14. v. 8.*

CONCIO XXV.

IN DOMINICA V. POST PASCHA.

Petite, & accipietis.

Joan. 16.

ARGUMENTUM.

SAGITTARIUS CÆLESTIS.

1. QUòd si festiva hac luce, ad sacrum hunc locum, perinde ac ad diribitorium quoddam vos educerem, in eoque armilustrium instituerem, forsitan non uni id admirationi foret. Aud. Quid enim habent cultores Numinis commune cum exercitu? aut quid concio hæc cum armilustrio? Numquid hîc in acie consistimus? numquid hîc decertamus, & manus conserimus? Non capio, non video. Et tamen id suo sæculo requisivisse à fidelibus subditis videtur Rex Sionis, quando dispersо, ac profligato populo; urbibus à Philistinis expilatis, ac devastatis, Saule suomet carnifice gladio interempto; & sibi, exercituique ad reconciliandum Numen genti indicto jejunio, ac planctu, misit ad omnes civitates Juda cum edicto, ut docerent eos arcum: *Planxit autem planctum David, & præcepit, ut docerent filios Juda arcum.* Nam quem putatis ille Arcum tum requirebat? Quo in genere armorum suos exercere gestiebat? Sensus plurimorum Interpretum est, David per Arcum accepisse orationis studium; & ut threni, quos ipse panxerat, œcumenici essent, inque urbibus Juda decantarentur. Unde Syrus legit: *Ut docerent filios Juda deprecationem.* Communicat enim in eo oratio, & arcus, ut quod iste, idipsum illa, idque multò efficaciùs præster. Oratione æquè, ac multò validiùs, quàm arcu profligamus hostes, assequimur prædam, ad metam desideriorum collimamus, ac pertingimus. Arcus remissus, oratio est remissa; arcus intensus, oratio est intensa. Vel planiùs loquendo, anima nostra Arcus est, nervus voluntas, preces

2. Reg. 1.

Oratio arcui confertur.

ces jacula. Eapropter breviores aspirationes ad Deum Ejaculatorias indigitamus, quòd eas perinde, ac telum è pharetra cordis ad cœlum dirigamus. Quânam verò methodo hic Arcus ad mentem Regis David, & Filii ejus Christi JESU tractandus sit; videamus.

PARTITIO.

II. IN Sagittario materialem Arcum intendente hæc tria ut plurimùm observare, pronum est. Imprimis nervi in arcu depressionem; tum oculi unius obductionem; ac tandem ipsam in scopum directionem. Et hæc eadem piè orare gestientibus incumbunt.

§. I.

Orationis tela ut altùm evolent, ex nervo depresso jaciantur.

III. PRimùm exigitur humilis, ac profunda ante orationem, coram divina Majestate reverentia, ut vel ipso habitu illius excellentiam, nostram indigentiam ac impotentiam profiteamur. Ille propius ipsa ferit sidera, qui ex abysso sui collimat nihili. Chorda cordis eò sublimiùs ejaculatur; quò demissiùs detrahitur. *Oratio humiliantis se,* (inquit Sapiens) *nubes penetrat, & non discedet, donec Altissimus aspiciat.* Hæc illa dos decurvantis se in oratione animi est; ut hominem cœlivolum efficiat; & de sterquilinio ad thronum supremæ Majestatis admittat. Hæc illa prærogativa incomparabilis demissæ in oratione mentis est; ut quantum diffidit de se, tantum per spem attollatur supra se; quantum ipsa descendit, tantum ipsemet Omnipotens è throno gloriæ suæ sese demittat; acclinetque aurem orationem humilium è terra ascendentem excepturus. Hæc illa sagitta salutis, quæ nulla nubium densitate; aut cœlorum, aëris instar fusorum, retardatâ duritie; obvia quævis transverberat, cor Altissimi petitura, nec descensura, nisi unà comitetur illius miseratio. *Oratio humiliantis se nubes penetrat.*

Præparatio ad orationem.

Eccli. 35. v. 21.

IV. Itaque unusquisque antequam ad orationem se recipiat, prius intra semetipsum exigat, quis ipse sit, & quis ille, quem in oratione conveniat. Quòd nimirum ipse ex se non modò quidpiam excellens, heroicum, supernaturale; sed ne minimum quidem præstare sufficiat. Quòd ex se non plus virium habeat, quàm vermiculus vilissimus humi reptans; quàm teredo ligna, tinea vestes, blatta libros corrodens; quòd ipse *natus de muliere*, (ut Job inquit) *brevi vivat tempore; quòd quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra*; quòd ipse sit peripsema omnium, de luto, ac pulvere formatum, de spurcissimo spermate conceptum, in labe originaria natum; quòd ipse sit, (ut paucis stringam cum Mellitissimo Patre) *Sperma fœtidum, saccus stercorum, cibus vermium.*

Hominis miseria.

Iob. 14.

S. Bern. lib. Med. c. 3.

V. Ex altera parte expendat, quis ille sit, quem alloquatur, quantæ Excellentiæ, Majestatis, Potestatis, Sapientiæ &c. Numirum is, qui per Omnipoten-

Dei Excellentia.

potentiam ſuam condidit, per ſapientiam ſuam diſpoſuit, per providentiam adminiſtrat totum hoc, quod cernitur. Nimirum is, qui terram ſtabili coërcet imperio, qui cæli convexa ſideribus diſtinxit; qui Phœbi lampadem in argumentum ſuæ Majeſtatis ſuccendit, terris maria circumfudit, flumina ſempiterno lapſu fluere fecit. 1. Tim. 6. v. 15. Is, *qui ſolus beatus, & potens Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem; quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* Is eſt, cui lunat genu, quidquid vel in Empyreis triumphat ſedibus, vel in terris militat, vel in inferis æternis coërcetur cataſtis.

Hæc ſanè, pariáve, expendere in anteceſſum orationis par eſt; atque ita animum ad congruum Numini tanto honorem, ac reverentiam exhibendam præparare.

VI. Conforme huic amuſſi exemplar ſi quis exambiat, Patrem omnium credentium Abrahamum arbitretur. Hem, quantum virum evoco? Illum nimirum, qui ex imperio Numinis, poſthabitis aris, focisque propriis, alienos Penates quæſiturus exceſſerat; & quid exiliò duriùs? Illum, qui victimis innumeris Deum ſibi propitium reddiderat; & ipſum dilectiſſimum filium Iſaac in holocauſtum immolare accinctus fuerat; quid religioſiùs? Illum, qui Deum ipſum in forma peregrini ſuſcipere meritus, cui concredita Altiſſimi conſilia, cui promiſſus ex ſemine ſuo, tot ſæculorum periodis exoptatiſſimus Meſſias; quid honorificentiùs? Hic itaque orationem auſpicaturus, quâ quæſo modeſtiâ, quâ ſubmiſſione, ac reverentiâ accedit? Audite: *Loquar*, inquit, *ad Dominum, cùm ſim pulvis & cinis.* Conſcius probè vilitatis meæ, ac tuæ Majeſtatis, ô Domine, compareo coram te, tamquam vermiculus coram immenſo, tamquam enervis incoram Omnipotente, tanquam pulviſculus unus, & atomus coram Rege cælorum, terrarumque Principe. *Loquar ad Dominum*, &c. Te Domine tremens, ac ſupplex, te pronô corpore & animô invoco, reſpice in me, & miſerere mei. Reſpice in me pulverem, exterra procreatum, in terra conſiſtentem, in terram poſtliminiò convertendum. *Loquar ad Dominum*, &c. Ita ille.

Abrahami encomia & humilitas.

Gen. 18. v. 27.

VII. Nec minùs demiſsè Evangelicus ille Publicanus à Chriſto Domino collaudatus, à Phariſæo ſugillatus & exploſus: *Stetit*, ait ſacer Chronographus, *à longè, & nolebat nec oculos ad cælum levare.* Stetit, levando ſe ſupra ſe, & expendendo ſupremam illam Majeſtatem, coram qua tremunt Angeli, & columnæ cæli contremiſcunt, ſe violaſſe; edictis ipſius protervè contraveniſſe, beneficiis ipſius abuſum eſſe; imò, quantum in ſe erat, contra Omnipotentem armaſſe manum ſuam, & cum Erebo in eum conſpiraſſe; hujus monitis morem geſſiſſe, huic pro momentaneæ voluptatis illecebra, ſpretô legitimo Domino ſuo obſecundaſſe; & piâ verecundiâ, ac modeſtiâ deterritus,

Publicani orantis demiſſio. Luc. 18. v. 12.

nec aciem in sublime detorquere præsumpsit; sed in sese, & ad enormitatem
Ibid. v. 13. delictorum sese reflectendo; *Percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* q. d. O Domine Deus meus, cujus Misericordia in condonandis maximè elucet injuriis, cujus Bonitas ruinâ impiorum non pascitur, cujus Majestas non tantopere reorum illustratur suppliciis, ac supplicũ votis, *propitius esto mihi*, & non fac mihi secundùm merita mea, sed secundùm magnam misericordiam tuam. Propter Amorem, & Bonitatem tuam memento mei tu, & memor esto verbi sancti tui, quod locutus es ad nos per os fidelissimi Vatis tui: *Nolo mortem impii, sed ut convertatur à via sua, & vivat* Quòd si ob indignitatem meam me repellis, fixum ratumque mihi est, à tuis vestigiis, ac mandatis, ne latum quidem unguem, abhinc discedere. Si odio me etiam prosecutus fueris, ego amoris indissolubilis nexu, te complecti, ac stringere adnitar. Si me damnatum is, ego millies mortem oppetam, quàm te deinceps offendam. *Deus propitius esto.* Ita & iste orabat, ita in oratione nec oculos audebat in cœlum attollere; ita alii.

Ezech. 18. 14.
Et c. 23. 11.

VII. At nihil novum pulverem pulveri acclinari; id stupendum Christum Dominum Assertorem nostrum pro nobis preces, supplicationesque Patri æterno offerentem, non modò adgeniculatum fuisse in oratione, sed provolutum in terram: *Procidit in faciem suam.* Servi partes, quas assumptâ ejusdem formâ peragendas susceperat, egregiè sustinuit; & non corpus duntaxat & vultum, sed ipsum insuper in eo animum tantopere depressit. Vah & vilis è palude sua proreptans ranuncula, cervicem, poplitesque incurvare dignabimur? Filius Dei, cui proni advoluti Reges ab Oriente venientes, coram quo ipsi Angeli procidunt, indecorô pulvere os suum deturpare haud veretur; & miser peccator, quem fulgor divinæ Majestatis everberat, quem irata cæli facies terret; cui pudor, quantumvis ferreæ sit frontis, libertatem eripit intuendi, arrogantiâ damnabili supercilium attollet? Rex gloriæ ingenuô suffusus pudore, nec autus cælum intueri ob turpissimam quam induerat, peccatorum personam, habitum rei, ac propè damnati exprimens; & tu vermis miseriæ etiamnum præsumes erectâ fronte, ac cervice, cæli concava intueri, cœno ac Erebo dignissimus? Disce tandem, ô vilis homuncio, quàm abjectô, quàmque composi ô ad omnem modestiam, humilitatémque habitu, ad orationem accedere debeas. Disce procumbere in cælum ejaculaturus. Disce ab inclinato deorsum spiritu altiùs multò, ac velociùs cælum peti, quàm ab elato ac tumido. Et si olim cum Abrahamo, aliisque senioribus cæli Proceribus coram Agno procumbere concupiscis, jam nunc eosdem in tuis precibus æmulator.

Christi orantis humilitas.

Luc. 22. Matth. 26

§. II.

Oculus alter in Oratione claudendus.

IX. SEcundò, Sagittarius forensis speculum in scopum emittendo, obducit

ducit palpebrâ oculum alterum, ne distrahatur, & à meta exorbiter; & spiritualis occludit sinistrum mentis suæ, ne & ipsum à scopo abducat.

Oratio exigit attentionem.

Hac ratione se vulneratum Orationum jaculô Dilectus à Dilecta in Canticis profitetur: *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.* Chaldæus vertit: *Sagittasti cor meum in uno oculorum tuorum.* Non erat cocles, aut monocula Dilecta illa, sed insignita duobus oculis, iisque columbinis; nihilominus non priùs amoris jaculo transfixerat amatum, quàm cùm clauso uno, alterum ad ipsum, tanquam in scopum direxisset.

Cant. 4. 9.

Quo Hieroglyphico dilucidè innuitur, perperàm illum orationis sagittam dirigere, qui in æde sacra uno lumine vultum Dei; altero vultum filiaiarum hominum intuetur; unum oculum ad cælum dirigit, altero mundum lustrat; uno per libelli pii codicem, altero per characteres, & figuras creaturarum oberrat. Non habet is oculos columbæ, sed capreæ, supra montium cacumina salientis; non sagittarii, sed venatoris, unô vertagô plures lepores insectantis, non sponsæ, sed fornicariæ, ab uno amatore ad alium aciem deflectentis. Eapropter toto cælo exorbitat, nec unquam directè cor Dilecti ferit. Claudendus omnino alter est, si audire gestis: *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.*

X. Digna hîc proposito meo Philonis consideratio occurrit, super edicto, populo ante conflictum promulgari solito. Exautorabantur enim eâ lege omnes, quotquot aut in vineas plantandas, aut domus construendas, aut recentes nuptias ineundas incumberent: *Quis est homo, qui ædificavit domum novam, & non dedicavit eam; vadat, & revertatur in domum suam. Quis est homo, qui plantavit vineam, & necdum eam fecit esse communem, de qua vesci omnibus liceat? vadat, & revertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, & alius homo ejus fungatur officio. Quis est homo, qui despondit uxorem, & non accepit eam; vadat & revertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, & alius homo accipiat eam.* Stupet edictum præfatus Philo, & contatur, quid causæ sit, quòd Moyses ejusmodi conditionis homines à conflictu arceret? Si enim solius mortis periculum exauthorationis fundamentum est, omnes prorsus remittendi fuissent. Varius enim est eventus belli, & ut alibi sæpiùs, in illo semper fortuna dominatur. Nullius in certamine caput extra aleam est. Universus exercitus eô articulô sub Libitinæ falce consistit, dubius in cujus eam primùm cervicem sit vibratura. Si autem officii successio prætenditur, & hæc universos æquo jure excipit. Nemo est, cujus bona, vel officia morte traduce in aliorum manus non deveniant. Quid ergo causæ, quòd Dominus præfatos viros ab exercitu suo sequestrare voluerit? Non alia planè, quòd animus aliis muniis, ac functionibus immersus, manus etiam masculas ad bellum delumbes reddat. *Ne præsentes corpore,* (inquit Philo) *in exercitu, absint animo. Necesse est enim, mentem illò tendere, quò desiderio trahitur.* Quod in iis imprimis locum obtinet, qui recentibus impliciti

Deut. 20. v. 5, 6, 7.

Cur à bello arceantur Neosponsi.

Philo lib. de Fortitu.

sunt officiis, ac machinamentis. Quantò enim affectus in iis fervet intensius; tantò potentiùs ab omni alio opere avocat animum. Nec enim tantopere ibi est animus, ubi animat, quàm ubi amat. *Illò itaque necesse est mentem tendere, quò desiderio trahitur.*

Jam verò orationes nostræ, ut initio dictum est, quid sunt aliud, quàm Arcus, & arma; quàm continuata prælia, quibus contra Orcum decertamus, adversum vitia confligimus, & cœlum ipsum expugnare nitimur? Ergo si in pugna corporali totus animus requiritur, quatenus telum in hostem quis dextrè detorqueat, aut impigrè retundat, quantò amplius in certamine spirituali, ut adversarium elidat, jacula desideriorum in unum hunc scopum dirigenda erunt? Actum prope de acie est, si vacillare in hanc illamve partem occœperit, nec minus de oratione, ubi nutabunda evaserit, si inter psallendum Studiosus odarum duntaxat numerum, aut concentum meditetur; si Pater-familias præsens corpore sit Aris, animo haris; si alteraliò liberâ mente evagetur.

Abraham semovet à sacrificio distractionū ansas.

XI. Abrahamus cujus supra memini, ad imperium Domini immolaturus filium suum in monte Horeb, omnemque alienandæ mentis occasionem præcisurus; præcepit vernaculis suis, quatenus ipsum infra montem cum asinis operirentur; ne fortè aut victimam filium suum violenti eriperent, aut Patrem ad indulgendum filio dilecto inflecterent; aut Sacerdotem alio quovis modo remorarentur: *Expectate hîc cum asino, ego & puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Itaque solutus curis omnibus evasit in montem, & animo ad Deum erecto ligna composuit, hostiam dedicavit, omniaque quæ in usum sacrificii necessaria fuerant, plenus Deo exequebatur.

Gen. 22. 5

Ad hanc ideam nos quoque efformatos intendit Præsul Aniochenus, quatenus servilibus, & illiberalibus affectibus expediti ad orationem accedamus. Quòd si forsitan importunæ cogitationes aliæ unà nobiscum ascendere, nosque interpellare præsumpserint, imperandum cum authoritate illis est, ac dicendum: *Sedete hîc*, manete hîc, ego autem, & filius meus, & affectus meus, postquam adoraverimus, revertemur. Et sic asino, & pueris, & si quidpiam brutum, ac animale est, humi relictis, cum Abrahamo, assumpto Isaac, id est cordiali affectu ad sacrificandum ascendendum.

Chrysost. hom. 21. in 2. ad Cor.

XII. Suadet idipsum Mellifluus, & exequebatur feriò S. Franciscus Seraphicus, ita ut cogitationes suas, perinde ac clientelam sese comitantem alloqueretur. Ita enim ferme facturus orationem illis imperabat. Expectate hîc cogitationes meæ, manete hic affectus cordis mei. Tu autem anima intra in gaudium Domini tui, ut videas voluptatem Domini, & visites templum ejus. Si verò irrequieto impetu in oratione infestaverint, & instar vulturum ad Abrahamum sacrificantem advolaverint, cum eodem abigas, dicens: Ite, ite cogitationes meæ, nihil mihi vobiscum est, Ite nugæ, ite vanitates, nihil mihi vobiscum, sed cum Deo meo negotium est.

S. Bern. tract. de doctr. bene vivendi. S. Bona. in Vita S. Francisci.

XIII.

XIII. Vereor tamen, ne bene multi non tam abigant ejusmodi Falcones, Harpias, vultures, quàm advocent. Vidi iconem in quodam sacello Servatoris nostri in crucem acti, sub qua parte ex una pauper, ex alia dives precibus insistebat. Ex corde illius linea rectissima ad cor ipsius Crucifixi tendebatur; ex istius autem una inflexa conspiciebatur ire ad macellum, altera ad granarium, tertia ad gazophilaceum, quarta ad prolem, aliæ aliò, vix una, eaque tenuissima libare pedes Christi videbatur.

Utinam quod Timantes ille in tabula adumbravit, idipsum in corde planiùs identidem non exhiberetur. Nunquam minus domi sumus, quàm cum clauso ostio Pater æternus exorandus. Nunquã magis peregrinamur à Domino, quàm cum eo tractaturi de salute animæ. Nunquam fixius tellurem lustramus, quàm cum oculus in cœlum figendus. Tunc & præterita revocamus, & præsentia volvimus, & futura præsagimus, & nescio quæ deliramenta non effingimus. Verùm hoc non est orare, sed prope subsannare, & exorbitare. Quisquis ita collimat, toto cælo exerrat, nec unquam orationis jaculo id assequitur, in quod collimat.

§. III.

Scopus sublimis præ oculis habendus.

XIV. TErtiò Sagittarius mundanus scopum certum sibi præfixum habet; nec arundinem suam in ventum, aut umbram ejaculatur, aut in apicem acus cujuspiam dirigit. Incassum laborat, qui auram telo insequitur fugientem, & facile exerrat, qui in punctum minimum collimat.

Idem omnino cœlestibus Sagittariis evenit, qui missis empyreis ac æternis bonis, pro terrenis efflictim instant indipiscendis. Quid enim sunt terrena omnia, præterquam umbra, in qua perinde ac Jonas sub hedera deliciamur, & vermem indies arrodentem non observamus. Quid sunt præterquam punctum unum intuitu amplitudinis cœlestis, quod tamen ferro undique & undique dividitur? Quid sunt præterquam aura inanis, & vacua; jam huc, jam illuc dissipata? Fatentur id serò insipientes illi Catones vestri, suo tandẽ malo facti sapientes: *Transierunt*, inquiunt, *omnia illa tanquam umbra*; & tanquam avis, quæ transvolat in aëre, *cujus nullum invenitur argumentum itineris, aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum.* Auram itaque sectatur, qui in aurum jaculum emittit, & ventum, ac turbinem referet, qui solis terrenis in oratione obtinendis insistit. Imò toto cælo exerrabit, qui cœnum hoc præfixum sibi habuerit. Ne à scopo deflecteremus, totum quantum cælum nobis propositũ, & omnia alia precum jaculo contingimus, si ad hoc unum collimamus: *Quærite*, inquit sempiterna Veritas, *primùm regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*

Orationis scopus cælum.

Sap. 5. v. 9. 10.

XV. In antiquo Testamento ea Salomoni Regi quadam vice divinitùs collata est gratia, quæ nobis semel pro semper in hodierno Evangelio dispensatur: *Postula à me quod vis, ut dem tibi.* Si potentiam efflagitaveris, nullus erit in toto Orbe terrarum te fortior; si opes, exuperaturus es divites Crœsos, Crassosque, quidquid

3. Reg. 3. 5.

attrectaveris ut Midas, aurum fiet; si regna, adjiciam tibi plura alia, dominaberis non in Palæstina duntaxat, sed tota Asia, & Africa potieris; si etiam sapientiam, effundam spiritum meum in te, ut superemineas cunctis Sophis, & sapientibus hujus mundi; si alia exoraveris, voto tuo subscribam. *Postula à me, quod vis, ut dem tibi.* Quis hîc tam insensatus fuisset, ut cum pueris pomum, aut cum Diogene umbram efflagitasset? Quis hic Euclionum habitô tali indultô, non extemplò aurum anhelasset? Quis ambitiosorum amplitudinem regni non affectasset? Quis mundanorum vitam sibi ad annos Pylios, aut Mathusalem prorogari non exorasset? Quid Salomon? Displosis hisce omnibus, pro una vera, ac germana instat sapientia:

Ibid. v. 7. 8. *Domine Deus, tu regnare fecisti servum tuum pro patre meo David, ego autem sum puer parvulus, & ignorans egressum, & introitum meum. Et servus tuus in medio est populi, quem elegisti, populi infiniti, qui numerari, & supputari non potest præ multitudine. Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, & discernere inter bonum, & malum.* q.d. Compertum mihi oppidò est, quòd omnis honos sit onus, & quidem Atlanteis formidandum humeris; novi, quod caput in corpore, idem Principem esse in regno; nec membra unquam probè dirigi sub capite aut vacuo, aut siderato. Non itaque postulo à te Domine, regna, non opulentiam, non caduca quęvis alia, quæ sunt vanitas vanitatum; verùm, si gratiam inveni in conspectu tuo, peto devotissimè sapiętiam, eámque minimè fallacem, ac futilem; sed veram, ac solidam, quâ discernam inter rectum, & obliquum; inter bonum, & malum; inter rationes temporaneas & æternas. *Dabis ergo cor docile*, &c. Quæ oratio tam grata accidit Domino, ut eidem & sapientiæ spiritum supra omnes mortales copiosiorem infuderit, & bonis omnibus locupletissimè cumulaverit. *Placuit ergo sermo coram Domino, quòd Salomon postulasset hujusmodi rem. Et dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam, ad discernendum judicium; ecce, feci tibi secundùm sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens, in tantum, ut nullus ante te similis fuerit, nec posthæc surrecturus sit.* *Ib. v. 10.*

Quod Dominus hîc Salomoni præstitit, idipsum nobis innixi, promissioni divinæ polliceri possumus, si nimirum nobis in scopum non tam noxia, & caduca, quàm salubria, & æterna præfixerimus; non tam cœnum, quàm cælum quæsiverimus.

XVI. Hunc scopum arbitratur S. Gregorius, & S. Augustinus nobis in præsenti Evangelio indicasse Dominum, dum ait: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Etenim ut prior disserit: *Nomen Filii JESUS est: Jesus autem Salvator, vel etiam salutaris dicitur. Ille ergo in nomine Salvatoris petit, qui illud petit, quod ad veram salutem pertinet.* Nam si id quod non expedit petitur, non in nomine JESU petitur. Conformia alter: *Non petitur in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem salutis.* Eapropter

Quid est in nomine IESV petere. *Ioan. 16. v. 23.* *S. Greg. h. 27.* *S. August. tr. 102. in Ioan.*

pter nec ipsi Paulo Apostolo stimulus carnis sublatus, (quod efflictim expetierat) eò quòd ipsius saluti tantopere consultum non fuisset. Et Apostolis etiamnum infirmantibus dictum: *Usquè modò non petistis quicquam in nomine meo*; ac si apertè intimaretur illis: Non petistis in nomine Salvatoris, quia nescitis æternam quærere salutem. Promissio enim Christi semper in nostrum tendit, & impletur favorem; nec unquam in spumas aut auram abit, quæ instar sagittæ in hunc scopum dirigitur.

XVII. Ejusmodi sagittæ ego Lemma apponere præsumo, quod olim subscripsisse tradit Ferus Ducissam quampiam Valentiæ: *Assequitur quodcunque petit.* Mitte orationem tuam perinde ac sagittam in profunda terræ, ut animabus in purgantibus prosit flammis: *Assequitur quodcunque petit.* Mitte sursum in æthera, quatenus illius in nos derivet influentias, *Assequitur, quodcunque petit.* Mitte in dexteram, vel sinistram: *Assequitur quodcunque petit.*

Ferus in Symb.

XVIII. Quòd si tamen semel, atque iterum compotes votorum non evaserimus; tertiò, quartò jacula cordis nostri in eundem scopum dirigamus. Omnia enim salutatia digna sunt, ut non momentaneis, sed æternis, si fieri posset, precibus exorentur. Sine fine petenda sunt, sine fine permansura.

Luctantem jam prope cum Libitina Elisæum officii, ac humanitatis gratia accessit Joas Rex, ultimum daturus, & accepturus osculum, ac benedictionem. Cui abitum suum ex hac mortalitate lachrymanti, ait: *Affer arcum, & sagittas.* Illisque allatis, præcepit, ut ejacularetur. Quod cùm semel atque iterum, ac tandem tertiò fecisset, seposuit arcum, & sagittas. Indoluit factum, fatiscens jam prope Vates, & ait: *Si percussisses quinquies, sive sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem.* Eheu, quot ejusmodi Joas inveniuntur, qui cùm semel, atque iterum orationum tela evibraverint, nec assequuntur, quod intendunt; Deum surdum, at prope immitem proclamant. His ego, quod Dominus in persona Elisæi, Joadæ edico: *Si percussisses sexies, aut septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem*, vitiorum fontes eradicasses, triumphasses hostes tuos; obtinuisses, quod voluisses. At quum inconstans fueris, nec in pulsando perseveraveris, tibi imputa, quòd votis tuis non potiare.

4. *Reg.* 13. *v.* 17.

Simus itaque boni Sagittarii, deprimamus nervum cordis per demissionem, occludamus oculum sinistrum per attentionem, collimemus ad scopum salutis, & confidamus de Domini Dei nostri bonitate precibus illam nostris subscripturam,

Fiat.

CONCIO XXVI.

IN DOMINICA VI. POST PASCHA.

Cùm autem venerit Paracletus, quem mittam vobis Spiritum Veritatis, ille testimonium perhibebit de me.

Joan. 15.

ARGUMENTUM.

VERITAS PROSCRIPTA MUNDO.

I. EXspectatissimum, & millenis exambitum votis præstolamur hospitem. Aud. Illum, inquam, hospitem, citra cujus divinissimas influentias, cæcutit ratio, alget voluntas, tota ingravescit natura. Hospitem, qui in nos miseros largissimas, cælestis opulentiæ derivet catharractas; qui lumine veræ intelligentiæ destitutos, radiis æternæ lucis ac veritatis illustret; qui nos pupillos omni parentela orbatos, ac insuper jugô peccati pressos, è servitute vindicet, in filios DEI adopturus. Hospitem, qui naturam collapsam surrigat, conglaciatam hominis voluntatem flammis amoris sui effervescere faciat, atque ad deproperandam inoffensô pede viam mandatorum Domini extimulet. Experimur, ut compendiô stringam, Tertiam in adoranda Divinitate Personam, Amorem increatum, Pneuma sanctissimum. Quis futurus tam inops mentis, ut tanto hospiti penetralia cordis sui obserat, aut eidem venienti moras, atque obstacula ponat? Immò, quis nostrûm eundem succensis non exoptet medullis? Quis solito laxiùs non pandat præcordiorum ostia, qui eundem precibus ardentissimis non invitet? *Veni sancte Spiritus, & emitte cælitùs lucis tuæ radium. Veni Pater Pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium*, &c.

Verum-

Verumtamen quum eundem desideratissimum Hospitem inaudio esse Spiritum Veritatis : *Cùm autem venerit Paracletus Spiritus Veritatis :* Quando revolvo eum evulgaturum omnia propalam in luce : *Docebit vos omnem veritatem.* Quando perpendo haud byssinis atque lenocinantibus usurum eloquiis, sed Catonianâ; ac Rhadamanteâ facundia fulminaturum vitia : *Arguet mundum de peccato, & de judicio, & de justitia,* subvereri cogor, ne quàm invisa bene multis est veritas; tam ingratus Spiritus S. habeatur. Quod quam non vano Appolline ominer palam facturus, tuum Numen ô beatissime Spiritus proximâ voluntate invoco, ac efflagito.

Ioan. 15.

Ioan. 16. 8

§. I.

ITINERARIVM VERITATIS FICTUM.

Veritatis itinera.

II. DE Veritate comminiscuntur Poëtæ, eam à majoribus Gentium Diis, ad refellendas discutiendasque mendacii offucias in terras delegatam; varias stabilitum iviſse sedes. Et primo quidem accessu, non tam inescatam delitiis Regum ac Principum; quàm eorundem provocatam querelis, quòd ipsorum exularet aulis, ad illas sese contuliſſe. Cùm ecce primâ fronte obviam conspicatur hinc inde effusam turbam, larvatâ facie, & Dulichiam suffultam gerentes sub pectore vulpem. Vidit eos duntaxat ab aure, & ore Principis esse, qui oleum non nisi in eorum auriculas instillarent, illos à rationibus, secretisque consiliis, qui scenæ deservientes, palpum eidem obtruderent; eos pono assidere, qui vitia ipsius ementitâ virtutum specie cohonestarent, facinora Orcum demerita, super sidera efferrent, ipsósque Heroibus, ac semi-Deis æquarent. Obstupuit ad tam inopinatum spectaculum Veritas, contractísque humeris, Principum iniquam miserata sortem, præstolabatur, num etiam mortalium quispiam eam introducturus esset.

Mores aulici.

Cùm ecce sese eminùs effert monstrum quoddam, toto vultu rugis ac sulcis proscissum, niveô totum quantum capillitiô attritum, ac lacerum vestibus, & toto tremens, rigénsque corpore. Quod ubi passu testudineo adrepsit, agnovit esse antiquitatem amicam, seu amitam suam, rogátque, præmissâ humanissimâ salutatione, ac amplexu, quis status illius foret, & quam ipsi spem admissionis faceret? Cui illa, profundo trahens è mœsto pectore suspiria, hæc pauca, repetitâ licèt remorante tussi vocem, remussitabat:

O mihi nunquam non cordi habita Veritas, quid me de ſtatu meo percontaris, quem vel ex primo intuitu conjicere proniſſimum eſt. Ex illo ſæculo noſtro aureo, vix hæc mihi ærugo, ex illa pompa, vix hi centones, ex omni mea virtute ac gloria vix nomen mihi ſupereſt. Efferimur nonnunquam linguæ præconiô, ſed morum ubivis deformatur vitiô. Novitas ubique lauros demetit, quas in opprobrium extollat vetuſtatis. Tu verò, ſi hîc ſtabile inquiris domicilium, actum agis, emigravêre dudum Antigoni, qui etiam vili lacernâ induti, te inter ſimplicem turbam inveſtigabant. Deceſsêre Auguſti illachrymantes, quòd ſublato Varrone non invenirent, qui eis veritatem ediceret. Evanuêre cum Platone alii, quibus nihil jucundiùs ſuaviſſimâ veritatis narratione accidere potuit. *Stob.*

Principibus exoſa veritas. Olim Profeſſores tui torque, ac fibulâ donabantur, jam verò in tortura, ac latomiis ingemiſcunt. Quippe à Principibus non tam oracula, quàm lenocinia petuntur. Syrenes illis gratiores ſunt, quàm Sibyllæ; ſtrangulent, inquiunt, dum occinant. Non lethum, ſed lætum illis eſt, ad ſymphoniam interire. Rarus è Principibus non eſt Siſara, qui trabali clavo ſuffigiendus, non obdormiat, ſi lactetur ad funus. Tu itaque, niſi bona nunties, malè tibi conſules, niſi roſas loquaris, in dumis diſtabeſces. Regiam adituris non minus veritas ſeponenda, aut amanda eſt, quàm anguibus nataturis virus expuendum. Hauriuntur illi fluctibus cum virore, Vates cum veritate naufragantur.

III. His auditis actísque gratiis ac vale dicto, dum quò ſe vertat, intra ſe expendit Veritas, occurrit nullibi ſe digniùs reſidere poſſe, atque in Prætoriis, Tribunalibus, ipſisque Aſtreæ ædibus. Nunquam enim, (ratiocinabatur ſecum Veritas,) æquitas ſubſiſtere poteſt, niſi arbitram nanciſcatur Veritatem.

Judex niſi Saphyrus ſit in decernendo pro veritate, & adamas in ferenda ſententia periniquus eſt. Incaſſum Codici incumbit, virgam præfert, latronibus cingitur, niſi ſecundùm jura me vindicet, inque obtrectatores meos virgam æquitatis evibret. Ita animata Curiam accedit, & ecce in primo limine intuetur excubare mendacia, figmenta, calumnias, ſpecie ipſa abominandas. Quæ nihil morata, in anti-cameram judicii non citra luctam enititur: In qua dum ſeſe verſat, advertit, ſymbola ſibi poſtquam exoſa. Unum repræſentabat telam araneārum, quam crabrones nullo negotio tranſvolarent, culices autem ac muſcæ ſuſpenderentur, cum inſcriptione: *Juſtitia hujus mundi.* Alterum exhibebat lances binas, in quarum una aurum, in altera Pandecta Juris, cum lemmate: *Plus ponderis aurum, quàm folium.* In tertio viſebantur corvi depaſcentes corpora ex parte una, ex alia verò columbulæ grana inveſtigantes, incumbente ſuper eos accipitre, adjecto Perſii rythmo: *Judicum perverſitas.*

Dat

Perſius. *Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas.*

Vidit hæc, & altùm ingemuit: Hæccine ſedes Aſtreæ, & non ſatiùs iniquitatis eſt, ubi non pro æquitate ac veritate, ſed pro reſpectu ac munere decernitur? Ubi vitia majori corriguntur piaculô, quàm patrentur? Ubi virgam judicii, & ſanguis inflectit, & munus infringit? Ubi ſimplex & rectus mulctatur, dives & iniquus triumphat? Cedendum, cedendum mihi hinc ocyùs, ne aut officiis illorum intricata, aut perverſis gloſſematis involuta, tam leviter me extricare haud ſufficiam.

Eccleſiaſtæ liberè patrocinari veritati non audent.

IV. Supereſt una mihi, eaque multò certior ac prope indubia ſedes fanum ſacrorum oraculorum. Ubi enim magis, quàm in Tripode acerra mihi fumat? Si ubivis gentium proſcribar, hoc reclinatorium me manet. Non poteſt non ſuus eſſe Veritati locus; unde omnis fulminatus eſt jocus. Hunc in modum, erecta animo, approximat fano, pronosque totis ventribus conſpicata augures, ſtupet quis ex Apolline Hermagoram refinxit? cur nulla audirentur oracula. Sic ſuſpenſæ occurrit prodigium aliud, idolum capite truncum. Adjurat itaque aliud ſalvum, quid rei ſit, cur tam mordicùs linguam infrænaret? cur conſulentibus non adeſſet, veritatem non expromeret? Tum illud: *Tempora mutantur, homines deteriorantur, & qui vult dicere verum, frangitur illi caput.* Olim nobis profari fas erat, & tuam deprædicare excellentiam, ô dilecta Veritas; jam verò declinante in vitium mundo, ora obſtruuntur. Ecce hoc oraculum hac nocte à furcifero capite imminutum, quòd ejus rapinam evulgaſſet. Præſtat tacere, quàm loqui, immò aſſentari, quàm Veritatem profari. Qui enim vult dicere verum, frangitur illi caput.

Berter. in Bib. mor. l. 11. c. 19.

V. Sic eluſa Veritas, aliò quò ſe reciperet, præter publicum, non invenit. Quò cùm ſeceſſiſſet, rata ſub Jove dio clariùs patere veritatis fulgorem, ecce recentem ſibi obſiſtentem turbam offendit. Audiit inſtitorem, merces, eásque corruptas dimidiô majore venditare pretiô, inſuper pejerare, optimas eſſe, & tanti ſibi veniiſſe. Vidit inibi viros editos non regibus, ſed remigibus ſtemmata ſua ab Anchiſe venditare; alibi fœminas pavonum inſtar ſeſe efferentes, & quibus cùm tota ſupellex in tergo, domi nonniſi parumper braſſiæ ſupereſt, deblaterantes lautitias uvas, & volucrum depaſta cerebella. Hîc ultra ſui impos Veritas, oſtenſo ſegmente braſſicæ, quod caſu collari adhæſerat. Hem, ait, iſtæ plumæ id evulgant; verùm an phaſianorum, an perdicum ſint, latet. Quô dictô, puella, quæ antehac omnem mentiebatur modeſtiam, in furias acta, concitis procis, ac contribulibus, veritatem quà pugnis, quà verberibus, tam ſeverè multarunt, ut vix ſemianimem in plateis deſtituerint: *Corruit Veritas in plateis.*

Mendacia mundi.

VI. Dii quorum oculus nunquam non ad ſuccurrendum ſuis invigilat ; videntes oppreſſionem perdilectæ ſibi filiæ, viſcera cujuſdam vetulæ ad comminiſerationem inflexêre, quatenus veritatem tantopere deſpurcatam, ac depalmatam ſublevaret, ejusque miſerta, domi ſuæ reciperet. Iſta & Deorum vectigalis imperio, & promicante ex vultu Veritatis (quæ latere minimè potuit) criſtallina, gemmeaque pulchritudine ſublatam brachiis domum ſuam intulit. Hîc theſaurum ſuum accuratiùs luſtrando, videt perinde ac in ſpeculo, rugas ſuas in fronte, ac genis profundiſſimè ductas, dentem unum alterumvè craſſiorem apri in morem extantem, alios hiantes, verrucas in mento miſtacibus longioribus obſitas, oculos hiulcos, membra alia tremula, totum corpus Megeræ, aut Meduſæ inſtar deformatum. Excanduit hîc mirum quàm dici poteſt, vetula, & quam ante fovere cœperat jam verbis, jam verberibus expulſum ibat : O te ingratam diiſque adverſis natam exulat ; jam palpo, quid cauſæ ſit, quòd ubivis locorum repulſam patiare. Apoſtema es, quod citra dolorem tangi nequit. Canis, quæ accedentes torvè allatras, ſi mordere non præſumis. Rude nimis lignum, quod in ſcenam efformari nequit. Nonne tibi tantiſper ſerviendum eſſet tempori ? nonne aliorum indulgendum nævis ? nonne diſſimulandum modicè ? Apage, apage, nec hic angulus pro te recipienda, ac vindicanda eductus eſt. Abi per me licet in malam crucem, dummodò hoc in limine poſthac non compareas.

Veritas à vetula expulſa.

Hîc, ubi manſerit Veritas, incompertum Poëtis eſt. Alii puteo merſam defendunt ; alii rectiùs, fulminaſſe mundum, & ſubſtitutô mendaciô, in æthera avolaſſe.

§. II.

ITINERARIVM VERITATIS COMPROBATUM.

VII. ITA Poëtis ingeniosè delirantibus, me unà cum ipſis in Æſopi ſilvula aberrare quiſpiam ominabitur. Verùm, ut oracula eſſe conſtet, quæ loquor, Sapientem vias ipſius enarrantem, auſcultate : *Sapientia,* (inquit, id eſt, ſumma ac æterna Veritas,) *foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam. In capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba ſua, dicens : Uſquequò parvuli diligitis infantiam, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia, cupient.* Quatuor hîc imprimis ipſius itinera ac diverſoria deſcribit. Primum eſt, quod à Poëtis loco ultimo ponitur, deforis : *Sapientia foris prædicat,* nimirùm in aprico, ac cælo ſudo. Alterum *in plateis,* in quibus Oratoribus roſtra ponebantur, per quæ interpretor exedras Eccleſiaſticas. Tertium, *in capite turbarum,* id eſt, inter Principes

Prov. 1. & 20, 21, 22.

ac Summates populi. Poſtremum, *in portis urbium*, in quibus cauſæ agitabantur, & tribunalia ſtatuebantur. Omnia hæc ſtrenuè obibat, inſtruebátque Veritas. Sed quô ſucceſſu? Omnino irritô. Quippe cùm in primi conſpectum ſeipſam nativô oris filô conſpicuam dare, haud conſultum judicaret cùm alios, tum imprimis ſanctos Apoſtolos per Orbem terrarum eos diſpertiendo miſit. Quibus egregiè ſpartam ſuam obeuntibus, non niſi tela, ergaſtula, cruces aptabantur. *Quippe lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occaſione gladii mortui ſunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, eſentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.* Hebr. 11. v. 17.

VIII. Ad aliud diverſorium, nimirùm roſtra Eccleſiaſtica, ut alios innumeros mittam, ſuo deſtinavit nomine, virum plenum gratiâ ac fortitudine, ſanctum inquam Protho-Martyrem Stephanum. Eô incomprehenſam Numinis in populum ſuum Bonitatem, ac providentiam prædicante, ac ſubinde ad infiniti amoris in incorporato DEI Filio myſteria devolutô, cùm populum inflecti ad emendationem par eſſet, in diras verſum conſpexit; legatúmque ſuum exturbatum templo ultra portas Urbis lapidibus obrutum ingemuit. (*Act.* 2.) *Lapidaverunt Stephanum invocantem & dicentem: Domine* JESU, *ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Quid ſubinde?

IX. In tertio quot quæſo non linguis, ac lateribus peroravit? Inprimis quo ſimpliciore, ac minus fucato habitu accederet, faciem unius de opilionibus idiotis, nomine Amos aſſumpſit; in eoque Regem Jeroboam cum populo ſuo corripuit dicens: Niſi ab idolis ad verum DEI cultum converſi fueritis: *In gladio morietur Jeroboam, & Iſraël captivus migrabit de terra ſua.* Implevit Samaria menſuram criminum ſuorum, necreſtat præterquam apex gladii apponendus. Et ecce actutum unus de Aſſeclis Principis Amaſias appprehenſum foras educit, dicens: *Qui vides egredere, fuge in terram Juda, & comede ibi panem, & prophetabis ibi. In Bethel non adjicias ultra ut prophetes, quia ſanctificatio regis eſt, & domus regni.* In angulis ac delubris promuntur oracula, non in regum ſoliis. Hîc ea gratiſſima habentur, quæ non tam ex divinis codicibus, quàm ex ipſis Regum frontibus, deſumuntur. Is optimus acceptiſſimuſque augur, qui ex Summatum ſuperciliis divinat, nec ex corde victimæ, ſed è ventriculo regnantium eruderat vaticinia. Tu cùm hujus haruſpicinæ rudis ſis, apage fuge in terras longinquas, *Et in Bethel non adjicias ultra, ut prophetes, quia ſanctificatio Regis eſt, & domus Regni, &c.* Amos 7. v. 12, 13.

Veritas rata, homines vulgaris cicladis, minus acceptos purpuræ, politiorem multò Micheam ſubrogare conſtituit. Et is ultro admiſſus, ne prima fronte offenderet, ab amico ut videbatur ſpadone monitus:

3. Reg. 22. v. 13. *Ecce sermones Prophetarum, uno ore Regi bona prædicant. Sit ergo sermo tuus similis eorum, & loquere bona.* Cum multis desipere, pars sapientiæ est, solum velle sapere, stultitia: si adversô tot Haruspicum natare fluento, nixus fueris, incassum remos concitabis, & conatu irritô, in profunda Oceani devolveris. *Sit ergo sermo tuus similis eorum, & loquere bona.* Michæas his blandimentis necquicquam motus, Regem firmissima constantiæ, ac veritatis accinctus ægide adiit: A quo quæsitus, an eundum in Ramoth Galaad, an supersedendum? non tam lenocinaturus, quàm assentatarum explosurus, offucias reposuit ipsismet eorum verbis: *Ascende, & vade prosperè, & tradet Dominus in manus Regis.* Jam tibi militat æther, & conjuratæ veniunt ad jussa procellæ, cornu uno ventilabis, subvertésque Syriam universam.

Ibid.

Subodoratus lusum Rex, adjurat Vatem, ne sibi imponat, sed sepositis falsis, quid oraculo acceperit, eloquatur: *Adjuro te, ut non loquaris mihi, nisi quod verum est, in Nomine Domini.* Tam seriò veritatem appetiit, non ut pareret, sed perderet, non ut adoraret, sed fulminaret. Nam cùm quod audierat oraculum enuntiasset: *Vidi cunctum Israël dispersum in montibus, quasi oves non habentes pastorem*, eodem momento à cornuto ariete Sedecia mulctatus colapho, imperio Achabi in vincula conjectus est: *Mittite virum istum in carcerem, & sustentate eum pane tribulationis, & aqua angustiæ.* Sic ut primùm mentionem ovium fecit, lupum in oraculo invenit; & in ergastulis obsolescere cogitur; quòd unus præ cæteris clariùs viderit cladem imminentem. O miseriam! O perversitatem! Veritas nec his deterrita calamitatibus, alios atque alios, advocat; eosque non editos remigibus, sed regibus, illisque verba instillat, ut non tam suo, quàm ipsius labio personarent: *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Verùm & hi partim in nervum missi, partim gladio cæsi, partim lapidum grandine miserrimè contriti.

Ibid. v. 27

Ibid. 28.

Ibid.

Ier. 1. 10.

X. Restabat ultimum ad Tribunalia perfugium, quò ipsa non tam invitata, quàm attracta Veritas, quæsitumque de ipsius genealogia ac stemmate, *Quid est Veritas.* Hîc salvam tutamque crederes; verùm si quo in loco, tum inibi pessimè habita. Quippe utut Judex patrocinari illi lotis manibus, videbatur, nihilominns primò flagris, tum sibilis, postremò infami addixit stipiti. Eheu miseram! eheu Niobeis deplorandam lachrimis calamitatem! Usque adeo dirè sævitur in innocentem, eo duntaxat nomine ream quia Veritas. *Corruit Veritas in plateis*, vel ut Daniel loquitur: *Prosternabatur veritas in plateis*, vel ut dilectus Domini discipulus: *Bajulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum, ubi crucifixerunt eum.* Hæc sors olim extitit sacro-sanctæ Veritatis, sic accepta, imo sic proscripta, sic ex hoc mundo exturbata est. Utinam verò non multò deterior eam pestifero hoc sæculo maneret conditio. Ut enim hæc effrænatissima portenta tyrannidis videri

Isa. 59. 14

Dan. 8. 12

Ioan. 19. v. 17, 18.

deri possunt; sustineri, ac leniri eo embammate queunt, quòd à summis capitibus profluxerint. Jam verò quis ferat (quod tamen solennissimum) è stipite sustem excidi? Detestamur Reges, ac Judices impatientes Vaticinii? hostes vaticinii non fulminabimus, & recoctos alibi Institores veritatem venenatis linguis admordentes? Patebat olim ad plerosque aditus Veritati, qui libenter audiebant eam, & ejus gratia multa faciebant. Jam verò apud Semi equites, assatos semilixas, pistrini transfugas, futiles, buxeosque Mecænatos eandem vel nudam, vel etiam benè togatam producere, crimen læsæ Majestatis, dico, seu scurrilitatis est. Cùm nullius eos pudeat criminis, solius depudet veritatis, cùm omnia scelera pileo donentur, sola Veritas mulctatur, ac mancipatur.

Videant hi, ne dum Spiritum Veritatis audire detrectant, à patre, & spiritu omnis mendacii circumscribantur. Videant ne dum ductum illius sequi tergiversantur, ab hujus inescati officiis, à tramite salutis desciscant. Videant, ne cùm hunc Doctorem habere abnuunt, alterius tyrannici Didasculi ferulæ subjiciantur.

XI. Scitè hanc infelicitatem eorum à minori ad majus argumentando comprobat Doctor Gentium in Epistola ad Hebræos: Cùm enim adhortatus eos esset ad suscipiendam Evangelii veritatem, monuisset que ne obsisterent corripienti: *Videte ne recusetis loquentem,* subdit: *Si enim illi non effugerunt recusantes eum, qui super terram loquebatur, multò magis nos, qui de cælis loquentem nobis, avertimus.* Judæi quoties Moysi obstrepebant, aut ejus detrectabant imperium, jam ignitis serpentibus, jam cæde multorum millium mulctati sunt. Ex quibus formâ optimâ ratiocinatur Doctorum Alpha Paulus: Si Judæi non effugerunt ultionem, recusantes Moysen audire; quantò minus nos effugiemus supplicium, qui loquentem de cælis Spiritum S. avertimus? qui nimirum repellimus ipsum Deum specie primùm linguarum ignearum illapsum; tum verò per Apostolos suos, aliosque Ecclesiastes à se missos, edoctos, ac illuminatos; tum etiam intra nosmet ipsos per sanctas, suavissimasque inspirationes loquentem? Si illi non effugerunt renitentes audire purum hominem sermocinantem de terrenis, multò acerbius plectentur, qui de cælis loquenti contradicunt, & aversantur Christum, & Spiritum ejus, qui de cælis ad nos loquitur cælestia. *Videte ergo, ne recusetis loquentem.* Periculum ex eorum casu facite, & sapere discite.

Hebr. 12. v. 12.

Illi tamen forsitan in corpore duntaxat animadversi, ut spiritus eorum in die resurrectionis salvaretur; at verò contranitentes Spiritui S. animarum subeunt dispendium. Illi à terra promissionis excluси sunt, hi ab ipso regno Empyreo fulminantur. Hoc fulguritum ingenti dudum cum fragore in Judæos veritati recalcitrantes; nunc in universos Cælum Apostolicum ejaculatur. Cùm enim illi Antiochiæ præfractè Evangelicæ veritati obluctarentur, præmissa incassum acri correptione in-

ne intonuit Paulus : *Vobis oportebat primùm loqui Verbum DEI, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* Hactenus aliquid ſpei de veſtra ſalute præconceperam; jam verò quia Spiritus S. germina per me ſparſa ſuffocatis, omnem deponere cogor. Ut enim magnum inhabitantis Spiritus S. ac futuræ ſalutis indicium eſt inſpirationibus ipſius obſequi; ita evidentiſſimum reprobrationis ſignum eſt eidem obluctari. *Quia repellitis illud, indignos vos judicatis vitæ æternæ.*

Act. 13. v. 46.

Ne itaque eadem calamitas, eadem damnatio nos involvat; quotquot ad fulmen iſtud expalleſcitis, pronas non modò aures eidem loquenti miniſtrato, verùm imprimis hocce octiduo eundem ingeminaris precibus invocate: *Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.*

Fiat.



CONCIO XXVII.

IN FESTIVITATE PENTECOSTES.

Factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis. Act. 2.

ARGVMENTVM.

MENSVRA SPIRITVS VEHEMENTIS.

I. PErarduum est cœlestibus cum Theosophis disceptare, & proposita ab iis ad unguem enodare dilemmata A. Quantò enim supra omnem terrenæ propaginis facultatem sublimiùs provecti sunt, tantò & perspicaciore pollent intelligendi acumine, & arcaniora naturæ profundiùs rimantur, & recondita nonnunquam obscuriùs, tanquam nodô Herculeô intricata proponunt.

Argumentò sit quæstio ab Uriele Archinuntio Altissimi zelosissimo legis antiquatæ Notario Esdræ objecta:
4. Esd. 4. 5. *Mensura*, ait, *mihi flatum venti, pondera mihi pondus ignis, aut revoca mihi diem, quæ præteriit*: Quæstio hæc tam intricata, tamque insolubilis Esdræ sapientissimo visa est; ut illico de ratione illius enodationis desperans exclamârit:
Ibid. v. 6. *Quis natorum poterit facere, ut me interroges de his?* Quis tanta ingenii perspicacitate præditus, tantâ rerum experientia insignitus, tantâ scientiarum prærogativâ inclitus, ut mysteria hæc exenteret, & elucidet? *Quis natorum poterit facere?* ut vel mensuram adinvenire queat, quâ ventorum dimetiatur vehementiam, aut pondus, quô ignem appendat, aut trochleas, quibus tempus evolutum revocet ac retrahat?

Ego nihilominus solennitatis hodiernæ ordinem perpendendo, idem omnino onus mihi impositũ animadverto. Nam cum factus de cœlo sonus spiritus vehementis oratione mihi trutinandus proponitur, quid aliud innuitur, quam ut mensurem flatum venti hodierna luce facti, & inauditi? Rursus quum alterâ feriâ Ignis divinæ dilectionis expendendus objicitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut* Filium suum Unigenitum daret mundo: quid aliud innuitur, quam ut ponderem pondus ignis? Tandem quum tertiâ die agatur de vita abundantiore: *Ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant*; quid insuper evincitur, quam ut vel vitæ limites temporum periodô extendam, vel ut tempus evolutum revocem: *Revoca mihi diem quæ præteriit.*

Ioan. 3. 16.

Ioan. 10. 10.

Quid itaque ago? Tergiversaborne cum Esdra, & rei impossibilitatem causabor? At festivitatis vetat religio. Præsumam? Ingenii mei vires immensum supereminet? Aliquid tentabo, & siquidem insimul omnia præstare nequeo, præsenti alloquio non nisi flatum venti exoptatissimi ad mensuram revocare adnitar. Aspira cœlestis Auster, qui hac sacra luce Collegium Apostolicum afflavisti, quatenus honori tuo dignè velificem, meorumque Auditorum commodo consulam.

Narratio ac Partitio.

II. Venti vocabulo in sacris literis indigitari spiritum Sanctum compertissimum est. De eo enim, Doctore D. Augustino, ac Gregorio, ipsa æterna sapientia apud S. Joannem ad Nicodemum loquitur: *Spiritus ubi vult spirat, & nescis unde veniat, aut quo vadat.* Ipse est ventus, quô Protoparens noster animatus, insufflante Domino in faciem ejus spiraculum vitæ. Ipse est ventus revocans mortuos ad vitam, qui apud Ezechielem vatem supra interfectos advocatur: *A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla* supra interfectos, ut reviviscant. Ipse est ventus nos in cœlestem patriam reducens, de quo Psaltes: *Spiritus tuus bonus deducet te in terram rectam.* Ventus dictus authore Dionysio Areopagita ob vim movendi, atque animandi, & celerem insuperabilemque descensum.

Spiritus S. in vento adumbratus.
D. Aug. in Io. D. Greg. l. 24. mor. c. 13. Ioan. 3.
Ezech. 37. 9.
Psal. 142. 11.
Dion. Arg. de Cæl. Hier.

Hic ventus hac festivitate imprimis sese longè latèque juxta omnem dimensionem sine mensura diffudit.

§. I.

Dimensio venti hodierni secundum sublimitatem ac profunditatem.

III. SUblimitatem ac profunditatem ipsius, (quam utramvis crassitiem uno vocabulo nuncupat Mathesis) attigisse mihi videtur in ipso contextu Hagiographus dicens: *Factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, & apparuerunt eis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, seditque supra singulos eorum.* Num quid sublimius cœlo, unde descendit? aut quid profundius terrâ, in quam se demisit? aut quid liquidius ad evincendam ejus excellentiam, quam quod præstitit?

Spiritus S. gratia quâ ampla.
Act. 2. 2.

Ex veteris legis codicibus eruditur, Dominum sese manifestasse Eliæ vati, non in commotione aliqua vehementi, nec in exæstuante quopiam incendio, nec in perstrepero tubarum classico, sed in sibilo auræ tenuissimæ. *Post ignem sibilus auræ tenuis ibi Dominus.* Piè sanctèque credendum, id non citra mysterium factum ab eo, qui insigniùs identidem buccinat operibus, quam verbis peroret. Ipsa enim illius facinora axiomata sunt, quibus dum quidpiam tacitus facit, quid agere, aut quid sapere debeamus innotescit. Cum itaque supra vatem in sibilo, supra Apostolos in spiritu vehementi descenderit, aliquid certò nobis ad salutem indicare intendit. At quidnam illud?

Spiritus S. cur in vehementia descendit.
3. Reg. 19. 11.

Num forsitan flammeo subinde exuren-

xurendum cataclysmo indicat mundum, quem prius aqueo obruerat? Num impetu magis effuso in Lege gratiæ irarum evomet furores? Num blandius affabatur olim servos, quam in præsenti filiis blandiatur? Ne quæso hoc sonitu perculsi expalleatis, sed Apostolo vos erigenti intendite: *Non accepistis ait, spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater.* Non effudit Dominus spiritum servorum ad timendum, quemadmodum Patres nostros metu pœnarum infrænabat, ne exorbitarent à lege sancta sua; sed spiritum gratiæ suæ, per quem adoptati estis in filios Dei; & in quo filiali, ac fiduciali affectu, præ teneritudine, dulcedineque amoris eum tanquam teneri infantes blandissimâ voce compellatis: *Pater Pater.* Vetus Lex servorum erat, & timoris lupato suos coërcebat sectatores; at verò Lex Gratiæ filiorum est, amoris funiculis irretiens ad obsequendum. Illa compescebat ab opere externo contra legem patrando, hæc animum pellectat ad promptè, devotissimèque obsecundandum. Quid itaque signat sibilus auræ, quid impetus?

Rom. 8. 15.

An clementiam, ac benignitatem suam luculentiùs insinuavit servis, quam filiis? At & hic contrarium evincit amantissimus Domini discipulus, dum dicit: *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Illa duntaxat erudiebat, ac illuminabat intellectum, ista insuper inflammat affectum; illa data in tabulis lapideis, ista in tabulis cordis carnalibus, scripta non atramentô, sed spiritu Dei vivi.

1. Ioan. 1. 17.

2. Cor. 3.

Quid igitur mysterii? Non aliud, quam ut hac ipsa adventandi ratione ostenderet, quod operabatur; nimirum multò eminentioris gratiæ, fervoris, charitatis dispensationem. Quemadmodũ enim aura vehementior copiosiorem indicat exhalationem, haud secùs validior hic impetus spiritus S. copiosiorem, indicat ejusdem afflatum, atque influxum.

Experimentum hujus si capere est animus sisto vobis Collegium Apostolicum, quod quam concussum, atque infirmum extiterat ante adventum spiritus S. tam forte subinde ac validum virtute illius indutum ex alto evaserat. Quam timidè, ac perfidè antea inficiabantur Christum Apostoli, tam animosè paulò post eundem confitebantur.

Sisto imprimis ipsam Petram Ecclesiæ, quæ ante unius mulieris voce percussa contremuit, vitamque dum mori timuit ejuravit; exinde verò nec vincula nec carceres expavit, & quam frigidè tulerat puellæ per cunctationem, tam generosè armatus per ipsum totius mundi sustinuit persecutionem.

Sisto vobis Philippum Nerium tantopere exæstuantem charitatis ardore, ut cum cor ipsius intra repagula contineri nequiret, confractis, atque elatis duabus officulis mirabiliter Dominus id ampliaverit. Sisto Franciscos Seraphicos, Kostulos, Teresias, quibus vix ipsi Eliæ flagrantissimi coæquari queunt.

IV. Et si etiamnum dubium vobis

est ad mensuram ipsam utriusque Testamenti appello.

In illo Isaias vates auditâ in spiritu Seraphicorum Geniorum inter se con-
Gratia T.V. limitata. certantium, ac modulantium Deo suavitate, nescio quamnam linguæ remoram obtendebat ; quò minus iisdem
Isa.6.5. concineret. *Vir pollutus labiis ego sum & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* q.d. O me miserum quomodo sacra, ac divina eloquia ore, ac labiis meis tractare præsumam, quæ inter fecem vulgi commorando sæcularibus ac vanis haud destiti polluere colloquiis. Meum, meum est blaterare, non seraphicis choris concinere; meum est sigalionem satius, quam Psaltem profiteri. *Vir pollutus labiis ego sum.*

Hac ingenuâ confessione commotus Dominus, illico expedivit seraphinum emundaturum labia ipsius. *Et vo-*
Ibid. v. 7. *lavit unus ad me de seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetegit os meum, & dixit : Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur,* id est: Hoc signô, ac contactu labiorum noveris tibi piacula tua esse exusta, & te spiritu propheticô dotatum ; simulque fiducia, ac magnanimitate armatum, ad populi, procerumque cæcitatem redarguendam, oraculaque divina depromenda. Et hæc mensura erat quâ dispensabantur gratiæ in illa Lege, nimirum forceps adunca, aut digiti compressi.

Quænam verò in Lege Gratiæ exhibita ?

In hac se vidisse testatur Angel° Apocalypticus alterum Angelum non jam unum carbonem, sed vas plenum pru-
narum ad inflammanda mortalium præcordia adaptantem : *Et accepit*, inquit, *thuribulum, & implevit illud de igne altaris, & misit in terram.* Ut vel inde *Apoc.8.5.* pateret Angelum N.T. Christum Dominum in Lege gratiæ abundantiùs charismata spiritus S. profudisse ; & hac sacrâ luce thuribula aurea, id est præcordia suorum discipulorum cumulatiùs repleviſſe.

Ita distinctè in hunc locum doctis- *Rupert in h.l.*
simus Abbas Rupertus philosophatur : *Nunc ignis ille de cœlo mittebatur, unde apparuerunt discipulis dispertitæ linguæ, tanquam ignis. Ille inquam ignis mittebatur in terram, quo Angelus ille magni consilii dudum impleverat aureum thuribulum immaculati corporis sui, & nunc assumptus in cœlum, agebat, quod dixerat: Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur.*

Nunc nimirum accendit lampades virginum prudentum, nunc verus Elias demisit duplicem spiritum in discipulos, nimirum illuminationem intellectus, & inflammationem affectus, nunc ignis de altari, absconditus in puteo alto præcordiorum Apostolorũ exoriente clariùs sole Justitiæ accensus est, tantò illustrius, quantò antehac latebat in caligine passionis obscuriùs.

Cujus extemplò rationem diversitatis subnectit in hæc verba. *Voluit autem Dominus ostendere modum diversum communicandi beneficia sua, gratiæ, & amorem. Nam usque modo in antiqua Lege limitatè, ac parcè dederat. Hinc carbunculum altari restituit, unde eripuerat; quia hinc, quasi colligebat nobis spiritus S.*

V. Concinit, tanquam beata seraphim altera alteri, Abbati huic

Abso-

Absolon Abbas, qui non veretur cujusdam tenacitatis spiritum S. in literata Lege arguere, quando ait: *Spiritus S. quodammodo parcus fuit antiquis temporibus, ne dum avarus; quia tunc nobis congregavit, & thesaurizavit divitias, ut tempore gratiæ illas exponeret; & fons divinæ bonitatis abundantiùs per gratiam emanaret; & unctio spiritualium charismatum cum omni plenitudine in filios Ecclesiæ descenderet.* Quemadmodum enim Pater mercedem servo tribuit, hæreditatem, ac bona filio reservat: ita cœlestis Pater per dispensatorem, ac Diribitorem suarum gratiarum spiritum S. Judæis tanquam servis gratias quasdam, quasi munera contulit; filiis autem, id est Ecclesiæ Christi membris, totum patrimonium omnesque gratias cumulatissimè impertiit. Proinde quanta est inter servum, ac filium differentia, inter umbram & corpus discrepantia, tanta itidem est gratiarum priorum temporum, ac novissimorum diversitas.

Absolon Abbas.

Expendat itaque unusquisque intra semetipsum, quas gratiarum hostias eidem divino Hospiti, ac Largitori immolare pro tantis charismatibus par sit? Nam si Hebræi pro accepta Lege in tabulis lapideis hanc solemnitatem in hostiis, & holocaustomatis obibant, quod soli inter omnes gentes electi, quibus divina eloquia concredita forent, quantò arctius obstricti erimus, qui legem non in tabulis lapideis, sed digitò spiritus S. in visceribus nostris inaratam accepimus? Si illi ex dissitis terrarum partibus Jerosolymam confluebant ex omni natione, quæ sub cœlo est, pro hoc beneficio unà gratias relaturi; quid nos facere æquum est, qui hac eadem die pro lege Evangelium, pro litera spiritum, pro umbra veritatem, pro ministratione damnationis ministerium justitiæ, pro spiritu timoris adoptionem filiorum Dei percepimus? Quantò enim præcellit gratia, tantò itidem insigniorem vendicat gratitudinem.

Et certè de Apostolis legimus, quod hoc munere ditati loquebantur magnalia Dei, & quod mustò spiritus S. pleni verbis atque operibus beneficium contestati sunt. Nos itaque si muti pisces hodie invenimur planum facimus, vel divinum hunc hospitem non suscepisse, vel quod pejus est, ignorare quis sit, vel certè tanti beneficii pondus nullatenus penetrare.

§. II.

Mensura Venti cœlestis, quoad Latitudinem.

VI. HOc itaq; penitius evisceraturi, intensioresque in intimis fibris gratissimæ mentis affectus excitaturi ad Latitudinem hujus venti divinissimi dimetiendam descendamus.

Spiritus S. gratia quam lata.

Eam abunde desumere possumus ex citato Epistolæ textu, quod *repleverit totam domum, ubi erant sedentes.* Etluculentiùs paulò ex oraculo, per Joelem in hæc verba divulgato: *Joel 2. 28.* *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ, & juvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt.* Sed & *super servos meos, & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum,* q. d. Alii do-

nabuntur prophetiâ ſpiritu S. ſuper eos effusô, ut filii ac filiæ dilectiſſimæ; quæ primæ ſunt admiſſionis, ac meriti. Alii ſomnia, ut ſenes jam provectioris ætatis ſomniabunt; alii viſionibus cum juvenibus de maligno triumphantibus illuſtrabuntur. Servi autem, atque ancillæ, qui etiamnum ſpiritu timoris aguntur, fidei, ac ſalutis gratiam poſſidebunt. Nullus erit, qui particeps donorum meorum (niſi ipſemet pervicax obicem poſuerit) factus non fuerit. O deſiderabilem abundantiam! ô latitudinem incomprehenſam, quâ & ſervus, & ancilla, & juvenis & ſenex, omniſque ætas comprehenditur.

Vellus Gedeonis quid ſignet.

VII. Adumbratam hanc latitudinem arbitratur Illuſtriſſimum Affricæ ſidus in vellere Gedeonis prodigiis roris nobilitato.

De hoc teſtatum facit liber Judicum, quod obnitente præfato Heroe, acceptare à Domino oblatum ſibi regimen, & prodigium quodpiam, in argumentum ſuperuæ electionis, efflagitante, primum quidem ad votum illius in ſolum vellus ros deſcenderit, terrâ interim circumquaq; arida manente. Tum verò inſtante rurſus eodem, idem ros univerſam terram irrigaverit, exiccato vellere.

Ut verò in vellere intelligantur Judæi, favet teſtimonium Domini dicentis: *Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt domus Iſrael.* Ex quo vellere veſtis humanitatis ipſius contexta eſt. Per terram autem omnes omnino nationes rite intelliguntur; de quibus illud dici poteſt; *Terra autem* (imprimis Gentiũ) *erat inanis ac vacua deſtituta virore gratiæ, cœleſtiumq; floribus virtutum.*

Matth. 15. v. 24.

Gen. 1. 2.

Quid verò eſt, quod prius immaduit vellus, & tum primùm tellus? An non id, quod prius in Judæos duntaxat; tum verò in omnes gentes ſpiritus S. gratia diffuſa ſit.

Placet ex ore Auguſtiſſimi Patris accipere myſterium: *Videmus*, ait, *jam gratiâ Chriſti ſiccam remanſiſſe gentem Judæorum, totumque terrarum orbem in omnibus gentibus, Chriſtianæ gratiæ plenis nubibus complui.* Videmus primò paucis Judæorum, & gentibus naturæ legem cum Iobo cuſtodientibus ſpiritus S. gratiam diſpenſatam eſſe; poſtea in omnes nationes chariſmata, ac influentias ipſius redundaſſe. Videmus primùm ſtetiſſe claſſem Eccleſiæ in ſolius Judææ oris, ſubinde autem flante hoc ſecundiſſimô ventô egreſſam ex portu, totum orbem terrarum enavigaſſe. Videmus in anteceſſum ſolis Hebræis, iiſque reluctantibus, ac recalcitrantibus gratiam Evangelii oblatam, ſubinde verò imperante Domino, & illis ſeſe ingratis exhibentibus omnibus nationibus ſub cœlo prædicatam. *Euntes in orbem terrarum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Non ſolum divitibus, ac ſummatibus hujus mundi, ſed & pauperibus, infimiſque; non ſolum nobilibus, ſed & plebeiis; non ſolum liberis, ſed & ſervis ac barbaris. *Prædicate.* quia: *In diebus illis effundam de ſpiritu meo*, &c.

Aug. in lib. Iud.

Mar. 16. 15.

Donorum ſpiritus S. diverſitas.

VIII. Quoniam autem incapacas ſumus donorum omnium, quæ in nos effundere meditatur, ad menſuram, ac capacitatem cujuſque ea attemperat: *Alii enim* (conteſtante Apoſtolô Paulô) *per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum*

1. Cor. 12.

cundum eundem spiritum; alii fides in eodem spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituū, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus, atque idem spiritus, dividens singulis prout vult. Alii dat gratiam ad salutem, ut toto corde convertantur ad Dominum Deum suum; alii sufficit vires, ne in conflictu adversum Tartareas succumbat legiones; alium solatur, & in spem erigit, quod sit filius Dei; alium incendit, quatenus in conglaciatis ipsius præcordiis flamma charitatis exurgat; alios item alloquitur blandè ut filios; alios instigat, ut servos; alios suaviter compellat, ut amicos; ita ut concinnè id de ipso, quod de mundi oculo cecinit Psaltes, dici queat: *A summo cœlo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus; nec est qui se abscondat à calore ejus.* Non est scytha nec Barbarus; non peccator, quantumvis enormis, quem omnino transeat; qui ab illius lumine non illustretur, ab illius flamma non accendatur.

Psal. 187.

Verùm enimverò quoniam cœlestis hic Auster permultos desiit vehementiùs aspirare; quoniam nonnulli etiamnum frigidi inveniuntur, ferventissimô orationis anhelitu illum attrahere adnitamur. Imitemur dilectam ejusdem divinissimi Pneumatis, & cum eadem ingeminemus: *Veni auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Veni aspira, & inspira saluberrima consilia, & dabunt odorem aromata cogitationum piarum, verborum, ac operum. *Veni Auster*, & anima organum mutum, ac emortuum præcordiorum nostrorum spiritu tuo, & decantabit nomen sanctum tuum. Veni Auster, & affla tellurem corporis nostri, & terra nostra dabit fructum suum. O verè fortunatum afflatum illius à quo Beatissima Virgo concepit corpore! O verè optatum à quo omnes fideles concipiunt mente; à quo peccatores ab æstu libidinum suarum refrigerantur, à quo omnes filii Dei vivificantur! *Veni Auster perfla hortum meum* &c.

Cant. 4. 16.

§. III.

Mensura spiritus vehementis secundum longitudinem.

IX. SUpereſt longitudo hujus divinissimi Favonii dimetienda.

Et hanc desumere possumus ex eodem Actuum testimonio, quod nimirum totam domum repleverit, ubi erant sedentes inchoando nimirum ab illa, & consummando in ecclesia Dei vivi in finem. Id enim ipsa æterna veritas apud S. Joannem manifestò stipulata est, cum diceret: *Alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* *Spiritus S. in Ecclesia æternat.* Ioan. 14. 16.

Typum hujus nobis exhibet ignis ille cœlitus supra sacrificium Moysis evocatus; & appositis subinde studiô sacerdotum fomentis in sacro loco, ad Babylonicam usque captivitatem asservatus.

De hoc præceptum extat in Libro Levitici: *Ignis iste est perpetuus, qui nunquam deficiet de altari.* Quum autem in servitutem præfatam abducendi, in puteo alto, & sicco ignem hunc contutati essent, prodigiosè rursum ex aqua Levit. 6. 13.

qua crassa, supra holocaustum effusa resuscitatus est. Hic, ut dixi, ignis appositè figuram nobis exhibet flammæ, hac festivitate desuper in Apostolos effusæ. Quemadmodum enim olim nullum sacrificium Deo gratum erat, nisi hoc igne sempiternô incenderetur, ac exureretur; ita nullum laudis, justitiæ, ac pietatis sacrificium acceptum est illi, nisi ab hac divinissimi Hospitis flamma virtutem traxerit, & ardorem. Nisi enim ardeant, ferveant, inflammentur opera nostra igne divini illius amoris, supremæ Majestati neutiquam placere queunt. Et sicut ignis ille, quamdiu lex viguit servatus est; haud secus entheus iste, quamdiu lex ista durabit (duratura autem in æternum) nobiscum permansurus est, inque piorum præcordiis habitaturus.

Extinctus est tandem cum lege ignis ille perennis in Synagoga, & unà spiritus S. in illo figuratus eandem deseruit. Quippe, (ut alios nostrates taceam, Judæô Josephô perhibente) ipsa die Pentecostes noctu, sacerdotibus templum ingressis ad munia sua obeunda, primò quidem motum quempiam, strepitumque senserunt, postea verò voces sese mutuò exhortantium perceperunt: *Migremus hinc. Migremus hinc.* Quibus vocibus citra dubium indicatum est, Tutelares Angelos loci ipsius, ac spiritum S. (quem è templo illo in columbæ specie B. Ephrem tradit evolasse) ab illo populo recessisse.

Spiritus S. Synagogam deserit.

Ioseph. l. 7. c. 12. de bello Iud.

At verò in Ecclesia Orthodoxa, ut est fundamentum, ac columna veritatis; ita spiritum veritatis retinet in æternum: *Alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Ioan 14. 16.

X. Veterum Poëtarum commentum erat, veritatem terris pulsam in cœlos evolasse, nec ultra in his commorari regionibus. At utut id aliquam speciem veritatis habeat; utut ex omnibus aulis, urbibus, regionibus proscripta sit, manet, æternabitque in Ecclesia Orthodoxa, contra quam nec mendacium, nec portæ inferi unquam prævalebunt. *Alium Paraclitum dabit vobis.* Ab uno aliove membro abesse potest, unum alterumve cætum deserere potest, at verò à tota Ecclesia, à sede Petri abesse non potest. *Alium Paraclitum dabit vobis ut maneat vobiscum*, non ad tempus certum, non ad Olympiadem unam, aut sæculum unum, vel aliud, sed in perpetuum.

O diem itaque verè in se, ac nobis felicissimum! ô diem perpetuæ consolationis! Quæ enim major gratia potest descendere in terras, quam fons vivus gratiarum? Quod vivacius animæ refrigerium dari, quam ubi tam sublimi, tam prolixô, vastôque afflatu aspirat aër divinus? Quæ faustior secundiorve navigatio quam ubi tam validô impetu, divinus hic impellit Auster?

XI. In qua id unum vereor, ne multi inveniantur, qui illius divina beneficia, in veneficia convertant; ne ipsius adjutoriô, ac gratiâ ad perditionis suæ materiam abutantur; ne majore intensione spiritum extinguere, quam accendere satagant. Quod certe non tam spei, ac gaudii; quam timoris, ac condemnationis prope infallibile est

bile est argumentum. Nemo enim est, quem lateat, beneficia maxima, quantò majorem exigunt gratitudinẽ, tantò neglecta severius inducere supplicium.

Ingratitudo punitur. Exemplô nobis esse poterunt Judæi, in quos nunquam severius Nemesis divina animadvertit, quam cum cœlestis Pronæa ampliorĩbus beneficiis eos prævenit. Quippe immolantibus in Ægypto idolis connivebat; de quibus tamen secundum præstita beneficia in deserto, iterato scelere, gravissimas pœnas sumebat. Murmurantibus in servitute compatiebatur, obtrectantes in deserto, serpentibus ignitis, & quadraginta annorum exilio multavit. Sicque divinorum beneficiorum cumulus, qui illis salutem, vitamque parere debuerat, vitiô eorum pestem attulit, atque exitium. Congrua ratione; cum majora nobis, uti ostensum est, collata præ illis sint charismata, quum non tam corporalea, quam spiritualia beneficia majore numero perceperimus; nec ab Ægypto, sed à gehenna liberati simus; nec in tabulis lapideis legem, sed in visceribus scriptam sumpserimus; an non ingratos, obduratosque vehementiùs percelli par est? An non amplior supereſt in extremo judicio reddendæ rationis materia? An non severius illos manet thema, quod exorta luce diligant intensius tenebras, quam lucem; vanitatem, quàm veritatem; servitutem quam libertatem; mortem quam vitam.

Id sanè est quod prænuntiasse creditur Dominus apud Joëlem vatem. Cum enim prædixisset per eundem adventum sanctissimi spiritus, quem effuturus erat super omnem carnem, protinus adjecit mentionem extremi judicii contra ingratos, dicens: *Et dabo prodigia in cœlo sursum, & signa in terra deorsum. Sol convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & manifestus.* Ut nimirum scirent mortales, quò magnificentior gratia, gravioribusque parta laboribus illis obvenit, eò acerbius certiusque instare judicium, ac supplicium. Proinde ut summis lætitiæ gaudiis meritò incedunt, qui divinæ gratiæ, ac beneficentiæ ipsius respondere adnituntur; ita timere eos sibi par est, qui iisdem nequitiâ suâ abutuntur; aut ne timeant, accurate; ut tantis beneficiis minimùm ingrati existant. Quod nobis elargiâtur, qui in unitate ejusdem spiritus S. vivit, & regnat Deus, in sæcula sæculorum.

Ioel. 2. 30.

Amen.

CONCIO XXVIII.

IN FERIA II. PENTECOSTES.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret mundo Joan. 3. 16.

ARGVMENTVM.

PONDVS IGNIS AMORIS.

I. HEsternâ festivitate, pro virium mearum tenuitate mensurare conatus sum Flatum venti. *Aud.* Ostendi sublimitatem ipsius, ac profunditatem, longitudinem ac latitudinem prope interminam. Jam verò festâ hac luce aliud magisterium exhibendum venit, nimirum Ponderatio Ignis. Et quidem Ignis illius, de quo Daniel vates: *Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur à facie ejus.* Ignis de quo Psaltes: *Ignis à facie ejus exarsit,* (id est extra se arsit) *& carbones* (peccatores inquam denigrati) *succensi sunt ab eo.* Ignis, de quo ipse Dominus: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur.* Ignis inquam Divini Amoris, in Filio Dei unigenito nobis exhibiti: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret mundo. Pondera mihi pondus Ignis.*

Dan. 7 10.

Psal. 17. 9.

Luc. 12. 49.

Quis hic rursum cum Esdra Notario non exclamet: *Quis natorum poterit facere, ut me interroges de his?* Quæstio hæc priore multò intricatior videtur, nec bilanx ulla dari potest, quâ flamma appendatur. *Pondera mihi pondus ignis. Quis natorum poterit facere?* &c.

4. Esdra 1.

Nihilominus quum Sophorum alter probè ex cineribus pondus fumi collegerit, ac trutinaverit; quidni præsumam & ego ignem appendere. Fiet id auxilio ejusdem divinæ Flammæ aspirantis, ac ignientis.

Partitio.

Tria momenta in citato textu perquam ponderosa adducuntur, ex quibus divinum Ignem expendere, ac examinare fas est.

§. I.

Appenditur pars prima hujus divini incendii quod nimirum Deus Filium suum dederit.

II. PRimum illius momentum est, quod Pater æternus Filium suum dederit. Ad quod exactiùs trutinandum assumo in alteram lancem pondus terrenorum parentum in filios.

Amoris divini in nos 1. *Argumentum.*

Item

Item quanti id momenti, quantæ gravitatis nonnunquam reperitur?

Gen. 37. 35. Colligo id imprimis à Jacobo Patriarcha, plurimorum parentum genitore, & affectuum suorum moderatore prudentissimo, ac fortissimo. Huic cùm relatum esset ementitum filii sui Josephi fatum, in tantum indoluit, ut scissis vestibus ciliciô carnem strinxerit, omnemque prorsus ex animo consolationem excluserit, dicens: *Descendam lugens ad infernum.* Non prius lachrymas ex oculis abstergam, non prius modum ponam gemitibus, ac lamentis, quam inimica Lachesis filum vitæ præsciderit. *Descendam lugens ad infernum.* Credo si omnium bonorum suorum jacturam feciſſet, si amicorum cæterorum communione orbatus fuisset, haud quaquam tantùm dolori immolasset, quàm cum filium suum, à fera pessima, materiatô delusus mendaciô, credidit devoratum.

Descendam lugens.

III. Desumo idipsum ex Parente altero, eôque regio, & viro secundum cor Dei, Davide. Quam sanctus, ac rectus is fuerat, tam improbos nactus erat filios. Hos tamen in tantùm deperibat, ut pro ipsis millena morte defungi concuperet. Inter alios casus evenit, ut fratris jam cœde nobilitatus Absolon in ipsum rebellionem conciret, eumque pulsum throno infestis agminibus persequeretur. Ita scelera dum non resecantur increscunt, & in augmenta flagitiorum præsilitur, quoties impunitâ securitate peccatur. Nihilominus Parens vel tantis in fluminibus, ac tempestatibus quibus ipsemet à filio proprio jactabatur, illius non nisi salutis, propriæ omnino immemor, consultum ibat. *Servate mihi puerum Absolon.* Trucidentur, jugulentur universæ rebellium copiæ, hic unus vitâ donetur. *Servate mihi puerum Absolon.* O puerum, non puerum, sed fratricidam, sed perduellem, sed sanguisugam cruentissimum!

Davidis amor in Absolon.

2. Reg. 18. v. 5.

Verùm utut Pater indulget scelera non patitur inulta in longum Deus. Etenim cœsô populô: *Cum ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam, adhæsit caput ejus quercui, & illo suspenso inter cœlum & terram, mulus, cui insederat, pertransivit.* Ut vel hoc mysteriô planum fieret, cujus stipitis pomum esset, quamvè procul à proprio deciderit. Vel ut corvos pasceret in patibulo, qui plus quam corvina crudelitate, quantũ in ipso fuerat, parentis sui oculum effoderat. Id ubi innotuit Joabo exercituum Duci: *Tulit tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absolon*, seditiosæ, ac turbulentæ animæ planiorem ad infernum viam facturus.

Ibid. v. 9.

Ib. v. 14.

Quid ad hæc genitor exacerbatus? Gaudet ac triumphat de hoste cæso? Luget, ac lamentatur. Colossos, ac trophæa victoriæ erigit? Maluisset ipse crudeli ferrô cecidisse. Unum de tam glorioso triumpho cecinit Pæana: *Fili mi Absolon, Absolon fili mi, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te.* Quis non stupeat, & suspiciat tantum Parentis in filium amorem, qui expendit, quàm ingratum sese parenti hic filius exhibuerit; quàm tyrannicè cum sene capulari processerit, quàm injurius regiæ illius authoritati extiterit, quum eum è palatio fugere, aëris inclementiam

Ib. v. 33.

experiri, per montium abrupta divagari compulerit. Verũ hæc omnia minimi pendit amor, dum sanguinem appendit. *Fili mi Absolon.*

Seleuci iustitia, & amor in filium. Capitolin.

IV. Desumo id, ut alios mittam, ex Seleuco Judicum æquissimo; qui ne à lata lege, ac justitiæ tramite recederet, in proprium filium sententiam ferre coactus, partem supplicii in se assumpsit, sibique oculum effodi amore illius, ac æquitatis sustinuit. Ex Antonino Pio, qui æquô se animô mori dixit, quod filium superstitem relinqueret. Ex multis aliis, qui toti quanti sunt in filiorum fortunis provehendis, ac cumulandis. Quibus argumentis planum fit, quanti ponderis sit parentum amor in filios, quantopere is præponderet omnibus opibus, ac thesauris.

Amor Dei in nos.

V. Quid jam hic dicam de Amore Dei erga nos? *Sic Deus dilexit mundum?* Pulvis & atomus id omne est intuitu montis immensi; scintilla respectu olibani incensi. Supereminet in infinitum pondus divini in nos Amoris, omnibus ponderibus parentum quorumvis in filios. Etenim fieri potest, ut parentum quispiam affectum exuat, fieri autem nequit, ut Deus immemorem se nostri præstet. *Numquid,* ait ipse apud Isaiam; *oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui, & si illa oblita fuerit, ego non oblivisca tui.* Supereminet item Amor Dei in nos omnibus curis, utut anxiis parentum ad dotandum illos. Nam si illi gestiunt natos suos hæreditate potiri opulenta, ita multò amplius benignissimum Numen. *Quomodo,* inquit rursum apud Jeremiam, *ponam te [in filios, & tribuam tibi terram desiderabilem, hæreditatem præclaram?* Non desunt Deo media ac vires ad id præstandum; nihilominus perinde ac si illis destitueretur; ad exaggerandum suum in nos affectum loquitur. *Quomodo ponam te in filios?*

Isa. 49. 15.

Jer. 3. 19.

VI. Audeo dicere quod superemineat amor Dei in nos, ipse quadantenus amori in Filium suum. Quippe quod quispiam pro re alia erogat, id certè minus diligit, atque id, pro quo illud dispensat. Sic magis censetur amare equum institor, quem licitatur, quam pecuniam pro eo exponendam, &c. Si ergo Deus Filio suo nostri intuitu non parcit, quem infinitô amore prosequitur, *evidens res est,* (loquor cum salviano) *quod super affectum filiorum nos diligat Deus, qui propter nos filio suo non pepercit.* Ea propter jure nos commonefacit Os aureum, ut ex tota anima gratias agamus Deo. Cujus causam subdit: *Plus enim nos, quam liberi amari à parentibus solent, amat. Et quantum discriminis est inter malitiam, & bonitatem, tantum dilectio Dei dilectionem parentum nostrorum excedit.* Quis non attonitus hæreat, stupeatque tantam dignationem? Quis in eam non assurgat fiduciam, ut cum S. Paulo nos ad eam animante egurgitet: *Qui proprio filio suo non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit.* Si Filium suum impendit pro peccatis nostris expiandis, si baptismatis donum largitus est, si pœnitentiæ nobis tribunal reseravit, si innumera alia ad salutem nostram operatus est; manifestum est, quod & futura nobis reposita

Salvian.

Chrysost. t. 4 h. 19. in c. 5. Eph.

Rom. 8. 32.

repoſita bona præſtabit. *Qui proprio filio ſuo non pepercit* &c. Etenim qui pro ſua bonitate antequam eſſe inciperemus hæc præparavit, quomodo non etiam frui concedet? Qui tam arduis mediis ad nos revocandos utitur, quomodo non etiam deducet? Qui dedit gazophylacium, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei reconditi, num fortaſſe obulum denegabit? Qui nos reſpectivè magis amat ipſo Filiô, in quo ſibi complacuit, an hæreditatem illius nobis non dividet? *Qui proprio filio ſuo*, &c. Eja anima mea committe te Deo tuo, æſtima tanti amoris pondus, & redamare pro virili contende. Si ille Deus tuus ſuum pro te Filium tradidit, tu reciprocè millies; ac millies te eidem cum omnibus potentiis, viribus, ac operationibus mentis, ac corporis conſigna.

§. II.

Momentum alterum Amoris.

VII. Creſcit autem in immenſum hoc pondus, ſi expendamus aliud momentum in prætato textu appoſitum; nimirum quod non quemvis Filiũ, ſed *Vnigenitum* ſuum tradiderit. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum Vnigenitum daret.* Minus mirum eſt prole per fœcunditatem ſoboleſcente, amorem minui, non ſecus ac flumina in alveolos derivata tenuiora, ac ſtrictiora evadunt. Quin etiam inventi ſunt, qui ultrò filios, perinde ac ſtolones ferrô reſciderint, quò unus ſurculus propaginis laxius exuberaret. Herodes tanquam porci pignora, ſuos jugulabat liberos. Ariſtippus natos pro pediculis habuit. Alii itidem vel gravius adverterunt in illos, vel certè ſuſque deque habuerunt. Ut verò quis filium ſuum unigenitum, eumque ſpectatæ virtutis, ac indolis non diligat, id omnino naturæ adverſatur. Ergo ſi quispiam unigenitum ſuum, delitium præcordiorum ſuorum, omnium virtutum cymelium pro alio tradat, non poteſt non eſſe ingens amoris argumentum, ac momentum.

Eluxit in hoc genere eximia in Deum pietas, ac religio Patriarchæ Abrahæ. Hic evocatus à Domino illico focum, araſque paternas deſeruit. Verùm ut luculentiùs amorem ſuum teſtatum redderet. Tentavit eum Deus, & dixit ad eum: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, & offeres eum ibi in holocauſtum.* Eheu luctus! heu dolor! Quot verba totidem verbera, quot ſyllabæ totidem ictus præcordiis ipſius infliguntur. *Tolle*, inquit Dominus, *filium tuum* dilectum, eumque unigenitum. Quorſum tanta verborum energia? Quid opus erat addere in authoramentum doloris *Vnigenitum, quem diligis Iſaac?* An non ſatis transfixum fuiſſet pectus paternum, ſi dixiſſet: *Tolle filium tuum, & offer illum in holocauſtum?* Utique. Cur addidit *Vnigenitum, dilectum, Iſaac?* Intendebat Dominus omnia ejus viſcera commovere, & ſuſque deque vertere, ac totam carnis militiam ad rebellandum contra ſingulas animæ potentias excitare, quatenus amor illius in ſe tanto evidentius effulgeret. Quod ſi Abrahamo plures filii fuiſſent, unum, alterumve immolare

Abrahami amor in Deum. Gen. 22. 1. 2.

Divinæ Majestati tolerandum esset; eò quod superstites senectutem ejus, & spem posteritatis sustentare pollerent. At verò Unigenitum, in quo omnis spes sita erat tollere, id ad conterendum, & in frusta dissecandum vel leoninum cor, atque adamantinum ne dicam hominis & Patris generosissimi satis, superque erat. Nam si grave est etiam in corona filiorum intueri quempiam cum Libitina luctantem, conjicite quantus dolor præcordia Abrahæ pertentârit, jubente Domino Isaac dilectum, & Unigenitum offerre. Rursum se grave dare filium in necem, quanrò gravius propriis manibus ferrum in jugulum dilecti stringere? Quippe cum eo calamitatis devenitur, ut filius cujuspiam cervicem ferro inclinare, aut aliô supplicio vitam coronare cogitur, omnia instrumenta, quæ quoquô modô indicio necis esse possunt submoventur studiose ab oculis, ne eorum intuitu parentum animus profundius exulceretur. Hic autem ipse Parens urgetur imperiô filii esse carnifex & filius instrumentorum necis bajulus eadem patri repræsentat. *En ignis, & ligna, ubi est victima?*

Quid adhæc Abraham? Vidit imperati parricidii difficultatem, tam crudi holocausti pene insuperabilia incommoda consideravit, cognovit futurum, ut adolescente trucidatô aut ipse catenis vinciretur, ut furiosus; aut tanquam parricida membratim divideretur. Nonne itaque illusionem potius Sathanæ, quam veram, Dei, vel cœlestis Genii visionem cogitare poterat? Nonne his, similibusque Dominum affari verbis: Domine mi, & Deus meus, parce quod loquar ad te, cùm sim pulvis, ac cinis, quum te dicas abominari omnem ex humanis corporibus victimam, quomodo interpretari mentem tuam debeo, quod me proprium jubeas jugulari filium? Ubi quæso manent tua promissa, quibus stipulatus es, & jurasti per temeipsum ut benedicas posteritati meæ, ut vocetur mihi semen in Isaac, ut sim futurus mediante Isaac in gentem magnam, & in eo benedicendæ sint omnes gentes, ut nunc mandes propriis eum trucidare manibus? O mi Deus, quid dicet mundus, si notaverit facta tua oraculis minimè respondere, si promissa vacillare deprehenderit? Quis imposterum tibi volet servire, audiens tam durè te sæviisse in Abraham, quem à te amari arbitrantur universi; à quo reciprocè fidelia tibi exhiberi obsequia nemo ignorat? Nullamne rationem habebis nominis ac gloriæ tuæ? esto nullam pauperculi Isaac habendam putes? Ecce præsto sum universos immolare greges, uni parce filio, parce Isaac, parce unigenito. *Gen.16.17.*

Nihil horum in mentem venit Abraham, nihil horum queritur, sed si quidpiam simile occurrit, ut tentationes ab inimico suggestas illico reiicit, & se plenissimè divinis subiicit imperiis. Satis illi erat, quod Deus ita vellet, & idcirco horrebat adducere rationes amore perorante, nec tam rationis, quam subjectionis cupiebat esse filius. *Parricidium* inquit Chrysologus, *considerat perscleſtum, sed quia Deus imperat, totum id pietati committit.* Prolixos discursus & acuta dilemmata Philosophis, & mundi hujus filiis relinquen- *Chrysol. ser. 53.*

linquenda; filiis autem Dei simplici illius verbo acquiescendum judicat. Statutum ac fixum illi est, adimplere quidquid Deus inspiraret, ut quod ipsi Domino placet, placeat & servo. Nec sibi jus ullum in filium arrogat, quem ex asse reputat Patris esse æterni. Quin & semet sacrificaret, si divinæ illius Majestati ita visum esset, nec majorem sibi posse obvenire felicitatem, quam si universorum Domino immolaretur. Et reipsa evibratô gladiô caput à cervicibus filii rescidisset, ni ferientem Angelus retardasset, dicens: Ne extendas manum supra puerum, neque facias ei quicquam. Nunc cognovi quod times Dominum, & non pepercisti Unigenito tuo propter me. Satis mihi factum est à te, apud quem voluntas efficax stat pro facto.

Sic Deus dilexit mundum. At verò Numen optimum maximum tanta amoris vehementia, conatu, & excessu prosecutus est hominem, ut filium suum Unigenitum, ex utero ante Luciferum genitum, sibique consubstantialem, non tantum in voto, sed & in opere pro homine tradiderit; idque non ad mortem quamcumque levem obeundam, sed ad dirissimam, crudelissimamque perpetiendam. Quid dici potest admirabilius? quid fingi in amoris inventionibus perfectius, sublimiusque? *Sic Deus dilexit.*

Adeste Cherubim, adeste Seraphim stupescite tam immensum divinæ bonitatis in nos amorem. Adeste mortales, quotquot sensum omnem necdum exuistis, & auscultate Psalten ingeminantem: *Domine quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quia reputas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum; & posuisti eum, super omnia opera manuum tuarum.* &c. Unde tanta ô Domine non benevolentia duntaxat, sed profusio, quod nos in sinu foveas, quod nos exaltes, quod cuncta subijcias. Tot arbusta non unô obsoniô fugifera, tot herbas salutares, tot varietates ciborum per annum digestas, tot animalium genera, nobis quasi in tributum elargitus es. Et exigite quantò potentius extra se raptus fuisset, qui tanta suspexit; si pensiculatè, atque explicite ei revelatum fuisset, Filium insuper Dei pro redimendo filio hominis in mortem tradendum. Omnino hoc opus amoris est omnibus sæculis in auditum, omnibus gentibus admirandum, ipsi cælo obstupescendum, ipsis Angelis ineffabile, atq; incomprehensibile, sola Dei immensitate, & misericordia dignum.

Psal. 8. 6.

§. III.

Tertium divini Amoris momentum quia dedit mundo.

VIII. TErtium momentum in præfato textu appositum est, quod nullô emolumenti intuitu, nullô amicitiæ respectu, sed pura liberalitate, & copiosâ misericordiæ effusione ad hoc descenderit. Etenim ut quispiam proprii emolumenti gratia etiam Unigenito suo non indulgeat plutibus exemplis accepimus.

Dei amor sui respicit commodum.

Rex Moab, ut sacra Regum perhibet historia; quum vidisset prævaluisse Israelitas, *arripiens filium suum primogenitum,* 4. Reg. 3. 27.

genitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum. Pari crudelitate alii in suos vel primogenitos, vel Unigenitos temporalis commodi intuitu desævierunt.

Fieri etiam potest, ut quispiam ob amicitiæ vicissitudinem . vel filii proprii, vel etiam sui ipsius mortem nihil pensi habeat. At verò Numen optimũ præcisis quibusvis cõmodis (necquicquam enim illi vel accedere, vel decedere potest) *Sic dilexit mundũ, ut filium suum Unigenitum daret mundo.* Mundo inquam in maligno posito, mundo ob innumerabilia fornicationum, adulteriorum, Sodomiarum, furtorum, rapinarum, homicidiorum, veneficiorum crimina immundissimo; mundo Dei odio, & Orco dignissimo. *Sic Deus dilexit mundum.*

Explicari dignè hæc bonitas nullo modo potest, excedit omnem humanæ cogitationis mensuram. Quis enim furum à Rege patibulo adjudicatus, auderet petere, aut sperare filium regis, sui loco in furcam agendum? *Vix pro justo quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori?* Vix pro benefactoribus quis moritur, maximique evasêre Martyres, qui pro Assertore suo sanguine propriô sese purpurarunt. At tanta est Dei nostri misericordia ut Pater filium suum, mundo ingratissimo in mortem dederit, & ipse promptissima animi voluntate infons pro maximis malefactoribus, quibus necquicquam obæratus extitit, animam suam posuerit. Nonne hoc erat omnium non modò hominum, sed Angelorum charitatem; quin & cogitationem transcendere.

Rom. 5. 7.

IX. Bonum est, quod amare solemus, quod pulchrum, formosum, eruditum, pretiosum, nobile, jucundum, in summa, quod bonum est diligimus. Quid verò in homine tunc deformissimo pulchrum, quid in fœdissimo peccatore formosum, quid in tantis ignorantiæ tenebris, & umbra mortis sedente eruditum? Quid in vilissimo mancipio diaboli pretiosum? quid in titione inferni nobile? quid in tanta animi amaritudine jucundum inveniebatur, quod Deus diligeret? Peccatô contaminati, justa supremi Judicis sententia in Protoplaste fulminati, cœci miseri eramus, & tamen *sic Deus dilexit mundum.* Non capit hoc ratio humana, excedit tam grande mysterium mortalium omnium, ac beatorum spirituum intelligentiam; sed non excedit increatam Bonitatem. Quidquid in Deo est immensum est, ergo & immensam decuit ejus esse in nos charitatem. Rursum immensæ charitati agnata, ac consanguinea est immensa misericordia, atque immensa sui communicatio, quæ in Verbo Dei pro homine incorporato abundantissime est manifesta.

Hinc perbellè Doctor Gentium extollens tantæ charitatis pondus exclamat: *Deus qui dives est in misericordia, propter nimiam* (id est valde magnam, aut nimiam intuitu hominum, tam miserorum, ac indignorum, non autem respectu Dei immensi boni) *charitatem suam, quâ dilexit nos, & cum essemus mortui peccato, convivificavit nos in Christo.* Itaque Æsopos adamavit, ut redderet Narcissos, Corvos quatenus efficeret cignos: insipientes, ut verâ divi-

Eph. 2. 4.

divinâque sapientiâ imbueret ; vilissimos adamavit , quo pretio sanguinis sui efformaret pretiosos; mancipia adamavit,ut ea in veram libertatem asseret,ac reponeret ; inopes ut divitiis, ac cimeliis cœlestibus locupletaret ; miseros ac miserabiles, ut eos ad æternam gloriam,felicitatemque perduceret. *Sic Deus dilexit mundum*, &c. *Verba hæc*, inquit Doctor Angelicus , *multam indicant amoris intensionem , qui enim immortalis, qui sine principio,qui magnitudo infinita , eos qui sunt ex terra & cinere infinitis plenos peccatis dilexit.* Verè propter nimiam charitatem suam,quæ mensuram omnem excedit, modumque superat.

D. Tho. in Ioan.

X. Quot hic ,& quam incomprehensa divini amoris argumenta! quod Filium,quod Unigenitum,quod mundo dederit?Et quidem si dedisset mundo imperaturum, in eo delitiaturum, hostias ac pacifica assumpturum ; illud ipsum ingentis beneficii loco haberi debuisset; at dare , immo quasi prodigere & abjicere ad incitas , ad vincula ad sputa,ad flagella,ad crucem acerbissimam,id enimverò prodigium, quod omnes transgreditur limites. Si dicere fas esset exclamarem : O Deum nimium prodigum sui præ desiderio , ac amore hominis , ut non sua duntaxat, sed filium, sed semet impendat , recepturus hominem non tam sibi , quam homini! Oppidò quidem profusus extitit prodigus ille filius, qui tam patrimonium , quam seipsum consecravit Libidinibus ; sed multo effusior inventus est Patet æternus in recuperationem perditi filii,quam ille in perditionem sui ; si tamen ulla institui potest comparatio gratiæ ac pecuniæ, spiritus & carnis,Dei & hominis. *Sic Deus dilexit*,&c.

XI. Quid nos?an non decebat, ut si vel ferro corda nostra rigerent,ab hoc magnete attraherentur? An non par erat , ut instar Briarei Gygantis ignem spiraremus? de quo Poeta:

Centum cui brachia dicunt,
Centenæque manus , quinquaginta oribus ignem
Pectoribusque arsisse.

Virg. lib. 10. Æn.

An non justum , ut instar fornacis Babylonicæ exæstuemur,& incendamus, quidquid amori divino adversatur? Nam si metalla in igne liquescunt , & in pulverem rediguntur ; num anima mea durior metallo , quod non resolvatur,aut marmore , quod in igne divino non conteratur. Si mons ille syna fumabat descendente super eum Domino , totusque in ignem abiisse videbatur,cordane nostra insensibiliora erunt, quo minus ignem divinum concipiant ? Homines alioqui vilissimos deperimus , eò quod ab iis amari experiamur , num ergo minus dignus est Deus, qui cũ nos amet amore incomprehenso, à nobis vicissim adametur?

Exod. 18: 19.

Verissima tamen est B. Jacobœi querela, propalam suspirantis , aclamentantis: *Amor non amatur.* Amantur opes irritamenta malorum , amantur feles,canes,porci, amatur mundus, caro, & omnia prope odio digniſſima amantur. *Amor non amatur.* Is qui aërẽ, quo spiramus;cibos,quibus vescimur; terram,qua sustinemur ; animam qua vivimus ; cœlum , seipsum largitus est, qui quidquid uspiam in rebus amabile est, nobis subjecit; à quo omnia venusta for-

sta formam, splendida lucem, spirantia vitam, res denique perfectæ omnes, suam perfectionem mutuarunt. *Amor non amatur.* Et tamen Deus cum nos tantopere amet, nihil insuper intendit, quam amari; non ad aliud amat, quam ut redamerur; sciens ipso amore fore beatos, qui sese plenis præcordiis amaverint.

Eja itaque ab hac die minimum incalescamus, rependamus amorem amore. Si amare Deum pigebat, saltem redamare non pigeat. *Nimis durus est animus, qui si dilectionem nolebat impendere, nolit rependere.* Amemus eum, quoniam ipse prior dilexit nos. Occinamus interdum Canticum Dilecto cum D. Augustino: *Amo te plusquam me, quia tu dilexisti me plusquam te, quia voluisti mori pro me.* Amo te ô Domine, nec cupio amare quicquam aliud præter te, aut alium ob finem nisi propter te. Omne, quod tibi placet, mihi placet, quod tibi displicet mihi displicet. Amo te mi Jesu hic, da ut in æternum te amen. Fiat. *Aug in Solil. c. ii.*

CONCIO XXIX.

IN FERIAM III. PENTECOSTES.

Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant. Joan. 10.

ARGVMENTVM.

TEMPVS REVOCATVM.

I. Scopus prope unicus, ad quem desideriorũ suorum nervis mortales collimant, est; ut vitam habeant, & abundantius habeant. A. Eam ob rem vel majoribus hostiis litant valetudini; vel frugali?, & castigatiùs vivunt, catapotiis acerbioribus utuntur, corpus incidi, membra præsecari, ac ustulari permittunt, bona sua profundunt, acerbissima quæque perferunt. Quibus tamen parum non nunquam, vel nihilum, mediis, ac remediis proficiunt, aut evincunt. Facilius esset evolutum revocare tempus, & pristinos redordiri dies. Sed quis id, vel qua ratione præstare poterit? Tertius hic nodus Esdræ sapientissimo propositus erat: *Revoca mihi diem, qui præteriit.* Hunc ego, ut scitè dissuam, Te omnis magisterii Principem, ac doctorem divinissime Spiritus imprimis demissè invoco, tum vestram benevolentiam enixè exposco. *Vita amor.* *4. Esd. 4.*

§. I.

§. I

NARRATIO.

II. ELapsum revocare tempus, vel futurum anticipare ænigma esse videtur, nulli solvendum Oedipo. Quippe.

Nec quæ præteriit cursu revocabilis unda,
Nec quæ præteriit hora, redire potest.

Dividitur annus in menses, menses in dies, & septimanas, dies in momenta, & quodlibet momentum in prius, & posterius. Jam verò, quod fuit, non est, & quod venturum, nondum est. Nemo autem potest id efficere, ut quod fuit, non fuerit, seu quod præteriit, non præterierit. Quis itaque ista in unum combinaverit? præteritum quis revocaverit? Negant id Philosophi, ac Theologi etiam de absoluta DEI potentia fieri posse. Veruntamen quod illi Omnipotentiæ Divinæ derogant; id adstruere videtur Doctor Gentium Misericordiæ Divinæ in Epistola sua ad Ephesios ita scribens: *Videte fratres quomodo cautè ambuletis redimentes tempus*. q. d. Attendite quomodo tempus hoc breve ad beatam æternitatem comparandam concessum, à vobis in vanum consumptum, quibuscunque impensis relicitemini. Optimum consilium, sed qua ratione executioni mandandum?

Tempus revocabile. Ephe. 5. 15. 16.

§. II.

Primus modus revocandi temporis.

Tempus redimere quid sit.

II. S. Augustinus inter homilias quinquaginta sibimet hanc quæstionem objecit: *Quid est redimere tempus?* & solvit his verbis: *Nisi cum opus est, etiam detrimento temporalium commodorum, ad æterna quærenda & capessenda, spatia temporis comparare.* Quod subinde homiliâ decimâ inter easdem latiùs, planiusque explicat, ita scribens: *Redimere tempus hoc est quando aliquis tibi ingerit litem, perde aliquid ut redimas tempus, quo vaces DEO. Sic enim dum vestem emis, nummos amittis, vestem acquiris. Id enim quod perdis, pretium est temporis.* Ille juxta hanc S. Patris mentem redimit tempus, qui illud aufert negotiis sæcularibus, ut DEO consecret. Ille redimit tempus, qui quod mancipant alii lusibus, nugis, confabulationibus, id ille pietati consecrat. Ille redimit, quasi à captivitate, qui non finit sese pertrahi ad lites, contentiones, jurgia, etiam cum dispendio fortunarum suarum.

Aug. hom. 1. inter 50.
Idem 96.
Et h. 24. de Verb. Ap.

Potest id ipsum similitudine captivi declarari, quem tum redimimus, cum è manibus hostium, qui eum detinebant captivum, quovis pretio liberamus. Haud secus redimimus tempus, quum illud è manibus inutilium, & futilium occupationum vindicamus. Offerunt enim sese nobis identidem negotia vana, futilia, ludicra; traducitur tempus somno, aut labore inutili, mancipatur affectibus Tyrannicis, ab his, qui vindicat, censetur quasi captivo gratiam præstitisse, & in libertatem filiorum DEI, ut iisdem convivat, asseruisse: *Redimentes tempus.*

III. Celebris hac in mercatura est Tobias Senior, de quo sacra pagina contestatur: *Cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat Rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium, sed pergebat in Ierusalem ad templum Domi-*

Tobiæ pietas. Tob. 1.

ni, & ibi adorabat Dominum Deum ſuum Iſrael. Cum alii genio indulgerent, ille ſingultibus & ſuſpiriis cœlum pulſabat; *cum alii ederent de eſcis gentilium,* ille jejunio corpus ſuum attenuabat, & *cuſtodivit animam ſuam, & nunquam contaminatus eſt*; cum alii ſaltarent circa Idola, ille coram DEO ſuo ſupplex provolvebatur. Hac ratione tempus, quo alii infernum mercabantur, quodque Erebo oppignorârant; ipſe Numini conſecrabat, & ſaluti animæ ſuæ in eo conſulebat.

Catharina ſer. Chriſto cur deſponſata in vita.

IV. Celebris præter alios S. Catharina Senenſis, quæ ſub tempus ſaturnalium dierum, tantò ferventiùs inſtabat precibus, efferveſcebatque affectibus; quanto petulantiùs alii eo articulo temporum debacchabantur. Eaque de cauſa merita, ut tantò ſtrictius Chriſto ſponſo ſuo copularetur, quantò alii ab eo ſe ſequeſtrarent longiùs. Quippè continuanti dies, noctesque devotionem ſuam, apparuit ipſe Dominus cum dilecta Matre ſua, S. Dominico, & Davide cytharâ ſuâ ſuaviſſimè modulante. Beatiſſima autem Deipara accipiens Catharinæ manum filium ſuum demiſsè precata, ut dignaretur illam in Sponſam accipere; quæ omnem ſæculi pompam tam generoſo animo illius amore deſpuiſſet. Nec abnuit piiſſimus JESUS ſuum eidem affectum conteſtari, quum admonitâ eâdem, ut in ſuo ſervitio conſtans perſeveraret, in ſignum haud perſonatæ apparitionis, & affectionis eandem annulo inſigni gemmâ exornato ſubarrhavit, quâ ipſa totâ ſubindè vitâ ſuâ, & ad amorem dilecti provocabatur, & in adverſis, ac tentationibus ſeſe conſolabatur. Quis nolit cum eadem inſtitorem agere, & tam levi impendio tantum gratiæ, ac benevolentiæ nundinari? Quis abnuat cum eadem tàm fructuosè tempus redimere, & dilecto impendere?

Celeberrimi quique alii, ſopore alto, ac ſuperfluo ſepultis aliis, ipſi cum Chriſto pernoctant in oratione, & dum illi ronchos trahunt, hi ſuſpiriis, ac gemitibus cœlum pulſant; tempus quod illi Morpheo dedunt, ipſi DEO ſuo litant. O verè Sapientes Inſtitores, ô veros S. Pauli diſcipulos illius monitis intendentes: *Videte Fratres quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed ut Sapientes redimentes tempus.* Utinam autem non plures eſſent, qui illud venum darent, quam qui licitarentur; Utinam non plures ludicris diſtraherent, quam ſeriis impenderent muniis. Utinam non plures invenirentur, qui occaſiones ſectantur fallendi temporis, quibus arridet confabulari, donec hora pertranſeat, quibuslibet pergrecari; quoad ſol occidat; quam quibus cum S. Antonio aliiſque animus ſit orare, quoad ſol oriatur.

§. II.

Modus Secundus revocandi ſeu redimendi temporis.

Fervor redimit tempus perditum S. Thom. h. l.

V. ANgelicus Doctor verſans, & & interpretans præfatum S. Pauli acroama putat tunc redimi tempus evolutum, quando illud quod agitur ſtudioſiùs, ac ferventiùs rebus Divinis impenditur, ait enim. *Vult ut tantò magis vacemus bonis operibus; quantò plus inſtitimus malis*, hoc eſt ut omnia ne-

nia negotia noſtra tanto alacriùs, ac contentioſius peragamus, quantò nequius antea egimus, ut quod horas nequiter traduximus in ſcelere, totidem in piis operibus conſumamus ferventiùs, ut in modico tempore expleamus tempora multa.

Id enim veriſſimum teſtatiſſimumque eſt in faſtis Empyreis annos noſtros non tam computari ſpatio temporis, quam menſurâ ſtudii, contentionis, ac virtutis. Phœbus longo tractu curſum ſuum, & per varias ſtationes conficit. Deflectit ad Arietem & inibi uno menſe commoratur, in Tauro altero, in Geminis tertiò, & ſic conſequenter. Et hunc curſum æmulantur, qui non menſem, ſed annos integros, vel in Cancro retrocedendo ab incæpta ſemel perfectionis via inſumunt, vel in Virgine, id eſt amoribus carnalibus vitam ſuam agunt, vel in Hydria ſeu taberna & compotationibus tranſducunt, vel in ſcorpione, id eſt litibus & jurgiis forenſibus impendunt, nihilque minus ſatagunt, quam quæ vel maxime accurare par eſſet. At enim verò qui Zodiaco virtutis, ac pietatis inſiſtunt, non tam morantur aut gradiuntur, quàm præcipitant, & pervolant; non domos virginum, aut ſpelæa leonum viſunt, quam cæleſtibus choris ſeſe inſinuant. De hoc curſu ait ſapiens: *Senectus enim venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata; cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Hoc nimirum diſcrimen eſt, ait, inter probum, ac reprobum; quod ille tametſi in puerili ætate, aut juventa morte præoccuperur, tamen virtute, ac prudentiâ jam ſit grandævus, ſiquidem ſenectus non annis, ſed virtutibus & meritis æſtimatur: reprobus autem tametſi ſit ætate ſenex nihilominus ob inſipientiam ſuam, & vitia puerilia, verè ſit puer, & inter pueros computandus, juxta illud Iſaiæ Vatis: *Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.* Etenim quum ſenectus venerabilis ſit, vel ob multi temporis experientiam, indeque comparatam prudentiam; vel ob humorum, indeque morum compoſitionem, deficiente calore, & ſuccendente frigore, & hæc dico in quopiam deficiant, is certè nihil habere de ſenio, nihil æſtimatione, ac veneratione dignum cenſendus eſt; & conſequenter ætas illius etſi longæva ſit, in faſtos referri neutiquam merebitur. Unde ſapientiſſimè Seneca: *Non eſt, quod quemquam propter canos, aut rugas putas diu vixiſſe. Non ille diu vixit, ſed diu fuit.* Quod mox ſimilitudine navigantium illuſtrat: Quid enim illum multum putas navigaſſe, quem ſæva tempeſtas è portu exceptum, huc & illuc tulit, ac viribus ventorum ex diverſo furentium per eadem veſtigia in orbem egit? Non enim ille multùm navigavit, ſed multùm jactatus eſt. Virtus enim & honeſtas non in quantitate conſiſtit, ſed in qualitate. Unde vel unus dies ſine culpa tranſactus integræ vitæ inſipientis præfertur, & momentum in fervore tranſductum laboris, æquivalet languori totius diei.

Hominum inconſtantia ac perverſitas.

Prona ſtudia.

Sap. 4. 8.

Ætatem quid reddat longam.

Iſa. 65. 20.

Sen. l. de brev. vitæ c. 8.

VI. Liquidum id evadet ex operariis in vineam conductis. Ex his alii tota die laborârunt, alii unâ horâ, & tamen eandem mercedem retulerunt.

Res ea visa prioribus iniqua, ideoque pleni cholera, & indignatione obstrepebant optimo, ac justissimo Patrifamilias: Nosti probe mi Domine, quod nos summo mane conduxeris, hos verò sub vesperum. Nosti quod nos portavimus pondus diei & æstus; & hi una horâ fecerunt. Nosti quantum sit intervallum, & discrimen inter diem, & horam, *& tamen pares illos nobis feciſti.* Quæ hæc tua æquitas? quæ prudentia? Itane æqua lance expendis longum & brevem laborem, diem & horam? An non diuturnitas operis & laboris, auctoramentum etiam exposcit mercedis? An non plus aggravat pondus, quam momentum? *Et pares nobis feciſti?* Ut video Domine tanti apud te est famulari die uno, ac anno; ille tibi fidelior, ac melior, qui in modico, quam qui in multo tibi laboravit. Quid ad ea Dominus? *Tolle quod tuum est, & vade.* Non plus te concernit, quam quod accepisti, nec plus es meritus, quam alii. Ex ipsis te verbis tuis judico, quod portaveris onus, non feceris. *Nos* inquit *portavimus, illi fecerunt.* Illi nimirùm impigrè, studiosè, naviter, tu cum sociis tuis flaccidè, remissè, oscitanter. Illi unâ horâ tantum effecerunt solertiâ suâ; quam tu totâ die non patrasti somnolentiâ tuâ. Adæquat, & exuperat illorum intensio ignaviam vestram, desidiamque. *An itaque oculus tuus nequam est quia bonus ego sum? An non licet mihi dare quantum volo? Tolle quod tuum est & abi.* Ex quo discimus valorem operum nostrorum non in prolixitate, seu quantitate, sed potius in intensione, & qualitate consistere. Ille plurimum laborat apud Deum; ille diu vivit in servitio Domini, qui studiosiùs, accuratiùs, ferventius ejusdem mandata exequitur.

Opera fervida brevissima præstant tepidis longissimis. Matt. 20.

Ibid.

Ibid.

VII. Quod verò Dominus hic loquitur de die una, id intelligendum de tota vita nostra. Hujus enim hora prima, & una est pueritia, alia Juventus, alia virilis ætas, & senectus. In harum una tantum potest quispiam egregiè laborando, & amando proficere; quantum alter in omnibus; in harum una hoc lucrari, quod alii totius vitæ decursu non sunt indepti. Quod si ergo tempus Pueritiæ, & Juventæ, vel etiam virilis ætatis perdidimus, enitamur ut idipsum studio accurato, & indefesso in extrema ætate redimamus. *Videte fratres quomodo cautè ambuletis, non ut insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus.* Videte, ut quantum vobis in profectu virtutis deficit quoad extensionem, idipsum accrescat quoad intensionem. Elaborate ut laudabili æmulatione invicem certetis. Sit unisquisque vestrum in opere Domini fervention, sit ad orationem promptior, sit in sobrietate parcior, in misericordiæ exercitiis profusior, in corde sincerior, in ira mitior, in mansuetudine moderatior, in charitate jucundior, & redimet tempus profligatum, & multiplicabit sicut Phœnix dies suos; & augebit incrementa frugum justitiæ suæ.

§. I.

Modus tertius revocandi, seu redimendi temporis.

Tempus redimitur pœnitentiâ.

VIII. S. Anselmus, & S. Gregorius autumant non alia ratione, aut expensis tempus captivum, venumdatum

tum redimi posse, quam lachymarum gemmis, seu pœnitentiâ. Ita enim ille:
Anael. h. l. *Tempus redimimus, quando vitam quam peccando perdidimus, flendo reparamus.* Dum enim malè agimus, tempus in quo bene operari debueramus amittimus; sed damnum temporis redimimus, si ita vitam emendamus, ut ea bona, quæ facere negleximus plangamus; & ad ea quæ nunc facere debemus animum adjiciamus. Et iste:
S. Greg. *Quod otiosè, & inique perdidimus, flendo & orando reparamus.* Si transiit pueritia, si juventus in luxu, & petulantia diffluxit, si virilis ætas in forensibus negotiis, & causis acta est, & sola supereſt senecta, remedium aliud revocandi, reparandi temporis non est, quam ut pectus tundamus, & ad meliorem frugem vel sero, serioque nos recipiamus.

Ezechias lachrymis vitam revocat. IX. Non modicum quid temporis profligasse crediderim Ezechiam regem in coacervandis thesauris, in jactantia eorundem, in aliis spectaculis, & oblectamentis; ita ut jam jam cursum suum consummasse videretur.
4. Reg. 20. *Ægrotavit usque ad mortem.* Quemadmodum impii haud dimidiant dies suos; ita ille quantumvis bonus, & rectus, in dimidio dierum suorum properabat ad portas inferi. Dicta insuper eidem ab Isaja Vate decretoria dies: *Morieris enim tu & non vives.* Vix restabat filium horæ unius, aut alterius vitæ, stamine reliquo ab integro evoluto. Quid hic remedii? An medici? nullam herbam ii reperêre contra vim Lachesis jam jam imminentis. An amici? Ejulare ii poterant, non opitulari. An famuli? ad rapiendum illi intenti fuerant, non ad succurrendum. An Mathematici? Mensurare illi, & ad calculos revocare, non advocare aut sistere tempus pollent. Quid tandem? sola spes reliqua erat in lachrymis; his ille tempus prioris vitæ redemit, & annos sibi prorogavit. Quippe ut primum sese convertit ad Dominum, ut primùm singultibus, & suspiriis agere cæpit, illico Dominus Vatem suum Legatum mortis in Legatum vitæ restituit, ut nomine ipsius illi diceret:
Audivi orationem tuam, & vidi lachry- *Ibid. v. 5.* *mas tuas & ecce sanavi te, die tertio ascendes ad templum domini & addam diebus tuis quindecim annos.*

X. Attonito autem ad tanti rumoris, ac dignitatis insolentiam Principe, obsignaturus ejusdem veritatem scitatur ex eodem Vate: *Vis ut ascendat* *Ibid. 9. 11.* *umbra decem lineas, an ut revertatur totidem gradibus.* Cui is: *Facile est umbram crescere decem lineis: nec hoc volo ut fiat, sed ut revertatur retrorsum decem gradibus.* Quod & factum. *Etenim Invocavit Isaias Propheta Dominum, & reduxit umbram per lineas, quibus jam descenderat in horologio Achaz retrorsum decem gradibus.* Hic quæro quid intendebat etiam in hac obsecratione sua Ezechias? Cur non petiit, ut ascenderet umbra, sed ut retrocederet? Abulensis Tostatus scribit ex Hebræorum traditione propter malitiam Achaz, diem in qua ipse mortuus est, diminutum *Abul. in l. 4. Reg. 4. 23.* fuisse ab aliis diebus decem lineis, seu horis. Cur nunc idem petiit Ezechias, & non ut plus, vel minus, quam per decem lineas rediret. Mysterium sane aliud non est, quam ut eo signo abolita, & expiata demonstrarentur delicta ipsius in decalogum perpe-

perpetrata, & tempus jam evolutum eidem redonatum, quod Achazio impio fuerat diminutum. Eò quod tempus breve ad clepsidram, seu hydraulium confecit; ideo etiam sciathericum horologium attraxit; meritus est ducere dies solis, quia planxit dies Lunæ, & Veneris.

Godefridus Ep. pœnitentiæ vitâ prorogat. Philo. Simonid. de Episc. Spir.

XI. Perperam itidem insumpserat tempus vitæ suæ Godefridus Præsul Spirensis, ita ut in vicinia mortis exclamare coactus fuerit: *Væ mihi qui tempus vitæ in jocis, & iudicris facetiis malè transegi, jam pergo ad æternitatem, jam appropinquavi usque ad portas mortis.* Advocato mox Presbytero cepit coram illo relegere errata vitæ suæ, & non tam linguâ proferre, quam gemitibus deplorare. Advertite quantum valeat pœnitentia ad temporis spatia amplianda; tantum sanè, ut à morte ad vitam remigrârit, ut phœnicis instar in nidulo suo mortuus multiplicaverit dies, & supervixerit annis subinde omnino duodecim, quos non jam jocis (nunquam enim toto eo tempore ridere visus est;) sed ejulatibus, & lamentis transduxit. Ita nimirum quod jocosè, & otiosè, aut etiam nequiter perditum est, flendo, & ejulando reparatur.

XII. Et quis quæso nostrum est, qui non aliquid hujus pretiosi muneris pessumdedit? Quis est, qui non horas duntaxat, & dies, sed & menses, ne dicam annos sine fructu, & profectu, sine opere bono nequiter insumpsit? Restat itaque ut & præsens fructuosè impendamus, & evolutum fervore actionum piarum supererogatoriis operibus, & imprimis orationibus, & lachrymis reparemus. O si dispensaretur fulminatis illis Epulonibus, & aliis, vel momentum resipiscendi, veniam emerendi, pœnitendi, quam illud sanctè quam ferventer, quam contentiosè in laboribus, afflictionibus, pœnitentiis, quas unquam mortalium quispiam assumpsit, impenderent! O si indultum esset animabus, in expiantibus flammis detentis, redire ad tempus merendi, ac satisfaciendi; quanta alacritate, non auro & gemmis; sed sanguine, & vita; immò mille mortibus illud mercarentur. O si vel ipsi jam æternum beati remigrare ad tempus hoc merendi possent, emerent unicam horam omnibus equuleis, ignibus, bestiis, martyriis, cuperentque illa pati, quæ unquam invicti Athletæ Domini perpessi sunt usque ad diem judicii. O quam intensè omni animi conatu adniterentur, ut qui jam inter Angelorum choros computantur, inter Cherubinos, ac Seraphinos adscribi mererentur.

XIII. Ergo cum id nobis gratuitò indultum sit, omnibus nervis, & retinere præsens; & revocare præteritum contendamus. Quotquot enim momenta hic in otio deperdimus, totidem æternitates gloriæ, quas laborando, patiendo, animas convertendo acquirere poteramus, perdimus, tàm immensâ jacturâ, ut si vel in cælesti beatitate pœnitere possemus, non alterius rei, quam temporis perditi, aut minus strenuè expensi nos pœniteret.

CHRISTE JESU vita animæ meæ, & Deus meus, qui in hunc finem de cælis descendisti, ut ex mortuis resuscitati vitam haberemus, & perfectius

fectiùs haberemus, expande sinum benignitatis tuæ, & ut in creatione insufflasti nobis vitam corporalem; ita jam in reparatione per Spiritum S. tuum, quem supra discipulos tuos mittere dignatus es, insuffla spiritualem; tibi deinceps abundantiùs, id est perfectiùs, ac ferventiùs deserviamus. Da imprimis ut tempus amissum in forensibus, & inutilibus occupationibus, operibus sanctis, & perfectis impendamus; ut tantò ardentiùs ac cumulatiùs meritis augendis insistamus, quantò antehàc remissiores nos præstitimus; ut flendo, & orando reparemus, quod in otio, & nequitia perdidimus. Ita redanimatos donis tuis comple, beneficiis cumula, fervore spiritûs reple, ut deinceps in novitate vitæ ambulantes, immortalem consequi mereamur.

Amen.

CONCIO XXX.

DE SANCTISSIMA TRINITATE.

Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus S. Marc. 16.

ARGUMENTUM.

TRIA RITE NUMERATA.

I. EVulgatum apud pleraſque nationes in idiotas adagium est: *Nescit tria numerare.* Aud. Quo sane illud unicum innuere intendunt, puerile esse tria numerare, & idipsum eos comprehendere neutiquam posse. Pythagoras nihilominus arcanum in hoc latere mysterium statuit, Academiamque eo fine erexit, ut qui tria ad calculum rite revocare nosset, rude, ac epomide donaretur. *Aug. l. 6. de Trinit.* Hic enim Augustino Præsule teste, Trinitatem rerũ omnium mensuram statuebat. Esse, posse, operari. Vel ut scribit Dionysius Areopagita discipulos Deum per Trinitatem enumerare edocuit: *Deus est principium, à quo emanamus; medium, quo ducimur; finis, in quem dirigimur.* Quibus verbis sublimissimam, & de Principio à quo conditi, & de mediis, quibus provehimur; & de fine, in quem nobis collimandum est, sapientiam complexus est. Subdit Plutarchus eundem Philosophum discipulos, (si quospiam incapaces hujus doctrinæ comperisset) limine suo exturbasse, dicendo; μέγας ὄνος magnus asinus, seu Apage ad asinos. *Dion. Areop. l. de Div. Nom.* *Plut.*

Ego verò cum summo Ecclesiæ Africanæ Antistite sentio, non in schola duntaxat Pythagoræ, sed in universa Theologia Christiana non inveniri, aut dari artem abstrusiorem, quam scire tria numerare. Dico in unitate essentiæ tres Personas, ita ut nec Personæ confundantur nec essentia dividatur, & ut in Personis proprietas, in essentia unitas, in majestate adoretur æqualitas. Verba illius sunt: *Vbi quæritur unitas Trinitatis Patris, & Filii, & spiritus S. nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosiùs quæritur, nec fructuosius invenitur. Non pigebit me, sicubi hæsito quærere, nec pudebit, sicubi erro, discere.* Verumtamen cùm ex meis *Aud.* neminem tam rudem suspicer, quin hanc artem didicerit, aut in una Deitate tres Personas numerare ignoret, ostendam qua ratione Adversarii nostri, vel rudes alii etiamnum hac in arte hallucinentur. Cedet id ad roborandam fidem nostram, & cultum unius in Trinitate Majestatis.

Trinitatis profundum mysterium. Aug. lib. 1. de Trin. c. 7.

Partitio.

II. Tribus ut plurimum modis in ternario numero calculando erratur. Detractione nimirum, Confusione, Additione. Detractione subtrahendo quidpiam ex numero, ut si quis in tribus Personis divinis unam aut alteram negaret, vel unam, alteramve tantum numeraret. Additione, quũ quidpiam adjicitur, ut si in divinis quispiam plures numeraret naturas divinas. Confusione, si numeros confunderet, & v. g. unam personam pro alia, vel pro duabus acciperet. Hisce tribus modis & olim, & etiamnum Adversarii Ecclesiæ Orthodoxæ hallucinantur, in adorando SS. Triados mysterio.

§. I.

Erratur in Trinitate Detractione.

III. PRimitus detractione delirabant antiquitus Ariani, & subinde Anabaptistæ, Samosateni, & alii; qui aut distinctionem realem personarum in divinis inficiabantur, aut Filio Dei, & spiritui S. divinitatem derogabant. Item Macedoniani, qui spiritum S. ex throno supremæ majestatis deturbare nitebantur, &c. Quid his faciendum? Id nimirum quod Pythagoras cum suis discipulis Bœotici ingenii factitasse perhibetur. Invenit is regulam Detri, seu trium; quam in tantum deperibat, ut si quispiam in numero exorbitaret, demandata eidem digiti ad os appositione, ipsemet errorem proprio pollice in illa regula corrigeret. *Regula Detri.*

Regula Detri mihi est Codex sacer, & digitus, quo omnis error manifestatur, ipsemet spiritus S. de quo canit Ecclesia: *Dextræ Dei tu Digitus*; quo regula omnis veri ac recti nititur. Hic Digitus non unam, aut duas, sed tres omnino in Divinitate calculat Personas. Appone ori digitum Hæretice, & ausculta.

IV. In capite S. paginæ scribit de hoc mysterio, in hæc verba: *In principio creavit Deus cælum, & terram. Et spiritus Domini ferebatur super aquas.* In hoc nomine *DEVS* liquidò designatur Pater; in verbo autem *principii* Filius indicatur, per quem omnia condita; sic enim ipse de se in Apocalypsi loquitur: *Ego sum A, & O, principium, & finis.* *S. Trinitatis mysterium probatur. Gen. 1. 1.* *Apoc. 1. & ult.*

Et

Et rursum apud eundem S. Joannem, *Principium, qui & loquor vobis.* Unde *in principio* idem est, ac per principium, per Filium, & verbum fecit Deus cœlum ac terram : *Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Hinc D. Hieronymus : *Christus tam in ipsa fronte Geneseos, quam etiam in principio Ioannis Evangelistæ cœli, & terræ conditor comprobatur; quemadmodum de se ipso ait : In capite libri scriptum est de me*; id est in principio Geneseos. Atque ut omnis dubitatio auferretur, versio Chaldaica omnium antiquissima, & apud Hebræos irrefragabilis fidei, atque authoritatis pro principio posuit Filium dicens : *In Filio creavit Deus cælum, & terram.*

Ioan. 8. 25.
Ioan. 1. 2.
Hier. in quæst. Heb. Psal. 39.
Chald.

Porro in verbo *spiritus*, clarè spiritus S. insinuatur, qui virtutem præstabat, vivificabat, fœcundabatque universa. Nam ubi nos legimus *ferebatur*, in Hebræo habetur *incubabat*, seu confovebat aquas, in similitudinem volucris ova calore animantis. Ex quo intelligimus neutiquam de spiritu hujus mundi dici (ut nonnulli perperam trahunt in suam partem) sed de spiritu S. qui Vivificator omnium à principio dicitur. Si autem Vivificator, consequenter & Conditor. Sic in ipsa fronte, etsi subobscure, ipsa SS. Trinitas prostat exarata.

V. Quod si in sensu arcano, ac mystico, maximèq; sublimi hæc quispiam accipienda propugnet, planissimè ex calce Evangelii veritatem accipiat : *Euntes docete omnes gentes : Baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & spiritus S. In nomine Patris* à nullo procedentis, & *Filii* procedentis à Patre, & *spiritus sancti* procedentis ab utroque. In ipso limine, ipsoque Ecclesiæ ostio hoc mysterium inscriptum voluit id est in Baptismate. In ipsa sanctificationis forma Unitatem impressit, quando *in nomine* uno nimirum insigniri renatos voluit, Trinitatem verò, quando adjecit : *& Patris & Filii & spiritus S.* Sicque unum esse Patrem, & Filium & spiritum S. personasque tres æquales demonstravit, cum eos primo hoc sanctificationis actu invocari præcepit, tanquam eos à quibus peccatorum remissio obtineretur, & omnis animarum nostrarum sanctitas promanaret.

Marc. 16. 16.

At si Filius, & spiritus S. (quemadmodum deliri blasphemant) creaturæ forent, nunquid cum Deo in Baptismi forma conjungerentur ? Numquid cum illo perinde, ac sanctificationis authores invocarentur ? Numquid Deus ipsos in solio gloriæ collocaret? Numquid divinos concederet honores ? Concedit autem, quum imperat, ut in nomine Patris, & Filii, & spiritus S. Baptismi lymphis tingamur, & expiemur. Deus itaque est Pater, Deus est Filius, Deus est spiritus S. vel ipsa Baptismi formâ, & effectu demonstratus. Quis enim potest peccata dimittere, nisi solus Deus ? Cum itaque in baptismo homines sanctificante, ac peccata remittente Filius, ac spiritus S. æque ac Pater æternus invocentur, & sacramentum hoc, tam in unius, quam alterius nomine conferatur, clarè innuitur eos potestatem remittendi peccata ac sanctificandi habere, atque adeo ejusdem Majestatis ac divinitatis cum Patre esse.

Quod verò primo loco Patrem, secundò

eundo Filium, tertio Spiritum S. nominat, in hoc non personarum inæqualitas, sed originis ordo, cum summa personarum æqualitate indicatur. Prima enim persona Pater est, & fons divinitatis, à nulla alia procedens. Secunda Filius à Patre genitus; Tertia Spiritus S. à Patre, & Filio procedens, non tanquam à duobus principiis, aut spirationibus, sed uno principio, ac spiratione. *In hac* enim Trinitate (loquor ex Athanasio) *nihil prius, ac posterius, nihil majus, aut minus, sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* Hæc est fides Catholica, ut unum Deum in Trinitate, & unitatem in Trinitate veneremur. Hujus *testimonium dant in cœlo Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres unum sunt.* Quemadmodum tres personæ sunt in deitate; ita omnes tres testimonium in cœlo, & de cœlis perhibent Christi Divinitatis, ac hujus inconcussæ veritatis.

Personarũ divinarum processio.

Symb. Atha.

1. Ioan. 5. 7.

VI. Numquid autem intelligunt hoc Ariani, aut Samosateni, aut alii Hæretici? Neutiquam, cum tria numerare nesciant. Simplicissimus quisque nullo negotio percipit in ternario numero tres virgulas esse inter se æquales, & unius naturæ, quamvis illa sit prima, illa secunda, illa tertia; & hi concipere nolunt, & intellectum suum in obsequium fidei captivare, ut credant unum Deum in natura, & trinum in personis, Patrem & Filium, & Spiritum S. sibi consubstantiales esse.

Nec bene itidem numerant idiotæ nonnulli, qui non tam personas, quam divinitatem distinguunt dicentes: Aliud est Pater, aliud Filius, aliud Spiritus S. Non enim aliud, sed alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus S. Aliud enim supra naturam cadit, alius in personam.

Alii verò in hoc numerandi genere tam rudes, ut totum subtrahant, nec unum numerare queant. Hi sunt qui vel exterius ipsa vivendi ratione profitentur; vel etiam malevolentiâ ac nequitia excæcati credunt omnino Deum non esse. Ipsa vivendi ratione contestantur Deum nullum esse, qui in tantum per omnia vitiorum genera feruntur, sic cupiditatibus suis fræna laxant, sic cælestium bonorum prorsus immemores in terra defixi jacent, sic omnia præcepta legis citra ullum doloris sensum violant, ac si in mundo non esset Deus, qui id videret, aut vindicare posset. Alii quod vivendi ratione profitentur, idipsum corde impio sibi persuadere, aut ore blasphemo eloqui haud erubescunt. *Non est Deus.*

Atheistæ qui.

De his quid dicam? Non occurrit aliud, quam ut Tarentino cum Philosopho exclamem μέγας ὄνος vel cum Psalte: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Si enim vel micam salis haberent in capite ex sola mundi constitutione, ac gubernatione eundem cognoscere possent. Quis enim tam vecors, qui cum suspexerit cœlum, Deum esse non sentiat; & ea quæ tanta mente fiunt, ut nemo arte ordinem rerum, ac vicissitudinem persequi possit, casu fieri putet? Quis astrorum longè, latèque diffusa spatia, solis, ac lunæ, aliorumque siderum stupendas vicissitudines, ipsius cœli motus, ac conversiones admirabili inter se ratione concinentes, & omnium rerum cœlorum complexu contentarum statum, atque naturam con-

Psal. 13. 1.

Ex creaturis Creator cognoscitur.

contempletur, ac mente ad cognoscendum opificem non assurgat? Quis admirabilem sive in singulis rebus fabricam, & artificium, sive in universis ordinem, ac convenientiam omnibus naturæ partibus, uno consensionis vinculo dexterrimè confœderatis, & perinde, ac ex diversis sonorum intervallis, pro certa ratione, ad suavissimam harmoniam distinctis, expendat; non citius dubitet sese vivere, quam non esse Deum, per quem hæc omnia facta sunt? Quis revolvat, quod cum infinita prope sint in terra, in mari, in aëre, in ipso igne animantium genera, quæ non uno omnia, sed vario, ac multiplici alimento egeant, nulli quantumlibet exiguo animanti, non vermiculo, non araneæ, non formicæ, non muscæ, non culici suum pabulum deesse, neque varias artes, ac appositissima corporis membra, ac instrumenta, quib⁹ illud sectari, ac sumere queant; & non inferat vim quandam mentis atq; rationis immensam, sempiternamq; esse, cujus Numine, ac sapientiâ, cuncta & à principio condita sunt, & deinceps reguntur, conservanturque, &c. Hoc rerum evidenti argumento numquid convincuntur, ut credant? *Numquid invisibilia Dei, à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciunt?* Nihil minus *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Negat primum principium.

Rom. 1. 20.
Psal. 13. 2.

Averroes eliminat negantem prima principia.

VII. Quid agam? Lego in vita Averrois habuisse illum discipulum alioqui obsequentissimum, sed cui ingenium extra cerebrum enavigaret. Hic cum in quadam lectione audiisset Professorem axioma illud infallibile, & ex ipsis principiis notum proferre; *Vnitas est principium numeri*; ita vel præsumptione ductus, vel amentiâ lapsus est, ut idipsum absolutè inficiaretur. Nego, Nego. Averroes videns stupidum ingenium, ac fastum, extemplò cum indignatione respondit: Si hæc non percipis, & ego te nego meum discipulum. Idipsum ego his, qui nolunt agnoscere Deum esse principium rerum omnium, nomine ipsius tremendi Judicis denuntio. Nego vos discipulos ejus esse, & in novissimo districti judicii die, ad infimam inferni classem, summa vestra ignominia, rudentibus detrahendos, sempiternisq; suppliciis deputandos esse. Negantes enim prima principia non alio rude, quam rudentibus inferni digni.

§. II.

Erratur in Divinis additione.

VIII. ALter in numerando ternario esse potest error, Additio, Hunc in modum errat, qui unum accipit pro duobus tribusque, aut ternario numero quaternarium adjiceret. Sic hallucinati sunt in Ungaria, ac Polonia nostra Triteitæ, delirantes in Ss. Triade non tantum esse tres Personas divinas, sed insuper tres Deos, seu tres naturas divinas. Itē Duitæ, propugnantes duos esse Deos, Patrem, & Filium, Spiritum verò sanctū ejusdem cum illis naturæ.

Ponant & hi digitum supra os suum, & auscultent quid digitus Dei in regula Detri demonstret. In lege Deuteronomii ait Moyses: *Dominus ipse est Deus, & non est alius præter unum.* Et paulo post: *Scito ergo hodie, & cogitato in corde tuo, quod Dominus est Deus sursum, & in terra deorsum, & non sit alius.* Et rursum. *Audi Israel. Dominus Deus noster,*

Deus unus.

Deut. 4. 34.

Ibid.

Ibid. 6. 6.

Dominus unus est. Idipsum multis aliis sacræ scripturæ locis demonstratur, quod non sit alius præter eum, nec similis illi in cœlo desuper, neque in terra deorsum. Et ratio est, quoniam Deus est summum Ens, & omne bonum, summum bonum, & unum bonum. Hæc enim intra se convertuntur, & quo aliquid magis ens, magis unum, summum ens, summum unum, non tantum specie, sed & numero omnino indivisibile, omnino incomunicabile.

Deus finis omnium Prov. 16.

Hic idem Deus est finis ultimus rerum omnium à se conditarum, ac possibilium. *Vniversa enim propter semetipsum fecit Altissimus.* Ad eum cuncta, tanquam ad finem ultimum referuntur, in quo quiescant, & à quo diriguntur. Constat enim mundum partim ex adversantibus elementis, partim ex dissimilibus rebus esse compositum. Quæ autem diversa, ac contraria sunt, quid aliud, quam dissimilitudinem, ac pugnam ciere possunt? Quocirca quæ ejusmodi sunt, nullo modo, ad unum ordinem, unumque finem, nisi ab uno aliquo dirigente revocari possunt. Necessarium igitur est, ut unum finem rerum omnium: ita non nisi unum Deum fateri, sin autem plures admittantur, vel hi omnes ad unum referendi forent, & tunc ille solus esset verus Deus. Vel non? Et tunc nullus ordo, nullus finis daretur omnium, nulla harmonia, aut concordia creaturarum.

Deorum multorũ absurditas. Lucian. in dial.

IX. Cognovit idipsum vel solo lumine naturæ illustratus Lucianus Ethnicus, & ad vanitatem Numinum displodendam comminiscitur ipsos Deos coëgisse comitia, publico bono consulturos. In quibus unus eorum exorsus ait: Nimis multi nostrum sunt ô Summates, ea propter & æstimationi, & majestati nostræ plurimum derogatur. Jam haustus ambrosius in cœlo crevit pretio, & vix potest haberi. Multi nostrum fame tabescunt nec Jovi ipso pro dignitate sufficitur. Peregrini non pauci, imo & barbari adscriptitii, & putatii dii nescio, quo pacto cœlum impleverunt. Ita ut plenum sit symposium, tumultuosa turba quorundam garrulorum, & convivarum, cumque recentes assumuntur, veteres exploduntur. Illi enim primo accubitu sese dignandos arbitrantur, & priores sibi in terris arrogant honores. Adde quod unus alteri contraveniat, & in alterius sese ingerat officium. Mercurius se medicum fingit, quasi ille sanitati redonet. Æsculapius pro Apolline se venditat, quasi ipse oracula fundat. Mars sibi omnes militare cogit. Quid ultra? Quævis Dea rerum suarum satagit, nec pensi habet si vel firmamentum illabatur orbi, vel dii mediastinos agant. Quivis in apotheosim relatus suos Satyros magnificat, nec sufficit si ex hominibus dii facti sunt, nisi suos pedissequas, & vernas honore nobis adæquent, &c. Ita Ethnicus indignitatem plurium Deorum exsibilat, & Christianus dualitatem, aut pluralitatem admittet? eadem absurda non assequitur? eundem sibi cum vero Deo jocum faciet?

Facit sanè, nec argumenta vel Ethnica percipit, nec ternarium numerum capit. Aristotelis acroama est: *Essentiæ sunt sicut numeri.* Numerus autem ternarius, v. g. hujus conditionis est, ut

licet

licet tribus virgulis gaudeat, tamen unius naturæ sit, distinctæ à quaternario, quinario, & aliis; ita ut tres virgulæ conflent unum numerum ternarium. Pari ratione (quamvis non omnino suppari) etsi in SS. Trinitate sint tres Personæ, tamen consubstantialiter unius naturæ sunt in deitate; ac proinde quemadmodum ex tribus sibi similibus unitatibus componitur ternarius; ita tres personas, una in Trinitate divinitas. Numerent igitur & dicant: *Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est spiritus S. & tamen non tres dii, sed unus est Deus.* Non numerabunt, eò quod unam naturam in tribus personis subsistere non capiunt.

Symb. Athan.

X. Errant hoc in genere alii scelerati, dum plures sibi fines ultimos, hoc sequestrato, constituunt. Hi enim eo ipso, quod in re caduca animum, mentemque defigant, illam pro Deo, & ultimo fine suo, seu summo bono reputant. Hinc tot recentes calculant deos, quot vitiis mancipantur. Nam ut loquitur D. Hieroymus: *Unusquisque quod cupit, & veneratur, hoc illi Deus est.* Avarus aurum Deum habet, voluptuosus carnem, ambitiosus mundi pompam. Dum enim istas vanitates Deo anteponunt, & ob amorem creaturæ, amorem Creatoris extinctum eunt; an non liquido illam, semoto Deo, throno majestatis supremæ instipant? Hinc Poëta rite modulatus est:

Idolatria impiorum Hier.

Ambitiosus honos, & opes, & fœda voluptas,
Hæc tria pro trino Numine mundus habet.

Cum uni genu incurvandum esset, ipsi triplici idolo advolvuntur; & licet in baptismate abrenuntiârint diabolo, mundo, & pompis ejus, eadem, victi inordinatis affectibus, iteratò adorent.

In hos meritò excandescens D. Augustinus eructat: *O impie quid tibi cum pompis mundi, & operibus diaboli, quibus renuntiasti?* Quid toto corde sequeris Absolonem, relicto vero Domino tuo Davide? *Quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis?* Memento te non homini, sed Domino terribili, & ei, qui aufert spiritum principum, sacramentum dixisse. *Abrenuntio*; & conare non solum vocibus, sed & moribus, non tantum sono linguæ, sed & actu vitæ contestari.

Aug. in Psal. *Ier. 2. 18.*

Numquid intelligunt ista? Perinde ac Blictri. Excludentur itaque & hi, ex Athenæo cœlesti, haud secus, ac illæ Virgines quibus dictum est: *Nescio vos. Discedite à me maledicti in ignem æternũ, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus.* Hunc magistrũ audivistis, & habuistis in vita, eundem retinete in omnem æternitatem.

Matth. 25.

§. III.

Erratur in Ternario Confusione.

XI. TErtius error esse potest in numerando ternario per Confusionem. E. g. si quispiam intenderet tria numerare, & unam virgulam numeri acciperet, jam pro uno, jam pro duobus, is certè plurimùm hallucinaretur. Hac ratione sophista ille incoram parente suo nugatus est, quando appositis tribus ovis, inferre fallaciis suis nitebatur esse quinque. Sic enim argu-

argumentabatur: Pater, ubi sunt tria, ibi sunt & duo; ubi autem sunt duo & tria, ibi sunt quinque. Ergo hic sunt ova quinque. Cui dextrè parens, & verbo, & reipsa respondit. Si ita est mi fili, ego accipio duo pro me, matri do unum, tu accipe alia duo residua. Sic dum jure nugatur paterno, ruborem non nisi pro laurea reportat.

Huic eidem errori obnoxii nostrates schismatici, confundentes quadantenus Filium, cum Spiritu S. quando eundem à solo Patre, & non à Filio procedere sibi imaginantur. Hæc enim receptissima SS. Patrum Maxima est: *Vbi non est oppositio processionis, ibi non est distinctio personarum.* Si enim v.g. mea eadem natura poneretur in alio, nec is procederet à me, nec ego ab illo, is non esset diversa persona à me, sed eadem omnino. Ita eo ipso, quod juxta illos Spiritus S. habeat eandem naturam cum Filio, nec is procedat ab illo, nec Spiritus S. ab ipso, non potest esse diversa persona, eò quod deficiat, quo distinguatur ab ipso, &c.

Schismaticorum error refutatur.

Quid quæso cum his agendum? Id profectò, quod cum aliis. Apponant ori digitum, observaturi, quid Regula Petri in sacris paginis illis demonstret: *Omnia* (ait verbum æternum) *quæcunque habet Pater mea sunt.* Sed Pater habet hoc, quod spiret Spiritum S. Ergo idem obtinet & Filius. Et eam ob rem dicit: *Mittam vobis à Patre spiritum veritatis.* Et rursum: *Paraclitus de meo accipiet.* Quod est hoc meum, nisi Divinitas Filii? Et quid est aliud accipere Divinitatem à Filio, quam procedere ab eodem?

Ioan. 16. 15.

Id ut capias audi quæso vel unum à me obvium argumentum. Scitor ex te, quid sit Spiritus S. in divinis? Respondere debes, quod sit mutuus amor inter Patrem, & Filium. Pater enim gignens Filium, videt sibi ab integro similem, infinitè sapientem, infinite bonum, infinitè omnipotentem, &c. & eapropter infinitè eum diligit. Filius item videns se (ut ita dicam) infinitum à Deo Patre beneficium, id est Divinitatem, & omnia, quæcunque erant Patris indeptum, & item quod Pater sit in infinitū sapiens, potens, bonus, &c. reciprocè eundem amore immenso complectitur. Hic infinitus amor mutuus non est aliud, quam Spiritus S. tertia in divinitate Persona. Quomodo itaque si est mutuus amor ab utroque non procedit? Amor enim est amantis; cum ergo Pater & Filius amet, non tantum à Patre, sed & Filio procedere necesse est.

Processio Spiritus S. à filio probatur.

Insto ultra. Amor hominis sanus, & rectus num procedat ab intellectu? Negare quantumvis velis, haud poteris; nisi ab surdum, ac bestialem finxeris. Ecce in homine ejusmodi amorem degenerem judicas, & in Deo statuere talem non erubesces? Nonne homo imago, seu umbra Divinitatis est? *Faciamus*, inquit Numen æternum, *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Ut itaque homo per intellectum producit conceptum; suppari ratione (quantumvis alio respectu infinite eminentiore) Deus per intellectum Filium, & verbum suum in similitudinem naturæ producit. Ut item homo per voluntatem illuminatam amando producit amorem: sic Deus amando per voluntatem producit Spiritum S.

Spiritus S. procedit à Patre & Filio.

Gen. 1. 26.

Si ergo

Si ergo non bene sanus amor in homine esset, nisi ab intellectu procederet, nec in Deo, nisi à sapientia æterna, id est Filio, spiraretur.

XII. Jamne intelligis schismatice? Dubito. Ignorantia Trium te laborare video. Pone ergo huc mihi tres virgulas, primam, secundam, tertiam, & edic, tertia virgula unde id obtinet quod sit tertia? An solum ex prima virgula? Certe non, sed & ex secunda. Quoniam si ex prima id solum haberet, posset esse tertia sine secunda. Ergo quod sit tertia nascitur non tantùm ex prima, sed & secunda. Ita & Spiritus S. quod sit tertia in sacra Triade persona, non tantum id sortitur à prima, sed & altera: Quippe si à prima duntaxat procederet, sicut & secunda persona, tunc etiam tertia persona foret secunda. Si itaq; est tertia, debet id obtinere & à prima, & à secunda.

XIII. Jamne tandem perceperunt? Etiamnum hæreo, cum multò deterius obcæcatos video illos, qui se indigitant reformatos, ac illuminatos. Hi unum numerum cum alio, imo unum cum nullo confundunt, Deum cum Diabolo pari subsellio locant. Cum ille sit author, & origo omnis mali, (*invidia enim diaboli intravit mors* seu peccatum, *in mundum*) Deo ipsum imputant, & eundem authorem scelerum statuunt. Quod ergo discrimen unius ab alio? Quomodo non unum pro alio calculant? Quomodo non unum pro alio invocant, & adorant? O blasphemi, ô fulminati! obturate fauces ambabus manibus, priusquam eas obturet iniquitas. Attendite ad Regulam Detri: *Quoniam non Deus volens iniquitatem, ipse est.* Quoniam mundi sunt oculi ejus, nec respicere ad iniquitatem possunt. Quoniam *Odio est Deo impius, & impietas ejus.* &c. Hæc si non prospicitis, profectò ex patre mendacii, diabolo estis, & desideria ejus perficitis.

Calvinistarum Deus diabolus.

Psal. 5. 5.

XIV. Quin & nostri seducti Fratres hac in parte hallucinari videntur, quando Humanitati Christi realem communicationem attributorum divinorum decernunt, eamque immensam, interminam, omnipotentem statuunt. Quid enim hoc aliud est, quam confundere humanam naturam cum divina; vel duo omnipotentia, duo immensa, duo infinita, Deitatem & humanitatem Christi inducere? Quod sanè & rationi, & symbolo, & scripturis evidentissimè repugnat. Esset enim humanitas Christi finitæ potentiæ, & non esset; cumque idem sit omnipotentia Dei, quod essentia, natura humana in Christo simul esset divina Quantum Chaos! Quanta confusio! Unde hoc? ignorant tria numerare, miscent unum cum alio.

Lutherani Duitas.

XV. Tradit Fulgosus de quodam Clerico sub tempus Friderici Cæsaris, circa annum Domini millesimum ducentesimum, trigesimum, quod epoto sanguine, quem ex mediana miserat, omnium artium, ac studiorum, quorum perilissimus fuerat, in tantum oblitum esse, ut nec scribere, nec legere, nec tria numerare posset. Ita enim duntaxat calculabat: Unum duo; unum duo, duo unum. Vereor ne eadem mania ex eodem capite in nostros Acatholicos derivata sit. Cum enim sciant se non habere verum sacrificium, nec

Clericis cujusdam memoria defectus. Fulgos. an. 1230. l. 1. c. 6.

ſacerdotium ; ut ſe minimum modo imaginario participes redderent corporis, & ſanguinis dominici, commenti ſunt illud ubivis eſſe ; atque ita in quovis pane edi corpus, in quovis potu bibi ſanguinem. Quid hic ſtatuendum de iis ? De præfato Clerico ſubdit Fulgoſus, quod cum poſtliminio ſanguinem ex linguæ arrena hauſtum miſiſſet recuperaſſe ingenium, ac ſcientiam. Si noſtri Adverſarii congrua ratione alium ſanguinem, eumque verum, & non fictitium libare vellent, linguâ nimirum ſacerdotis Catholici, ac verbo divino profuſum ſpondere iis priſtinam poſſem ſanitatem. Verùm cum id recuſent, nihil reſtat, quam ut eos ex Theologia Chriſtiana eliminem, & anathematizem.

Superſedebo tamen tantiſper in eorum gratiam, quorum ſalus necdum omnino naufraga, ſi forte à nobis præcedentib⁹ addiſcant numerare tria, nimirum credere, & adorare unum Deum in eſſentia & trinum in perſonis; Patrem ingenitum, Filium unigenitum, & ſpiritum S. Paracletum; Patrem authorem omnium citra peccatum; Filium aſſertorem, & vindicem humani generis, ſpiritum S. largitorem bonorum omnium; ſuperſedebo ſi forte ea ſacroſanctè receperint, quæ credit & confitetur S. Romana Eccleſia. Id ſi fecerint in illa diſtrictionis die cum Richardo à S. Victore ſecure dicere, ac proteſtari poterunt : *Domine ſi eſt error quod credimus, à te decepti ſumus. Nam iſta tantis ſignis, & prodigiis confirmata ſunt, & talibus, quæ non niſi per te fieri poſſunt.* Et certè à ſummæ ſanctitatis viris nobis ſunt tradita, ſummâ, & authenticâ atteſtatione probata, te ipſo cooperante, & ſermonem confirmante multiplicibus ſignis, ac prodigiis. Id ſi fecerint non vano nixi Apolline confidere poſſunt, ſe una cum ſupernis ſpiritibus illud Triſagion decantaturos. *Sanctus, ſanctus ſanctus Dominus Deus Sabaoth ; plena eſt omnis terra gloria ejus.* Quod omnibus nobis largiatur unus in Trinitate Deus Pater, Filius, & ſpiritus S. Amen.

Richard de S. Trinit.

Iſa. 6 3.

CON-

CONCIO XXXI.

IN DOMINICA II. PENTECOSTES.

Homo quidam fecit cœnam magnam.

ARGUMENTUM.

COENA VERE MAGNA.

1. QUis iste homo quidam, *Aud?* Num Polonus? num Germanus? num Gallus? num Anglus? Dicerem Polonum ex lautitia ac magnificentia; siquidem tam lautè nonnulli epulantur, ut Salomonis epulas videantur æmulari; Verum opinionem meam infringit, quod præfatus *Homo quidam* pauperes, debiles, cæcos, claudos coegerit prope ad suam cœnam, ipsi autem, mediastinis etiam mere innatantibus, vix micam Lazaro dispensent.

Nunc ergo Germanus? Et ut proprio ipsum compellam nomine, nonne Luther? Hic novo artificio apparavit convivium ex meris ut mihi videtur artocreis, quoniam cum pane, in pane, sub pane Christi corpus constituit. Et verè in ipsorum cœna Agnus occisus dicitur, quia sanguinem in corpore contineri, in quo tamen omnis anima est, inficiantur. Sed & ab hac me sevocat sententia, quod plerique ab epulo Domini *Quidam* se subduxerint propter villas, boves, uxores. Apud Lutheranos autem longè aliter se res habet. Nam imprimis summatibus, ne forte ipsius mensam despuerent bona Ecclesiastica addixit. Plebem ne quid moraretur, à jugo quinque boum, id est ab observatione decem præceptorum, quæ impossibilia servatu asseruit, eos exemit. Uxoribus verò Deo dicatos viros imprimis attraxit. Non ergo potuit fuisse Lutherus.

Quis ergo? Num Gallus? Numquid non Genevensis quispiam? Numquid non Calvinus? Non citra ansam posset quis in hanc descendere sententiam. Etenim suam commentiam synaxim, non aliter, quam Cœnam ex hodierno Evangelio indigitant. *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Insuper alibi affatim potant, bolique crassioribus utuntur. Verum tamen & istud incassum ementiuntur, cum cœna ipsorum longè minor sit Judæorum jentaculo. Hoc enim Angelicis manibus confeciebatur, continebatque in se omnem saporem, dulcedinemque suavitatis: Calvinisticus verò panis vulgaris est, à fœmina quapiam pistus, unius duntaxat saporis, mortis potius, quam vitæ nutrimentum. Neque enim vel

qualitate, vel accidente ullo discrepat ab obvio, & quotidiano. Non ergo exhibuit ille cœnam magnam, sed parvam & vulgarem.

Quis itaque *est* iste *Homo quidam*? Non est alius, quam Christus Deus & Homo. Hic in veritate fecit, apparavitque Cœnam magnam. Quod evincam.

PARTITIO.

II. Passim non magnitudo duntaxat & effectus ipse, sed & voluntas, affectusque beneficiis pretium imponit. Ex utroque horum capite Christi Cœna vere magna.

§ I.

Cœna Christi ex magnitudine æstimata.

III. MAgnitudinem, & effectum ipsius in præsenti non aliunde evinco, quam ex citato Evangelii textu, quo hoc divinum Epulum Cœna indigitatur. Cur enim non prandium, cur non symposium nuncupatum, vel alio digniore vocabulo honestatum? Sacer textus extollens magnificentiam Assveri, ait; *Fecit grande Convivium* tertio imperii sui anno. Eodem vocabulo utitur differens de symposio Absolonis: *Fecerat Absolon convivium, quasi convivium regis.* Quid igitur causæ est, quod loquens de hoc tam magnifico epulo, Cœnæ nomine describat: *Homo quidam fecit cœnam magnam?*

Eucharistia cur cœna?

Esth. 1. 3.

2. Reg. 13. 27.

S. Greg. in Evang.

Attingere eam videtur S. Gregorius, dum distinguit inter prandium, & cœnam, *quod post prandium Cœna restet, post Cœnam verò convivium nullum restet.* In hoc nimirum discrepat prandium à cœna, quod secundum illud, utut regium, magnificumque fuerit, aliud convivium supersit vesperi sumendum; post Cœnam verò nihil præter quietem remaneat expectandum.

Et vel hinc colligite magnitudinem hujus cœnæ. Apparavit Dominus homini ex penuario hujus mundi mensam ab ipso illiusmet exordio; in eaque omnia quæ moventur in terris, quæ remigant in aquis, quæ volitant in aëre illius gulæ velificare voluit. Apparavit mensam, in qua haberet oculus formas, coloresque, quibus pasceretur; aures sonos, quibus caperentur; naris odores, quibus oblectaretur; gustus sapores, quos sectaretur; tactus mollitiem, qua deliciaretur. Apparavit mensam, quam cum stupore spectavit, libavitque Propheta regius, dicens: *Domine quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam reputas eum? Minuisti eum paulò minus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subjecisti sub pedibus ejus.* At numquid hoc contentus erat convivio mortalis homuncio? Neutiquam, jam silvas, jam lacus expilaverat, & famebat; jam maria ipsa evacuaverat, & famebat; jam Lucullus in uno orbe reditus Cæsareos absumpserat, & famebat; jam Cleopatra in uno poculo regna propinabat, & sitiebat. Jentaculum id omne homini videbatur, nō prandium, non cœna, nec inveniebatur in penu mundi esca, quâ homo exaturaretur.

Homini epula à Deo varia apparata.

Psal. 8. 5.

IV. Quid non egit Numen optimum? Vertit se ad penu Angelicum, ut vel

vel ex illo expleret hominem; mandavitque quatenus in aëre panis Angelicus pinseretur. Dictum factum. Illico cœlestes illi pistores imperium executi, confecerunt manna, panem inquam cœlestem omni sapore redundantem. Ita enim hoc, inter alia beneficentiæ monumenta, deprædicat Sapiens: *Angelorum esca nutrivisti populum tuum, & panem de cœlo præstitisti eis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnem saporem suavitatis.* Et hoc pane numquid contenti? Loquantur ipsi: *Nauseat anima nostra supra pane hoc levissimo.* Addidit ultra potum, & prope nectar, lympham nempe de petra scaturientem. *Et eduxit aquam de petra, & deduxit tanquam flumina aquas.* Quid adistud Judæi? *Nauseat, nauseat anima nostra.* Prandium id erat non cœna, quo provocabatur, non expleretur humana orexis.

Sap. 16. 20.

Psal. 77. 16.

V. Quorsum itaque se vertet Numen paternum? Ad sua nimirum penuria, ad sua cellaria. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Coëgit thesauros cœlestes in orbiculum unius hostiæ, ambrosiam in bolum unum, nectar divinum in guttam prope unam. Etenim hic inclusit totum corpus, & sanguinem suum, hic inclusit animam, & merita sua, hic inclusit Divinitatem, immo & Trinitatem suam. Adest enim, ut docet Theologia, ibidem per concomitantiam Pater, actu generans filium, nosque propter ipsum filios suos agnoscens. Adest & Spiritus S. à Patre Filioque procedens, sanctificaturus animam juxta dispositionem ipsius. Nam ut docet Præsul ac Lumen Africæ Augustinus: *Totus Pater in Filio, & Spiritus S. est. Totus Filius in Patre & Spiritu S. est. Totus Spiritus S. in Patre, & Filio, nullus illorum extra quemlibet illorum est.* Adeoque idem ipse verus, æternusque Deus, qui implet omne animal benedictione, qui Seraphicos suâ præsentiâ pascit spiritus, ipse suo nos hic lactat sanguine, suo inebriat nectate, suâ satiat sacratissimi corporis ambrosiâ. Hoc est prodigium omnes limites excedens, quo Deus cum sit omnipotens, plus dare non potuit; cum sit sapientissimus, plus dare nescivit; cum sit ditissimus, plus dare non habuit. Hoc est Convivium, quod spes nostras, votaque excedit; hæc est Cœna, post quam nihil imaginari potest amplius. Non plus ultra.

S. Aug. tr. de fide ad Petr.

VI. Erat Patriarcha Jacob ætate jam provectus, præque senio caligaverant ipsi oculi, quando agebatur de benedictione filiis impertienda. Itaque Esau, cui de jure primatus competebat, benedictionem collaturus, mandat eidem: *Sume arma, & pharetram, & affer mihi de venatione tua.* Audiit hæc mater, anxia de filio altero Jacobo, & præventura benedictionem Esau paravit extemplo cibos, quemadmodum noverat velle Patrem ipsius; *Et vestibus Esau valde bonis induit eum, pelliculasque hædorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit.* Sic ingressus cum obtulisset cibos, vinumque infudisset, odoratus fragantiam vestimentorum ejus, ait: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini, & serviant*

Gen. 27.

Ibid.

viant tibi populi, & adorent te tribus, esto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ, qui tibi maledixerit, sit maledictus, & qui tibi benedixerit, sit & ipse benedictus. His confectis successit Esau cum sua venatione, & audita fraude Jacobi obtestatus est patrem ejulatu magno, ut & sibi bene precaretur. *Benedic, etiam mihi pater mi.* Cui post multa Isaac: *Dominum illum tuum constitui, & omnes fratres ejus servituti subjugavi, frumento, & vino stabilivi eum, tibi ultra fili mi, quid faciam?* Non occurrit mihi fili mi in quo te benedicam, aut quid tibi conferam, ex quo vino & frumento stabilivi eum. Erat Isaac opulentus, possidebat greges plurimos, agros non paucos, in his omnibus post triticum vinumque nihil illi restabat dispensandum.

Christus Dominus verus Pater futuri sæculi, Pater inquam noster, qui minores sumus filii, & merito in Jacobo figurati, pane & vino nos itidem SS. Sacramenti stabilivit, eaque nobis contulit, ut jure concinnere queat Isaaco: *Frumento, & vino sacerrimo stabilieum. & tibi ultra quid faciam? Hoc est,* inquit Paschasius Abbas; *aperte dicere firmavi eum pane corporis Christi, & vino sanguinis, tibi autem ultra fili quid faciam?* Jam nihil restat, in hoc effudit divitias bonitatis, ac Divinitatis suæ, in hoc totos nostros consumptus in usus. O vere Deum nimium prodigum sui! O verè larga, & prodiga largitas, ubi donatus venit in donum, & datum est idem penitus cum datore! O quam merito hic quivis alter, meliore tamen mente, cum epulone gaudere, consolarique se pollet: Anima mea habes multa bona, posita in annos plurimos requiesce, gaude, epulare in omnibus bonis Domini Dei tui. Huc usque laborare oportebat jam quiesce; & dic cum Psalmista: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam.*

Pasch. Ab. de sanguine Christi c 21.

VII. D. Apostolus Paulus describens sacratissimum, profundissimumque Incarnationis mysterium, ad incitas redactum in eo fuisse Dominum insinuat: *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Tertulianus legit: *Exhausit semetipsum*, id est inanem, vacuumque reddidit, qui erat plenus gloria, & majestate, adeoque plenitudo totius entis in nihilum prope se redigit, ex Domino factus servus, ex Deo homo, ex Creatore creatura. Quemadmodum enim nomen Creatoris est, *ego sum, qui sum:* ite nomen creaturæ non sum. Omne enim esse quod habet, à Conditore suo habet, illudque incessanter à Deo accipit, in tantum ut si Deus desineret in illam influere, subtraheretque illi manum suam; illico in nihilum suum recideret. Ad hoc nihilum se abjecit, formâ servi susceptâ Dominus Majestatis. *Exinanivit semetipsum.* Quâ humilitate, quid dici, fingique potest insolentius, ac mirabilius? *Phil. 2, 7.*

Eucharistia Incarnationis extensio.

Invenit tamen sapientia Patris aliquid ultra, quod in epulo Eucharisti co dispensaret, profunderetque. Nam si in Incarnatione datus est nobis, nostram assumpturus Humanitatem, in S. Synaxi ipsam nobis contulit Humanitatem, ac Divinitatem. Si ibi formam servi suscepit; hic ad species usque panis ac vini se demisit. Si ibi unam

sibi

sibi in individuo univit naturam humanam ; hic universos sibi copulat, quotquot dignè illum accepturi accedunt. Si ibi eam sibi naturam sociavit, quæ ab omni peccati actu, & ipsa peccandi potentia extitit libertima, hic non solùm à justis sese manducari expetit; sed ipsis peccatoribus indulget. Si ibi Pastor bonus nonagesimam ovem perditam dorso imposuit, & factus est principatus ejus super humerum ejus : hic Pastor ipsemet gestatur in visceribus ovis, sæpius degenerantis in lupum. Si in Incarnatione minimis restringitur membris Deus immensus citra confusionem duarum naturarum : in SS. Sacratissimo sub pane exiguo, immo in uno prope indivisibili puncto totus coarctatur Christus ; absque eo tamen, quod quantitatis ejus partes inter se confusè permisceantur. Si per illam Deus in hunc mundum intravit, triginta trium annorum periodo nobiscum permansurus, in hoc in omne ævum nobiscum permansurus, contestante ipsomet: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Si ibi inter arcta conditus præsepia, hic inter arctiora cordis repagula resupinatur. Si ibi semel se pro nobis obtulit; hic indies millies ac millies, omni horâ, ac momento immolatur. Quis tam profusam non obstupescat dignationem ? Quis tam incomprehensam non miretur magnificentiam ?

Matth. 28. *v.* 20.

VIII. Intuendo Regina Saba cibos mensæ Salomonis, & domum, quam ædificaverat, & ordines ministrantium vestesque eorum, & pincernas, *non habebat ultra spiritum.* Exclamavitque revocato à deliquio animo: *Beati viri tui, & beati servi tui, qui stant coram te semper.* Et tamen totus ille apparatus, & luxus non nisi ex penuario vilissimo creaturam coacervatus extitit. Quo ergo stupore defixa non fuisset, si quidpiam ex Elysiis campis in eo observasset ? Vel quâ nos percelli par est admiratione, qui ad divinas nos epulas invitatos novimus, illosque participamus?

3. *Reg.* 10. *v.* 5.

Eucharistiæ excellentia.

Israelitæ in deserto aspicientes panem, nullis mortalium manibus satum, molitum, subactum extasi pleni, nec quicquam aliud pronuntiare potuêre, quam *Manhu Manhu, quid est hoc? quid est hoc?* q.d. Non capimus mysterium, non assequimur doni istius excellentiam, si à foris cernatur panis hic videtur vulgaris ; at si degustetur omnium ciborum dulcedinem complectitur. *Quid est hoc?* Et in tantum admiratio processit, ut panis ille cœlestis subinde Manna, seu Manhu insigniretur. Verùm si illi panem hunc, etsi angelicis manibus subactum, vermibus tamen obnoxium, in bonum corporis dispensatum, tantopere demirati sunt; quidni amplius stupeàmus Deum in bolo modico nobis elargiri panem non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam ; panem continentem omnem saporem, & oblectamentum suavitatis, immo & Divinitatis. Si panis ille Angelorum dictus, quod subactus manibus Angelicis ; panis iste verè divinus Dei pollice confectus. Si ille pretiosus; hic tantus, ut Numen optimum M. per omnem suam potentiam conficere nequeat eminentiorem.

Exod. 16. *v.* 15.

Haba-

Habacuc Vates certior redditus per visionem de incorporando Verbo æterno, & inter pecudes reclinando extra se raptus præ horrore mysterii expalluit, totisque intremuit artubus: *Consideravi opera tua, & expavi, in medio duorum animalium cognoscēris.* Deus qui sedes super Cherubim, resupinaberis in stramine; qui facis Angelos tuos spiritus, jam uteris famulo asino; qui reples universa benedictione, jam obnoxius eris miseriis, & maledictioni. *Consideravi opera tua & expavi.* Exigite vero an non justius nos admirari par est, ubi non semel, sed toties inter belluas resupinatur, quoties ab iniquis, & in sceleribus computrescentibus manducatur; ubi toties in præsepio coarctatur, quoties in S. Synaxi conficitur; ubi toties incarnationem suam extendit, quoties de novo fidelibus unitur.

Hab. 1. LXX.

Desistat jam ergo mirari Saba lautitiam mensæ Salomonis ex cadaveribus propè solis constructæ; desistant Judæi suum deprædicare Manna; desistat Habacuc stupere in medio duorum animalium Dominum; & hoc unicum edulium sit nobis stupori, sit admirationi. Hoc gratâ, ac memori mente recolamus, inque hujus excellentias evehendas toto animi impetu incumbamus.

§. II.

Cœna ex affectu pensatur.

IX. ATat etsi ex hoc capite cœna magna sit, maxima tamen est ex affectu. Vulgò dicitur: *Hospitis in mensa vultum non fercula pensa.* Affectus enim, & amor Convivii anima est; & quemadmodum anima corpori vitam tribuit: sic affectus convivio, ac beneficio. Unde parvum donum magno exhibitum amore, magnum donum reputatur; magnum verò cum parvo amore parvum.

Convivii anima affectus.

Quantus hic fuerit in Christo, explicat S. Joannes de hoc agens mysterio: *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Quid est istud in finem? S. Cyrillus interpretatur, quod Christi dilectio non fuerit fragilis, & remissa, sed fortis, constans, perseveransq; in finem. *In finem dilexit eos; quia non solum usque ad mortem, verùm etiam per mortem ipsam pro suis patefecit amorem: Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Christi amor nō tantum fortis fuit sicut Mors, sed supra & ultra mortem invaluit.

Joan. 13. S. Cyrill. l.

X. Quod ut pateat relegite tantisper (quoniam Sacramentum hoc memoriale passionis ipsius est) adventum ipsius, conversationemque inter nos in hoc mundo: Quo quæso ille vultu, quâ humanitate susceptus, ac tractatus? Vix ille homines inter comparuit, & illico positus in signum, cui contradiceretur; in scopum, in quem omnes injuriæ, calumniæ, probra, maledicta, machinamenta detorquerentur. Dedignati sunt Deum hominem habere homines intra se, verùm ad bestias, stabulumque amandarunt, quasi de illo enuntiatum esset, quod de superbo rege vaticinatus est Daniel: *Ab hominibus ejicient te & cum bestiis, feriisque erit habitatio tua.* Et ne illic quidem quietus degeret in stabulo, factâ conspiratione exterminare & exturba-

Christi amoris scopus Eucharistia.

Hominum inhumanitas erga Christum incarnatum.

Dan. 4.

re

re terris moliti sunt; neque dubitârunt, vel cum multorum millium Innocentum cœde recens natum perditum ire. Itaque fugiendum illi erat, quærenda latibula, quibus tegeretur, & quasi viatori declinandum in alienas terras ad commorandum. Sic cum triginta annos aut exul, aut ignotus, contemptusque exegisset prodiit in publicum, si quo modo beneficiis, procuratâque corporum animarumque salute mundum sibi devincire posset, atque ad reciprocum pellicere amorem. At heu res iteratò in diversum abiit. Ut primùm homines Deum humanum, seu humanatum conspexêre, quasi signo dato, & classico, undique in eum insurrexerunt, & quidquid pene hominum fuit, initâ conjuratione ad ipsum exterminandum convenerunt, nec prius destiterunt, quàm nefariè proditum impiè captum, in suam potestatem, quamvis volentem redegerunt; feceruntque in eum, quidquid voluerunt.

Hominum tyrannis in Christum.

Et quid quæso voluerunt; vel quid noluerunt? Cœdem, vulnera, sanguinem, omnia cruciatuum genera, & quidquid cogitatu horridum, atque immane hoc voluerunt, & Deum hominem esse noluerunt. Ipsi prius in feras plusquam rabidas mutati humanitatem omnem abjecerunt, tum Verbum divinum in tantum loris, flagris spinis excarnificarunt, ut nec esset illi aspectus, neque decor; non sanguis in venis, non integritas, sanitasque in membris, non caro in ossibus, vix pilus in capite, vix anima in corpore. Et ne quid tyrannidi ipsorum deesset, ossium iuncturis extensione in crucem divulsis ruptis, discissisque venis; pectore visceribusque perfossis, carne dilaceratâ, atque dispersâ, quod restare ex illa Humanitate poterat, ita exterminarunt de terra, ut quasi eâ haberetur indigna, & quasi veriti, ne ejus contactu conraminaretur procul in altum, ut eò rediret, unde venerat, oriens ex alto, reijcerent; neve rursus relaberetur in terram ligno affigerent; nihil pensi habentes cruciatus, probra, ignominias, sed cuncta in ludum, jocumque vertentes. O cœlum! ô terra! ô Superi & Inferi, & quidquid usquam sentit, aut sensus expers est; quis audivit unquam talia horribilia, quæ fecit nimis genus filiorum hominum? *Ier. 18.* O Sol subtrahe tuos tanto facinori radios, & vultum peplo indue, obvolvite & vos caliginum sipario sidera, & cum homines temperent à lachrymis, vos largius profundite.

XI. Quid vero in hoc rerum statu egit benignissimus mitissimusque JESUS? Numquid fulmina, Tartaraque? numquid vindictam in seros meditabatur nepotes? Numquid cum Amano totum in humanum genus Furias emittit? Ah amat. Et quemnam illum? aut quosnam tandem? Homines amat, & quidem illos, qui sic cum illo agunt. Hos amat, & ardentissimè amat, & ad mortem amat. O Charitas ô amor! ô charitas, ô amor. Illi nihil nisi de interitu cogitant, Christus nihil nisi de eorum salute, illi vitam eripiunt, hic vitam instillare intendit, illi exterminant, hic ad se blandè evocat: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos. Venite* bibite, & inebriamini charissimi, bi-

Christi amor in homines in ipsis tormentis.

Matth. 11. v. 28.

bite vinum, quod torculari crucis expressum, miscui vobis. Quandoquidem vos ita cruciatibus meis delectamini, & vivum deglutire nitimini, annuam votis vestris, & odium vestrum amore meo compensare, si non omnino extinguere adnitar. Si vos me expellitis, ego ibo parare vobis locum, si me è terra vestra excluditis, ego vos, si modo velitis, in regnum meum recipiam, eadem me cum beatitate, amore æternum fruituros. Atque ut Amor meus in vobis triumphet, illam ipsam earnem meam, quam vos ab ossibus meis avulsistis, frustratimque disjeciistis, corpus meum, quod discerpsistis, sanguinem, quem per tot tribunalia, & in ipso monte Calvariæ sparsistis, ob amorem vestri, magis magisque dispergam, nec in una tantũ urbe, aut provincia, sed per totum, quàm latè patet terrarum orbem me explicabo, & ne deinceps excludar à vobis, intra vos ipsos me ponam, vestraque intra viscera me recondam, ut quam in intimis visceribus erga vos gero charitatem, in viscera vestra effundam. En cibus sum vester, quod sub specie panis latet, quem vos videtis: *Hoc est corpus meum.* Nec me laret, quæ, & quam indigna, & vel memoratu horrida toleraturus sim sub his speciebus per multa sæcula, ab impiis, sceleratis, sagis, veneficis, Judæis, idololatris, aliisque nefariis contemptoribus, capitalissimisque hostibus, verùm hæc omnia amori meo posthabeo. Tantum vos compello, obtestorque quotquot mei estis, vel esse vultis, si quam vicem amori meo reddere inardescitis, me me intra vestra præcordia recipite, me manducare pergite. Ne verò me quærendo, inveniendoque defatigemini, efficiam, ut quam proximus semper sim vobis, ut quoquo oculos circumtuleritis, quidquid sacrarum ædium visuri estis, me in iis præsentem, immorantemque inveniatis.

Prov. 1. v. 12.

XII. O mi Deus, ô mi Jesu, quis est iste amor tuus, quam immensus, quam excessivus, quam divinus? Quis est iste amor, quo tu Deus meus lutum tuum, Creator creaturam, medicus infirmum, Salvator peccatorem complexus es? Quis est iste Amor, verè plusquam paternus, aut maternus? Quis enim parentum tam tenerè dilexit filium, ut eidem corpus suum in cibum, sanguinem in potum vel extremo famis tempore contulerit? Matres non paucas legimus grassante intra viscera fame, in propria defævisse pignora, at quænam illa est, quæ carnem brachii sui proli emorienti dispensaverit.

Quis iste amor tam immensus? Si magnus ignis ille est; quem aqua nequit extinguere, quanta Christi charitas, quam nec flumina persecutionum obruere?

Quis est iste Amor tam excessivus! Si enim in die ortus sui SS. Sacramentum instituisset, quando cœlestis militiæ exercitus illi gloriam decantabat, aut pastores, Regesque eum devenerabantur; si in die transfigurationis suæ, quando gloria, & honore coronatus apparuit; si in die gloriosæ Resurrectionis, vel Ascensionis in cœlum hoc beneficentiæ Amorisque monimentum contulisset, non ita mirum foret; verum quia in die passionis suæ

quando

quando à Juda prodebatur ; quando homines felle & aceto potare eum volebant, quando in necem acerbissimam conjurarunt, id instituit: *in nocte in qua tradebatur* contulit , quis non obstupescat?

Quis est iste Amor tam divinus! Si aliunde non cognovissem Jesu Divinitatem , ex hoc solo Amore assequerer. Neque enim tam ineffabile mysterium instituere potuisset, nisi brachium Dei fuisset, nec invenire nisi Sapientia Dei, nec conferre nisi ipsa Bonitas immensa fuisset.

Quis est iste Amor ? Hœreo, stupeo, deficio. Neque enim mens ulla humana vel angelica ipsius sublimitatem attingere potest. Appellate quoquo vultis ad Cherubinos Seraphicosque choros , in expendendo hujus amoris pondere deficiunt , in contemplando ejus excellentia vultum suum obnubere coguntur.

Ingratitudo humana arguitur.

XIII. Vah & tam deditissimum, tam affectuosissimum , tam divinum Amatorem, homines vel humano, id est tenuissimo affectu redamare detrectant. Quid dico etiamnum tantam bonitatem , tantum amorem sceleribus suis irritare non verentur. Eheu video passim, ut olim, ita nunc rursum *in semetipsis crucifigentes filium Dei , & ostentui habentes.* Eheu audio passim temerare , ac blasphemare sanctissimum nomen hujus adorandi mysterii! Audio non nisi Doctore Sathanâ, aut juratissimis Christi hostibus per Sacramenta , id est fontes gratiarum omnium, mala quævis apprecari; iram, furoremque suum effundere, Divos omnes impie lacessere. Audio, video, palpo, quod quò insignior Amor, Bonitasque Christi Domini Dei nostri in nos redundavit, eo exadversum deteriorem ab hominibus exerceri ingratitudinem, solâque malitiâ cum immensitate Amoris illius concertare. Ah non hoc satis est, ut amplius de nobis, quam olim de Judæis conqueratur: *Filios enutrivi, & exaltavi, illi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui , Israel autem me non cognovit , & populus meus,* (Christianus) *non intellexit.* Si enim intelliserent , non utique tam graviter eum offendissent , sed amore ipsius conflagrassent. An non hoc satis est, ut defectio pro peccatoribus teneat me, ut animo linquar, immo & vita ipsa. O redite, redite peccatores ad cor , quod à tam amabili Domino avolare feciistis. Redite, redite, & cui omni jure debetis amorem , petenti reddite.

Isa. 1. 2.

Heb. 6. 6.

Affectus Amoris.

XV. O quis mihi det ut convertam corda hominum perversorum in filios, ut impendar, & super impendar amore ipsorum. O quam libenter darem cor meum in minimas etiam particulas, & atomos discerpendum; quatenus totidem corda pro Christo amando lucrari possem. O quam libenter omne genus pœnarum cum gratia tua admitterem , modò vel unicum peccatum, disgustumque amabilissimi cordis mei Jesu impedirem. O quam ambio mi Jesu , ut ipsorum defectum amore meo suppleam. Utinam, utinam omniũ Sanctorum, sanctarumq; mentium amores simul sumpti, in cor meum, quantumvis angustum, & exile

diffuderentur, ampliarenturque, ut ita omnium præcordiis ac affectibus te Deum meum sic immensum amarem! Profectò si in mea foret potestate habere omnes possibiles voluntates meæ unitas, iis omnibus te amarem, tibique debitum gratitudinis censum pro tanto persolvere beneficio conarer. Verùm quoniam hoc totum nihil esset dignum amore tuo, peto ut tuomet corde in nobis, & pro nobis te diligas, corque nobis tuum dones, quò te pro merito amemus; & complectamur; ea nimirum infinitâ perfectione, quâ te ipsum amas.

XVI. Supplico à te idipsum pro omnibus præsentibus, & imprimis de hac sacratissima mensa participantibus. Tuum illud oraculum est: *Vbicunque fuerit corpus illic congregabuntur & Aquilæ.* Ecce hic est corpus tuum sacrosanctum, fac ut secundum verbum tuum ad illud congregentur omnes sicut Aquilæ.

Iob. 39. v. 27 & 28. De his differit Job: *In arduis ponit nidum suum, in petris manet, & in præruptis silicibus commoratur, atque in accessibus ruptibus, inde contemplatur escam, & de longe oculi ejus prospiciunt.* In arduis adolescunt & istæ Aquilæ tuæ, animæ nimirum justæ, in silice & saxis non in violis requiescant & inde prospiciant hanc escam, & ubi fuerit corpus summa cum devotione, ac propensione congregentur.

De illis testantur historiæ, quod tantopere nutrices suam dilexerint, ut cum illis potius cremari elegerunt, quam vivere sine illis. Ament & istæ tuæ te Aquilæ, eligantque potius emori, quam vivere sine te; pudorque illis sit non æmulari brutas illas in dilectione tui, qui proprio nos corpore & sanguine alis in vitam æternam.

O, ô, ô quis mihi dabit pennas non ut Columbæ, sed ut Aquilæ & volabo ad hoc sacratissimum corpus, contemplaturus escam tanta cum magnificentia, tanto cum amore apparatam. Tanta cum magnificentia, ut nihil omnino Numen in thesauro Divinitatis suæ retineret, quod in ea non profunderet. Tanto cum amore, ut vel in extremis suppliciis torculari crucis suæ dulcedinem ipsius exprimeret!

Tu, tu ô diviniſſime Conditor, instructorque hujus tam stupendi convivii, tu Amator hominum profusissime, tu Aquila magnarum alarum id est immensæ charitatis, quæ tulisti medullam Cedri id est crucis tuæ, nobisque communicasti, tu pennas affectuũ intensissimorum, Seraphicorumque suffice, & volabo ad corpus tuum sacratissimum, & requiescam Amen. Fiat.

CON-

CONCIO XXXII.

IN DOMINICA III. POST PENTECOSTEN:

Erant appropinquantes ad JESUM publicani, & peccatores. Luc. 15.

ARGUMENTUM.

ASYLVM PECCATORVM.

I. SAcrosancto Romanorum plebiscito firmatum erat, ut filius parricidii reus in culeum vivus insutus in flumen unâ cum cane, & angue præceps deturbaretur. *Aud.* Orator ipsorum ac Pater Patriæ nuncupatus Cicero expendens hanc legem scrutatur scitissimè originem, ac causam, cujus ergo hoc supplicio satius, quam ullo alio afficiendum decreverint. Quid enim est, quod eum feris dilaniandum non objecêre, quatenus intra viscera eorum sepeliretur, qui parentis viscera impiè rimatus esset? Cur vivum terræ infodiendum non decrevêre, ut in matris omnium utero, per summam violentiam spiritus ejus interciperetur, cujus maleficio nefando parens ipsius expirasset? Cur eumdem alligato ad collum saxo in flumen non egêre præcipitem, ut vel sic sanguinem dilueret, quo se contaminaverat? Cur Mezentii, aut Phalaridis non plexêre supplicii, ut vel ignibus expiaretur, aut in frusta medius distraheretur? Cur hoc pacto in eos animadverterant, ut eorum ossa terra non tangeret? Cur ita fluctibus jactabantur, ut nunquam abluerentur? Ita ejicerentur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescerent?

Cic. pro Roscio.

Respondet ad id, sanctissimè constitutum fuisse, ne ullum hac ratione elementum à parricida nefandissimo contaminaretur. Noluerunt, inquit corpus feris objicere, ne bestiis quoque, quæ tantum scelus attigissent, immanioribus uteremur; non sic nudos in flumen dejicere, ne cum delati essent in pelagus, illud polluerent, quo cœtera, quæ violata sunt, expiari putantur. Vim quampiam, ac maculam elementis affricaturos rebantur, si nudos ulli concredidissent. Horret ac refugit natura parricidi scelus, & contra idipsum in vindictam assurgeret, ultura maculam, si fortè impium eidem excruciandum commisissent. Catè hæc satis ab ingenio quantumvis superstitiosæ gentilitatis cataclysmo involuto disputata.

Parricida pœna.

Verum quod ille de uno parricidii crimine disseruit, id ego omnibus pro-

prium flagitiis enuntio. Conferta acie omnis creatura in peccatorem desævit, ac loricatur; & ne aut communione quapiam contaminetur, aut justum de impiis, tanquam in communem parentem reis exigit supplicium: *Creatura tibi Factori deserviens, excandescit in tormentum adversus injustos.*

Sap. 16. 24.

Amb. 66.

De Core, Dathan, & Abyron scribit D. Ambrosius: *Abripiuntur noxii, & ita ab omnibus mundi hujus elongantur elementis, ut nec aërem haustu, nec cœlum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulchro.* De aliis itidem elementis ac creaturis constat, quod cum eas in obsequium hominis Author naturæ condiderit innoxias, contra prævaricantem universas inimicari, & ex rerum natura impium proscriptum ire. Hinc tellus, nisi benignitate Numinis infrænaretur actutùm vivos absorberet, ad orcum ablegatura; aër pestilenti afflatu à se repelleret; ignis excoquere in unam cineris massam festinaret, caro ipsa inhospitanti animæ gravissima quæque tormenta moliretur. *Creatura tibi Factori deserviens excandescit*, &c. Quas tu peccator extremè deperis; illæ te extremè perditum eunt. Quò igitur te tandem recipies? ubi securum in tantis periculis nanciscéris refugium? Erige animum, & ausculta.

NARRATIO.

II. Ubi ubi gentium Clementia sibi architectata est regnum, ibidem itidem Asylum. Apud Græcos erecta erat Ara misericordiæ, à qua neminem violentus lictor abstrahere poterat, & ne posset, inscriptio cavit; *hæc ara tuebitur omnes.* Romulus quoque sceleratissimis quibusque Asylum Romæ constituit, seu locum, ubi impietas omnis, (si eo se recepisset author suus) extra ferrum esset, & vulnerum dolores, & moriendi necessitatem.

Pausan. l. 1. in Atticis.

S. Aug. l. 3. de Civ Dei c. 34.

Ex quo autem Gentilis Roma in Christianam abiit, illud vetus Romuli Asylum Pontificia authoritate in templa translatum est, ea conditione, ut nulli illuc confugientium vis intentaretur; sed quemadmodum populus Israeliticus Civitatibus Refugii à Josue ordinatis gaudebat; ita Christianus à Jesu vicariis definitis.

Num. 35. 6.

Sunt insuper alia Asyla, quæ sibi magno numero struunt homines impii; tot nimirum, quot fulcra erigunt stabiliendæ suæ improbitati.

At at nullum securius, nullum tutius, quam in sinu, atque amplexu Christi Jesu. Hic peccatores recipit, & tuetur, fugientes insequitur, de inventis gaudio triumphat.

§. I.

Christus peccatores recipit.

III. SAcer textus deprædicaturus faustissima Jessei Regis regni auspicia, hæc non nisi fundamenta illorum statuit: *Convenerunt ad David omnes, qui erat amaro animo, & in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & ipse eos recepit, factus eorum princeps.* Hæc erant fundamenta regni, ac soliti toto orbe celeberrimi. His fretus David extulit fasces, & Solymarum obfirmavit, erexitque imperium. Ego rebar sacrum Hystoriographum illud celebraturum à multitudine populi, siquidem: *In multi-*

Davidis regni auspicia. 1. Reg. 22. 2.

Prov. 14. 28. *multitudine populi dignitas regis.* Vel à multitudine divitiarum, ac thesaurorum. Non belle enim fulget majestas, nisi auro incrustata; aut valido numerosoque septa exercitu. Vel à rerum scientia. Quippe tunc belle regna administrantur, quando aut Philosophi regnant, aut reges philosophantur. Ecce verò audio in solis miseris, afflictis oppressis solidatum. *Convenerunt ad eum omnes* &c. Qualia quæso sunt hæc regni auspicia? Itane protegere oppressos, consolari afflictos, subvenire miseris regium est? Itane non tam armis, quam clementiâ, ac munificentiâ fulcitur solium? Itane non tam auro quam centonibus effulget purpura? Ita sane, si ullum unquam, tum imprimis regnum David his primordiis ad summam amplitudinem, majestatemque assurrexit. *Convenerunt ad David omnes qui erant amaro animo.*

Quod si causam hujus mysterii profundiùs scrutati fuerimus, inveniemus hisce auspiciis, tanquam rudioribus lineamentis benignissimum Numen adumbrare voluisse regnum filii sui, filii David in eo consistere, quod omnes in angustia peccati constitutos, omnes à diabolo oppressos, omnes qui amaro, seu contrito futuri essent animo recepturus esset. *Hic peccatores recipit.* Ostendere voluit hoc typo Filium suum in hunc finem missam in mundum, ut dispersos colligeret, errantes reduceret, captivos in veram libertatem assereret, emortuos vitæ redonaret. Manifestare in parente, quod Nepos facturus esset, nec pomum regium à proprio stipite procul casurum. *Hic peccatores recipit. Nec venit vocare justos, sed peccatores.*

IV. Prævidisse in Spiritu creditur hoc Asylum idem Rex & Vates, quando felicitatem nonnullorum animalium admirans cecinit: *Petra refugium Herinaceis.* Vel ut S. Augustinus, & Chrysostomus legit: *Leporibus, & herinaceis.* Nam quis iste herinaceus, & unà lepusculus timidus; nisi peccator spinis peccatorum obsitus, & semper mala præsumente perversa conscientia pavidus? Vel quod refugium ipsorum præterquam Petra foraminibus in manibus, pedibus, pectore plenissima, Christus Dominus? Hic ô peccator universa creatura tibi Lethum intentante, frementibus, ac furentibus procellis, detonantibus desuper nubibus, terra sub pedibus nutante, orco in pernitiem tuam rictum laxante, si te receperis Asylum invenies. Hic patent ostia, per quæ intrare valeas, quò abscondaris a furore Domini. Hic peccatis tuis contra te vindictam inclamantibus, vocem non modo non reverberat Echo ultionis; sed voce sanguinis altiùs intonante omnino obtunditur. Hic si abscondi in tempore noveris, in tempestate ingruente tutus eris. Hic si rite crimina prioris vitæ detesteris, audire poteris illa à Filio David verba consolatione exundantia ad Abiathar pusillanimem prolata: *Mane nobiscum ne timeas, si quis quæsierit animam tuam, quæret & meam, mecumque servaberis.* Jungere mihi constanter, ac medullitus, & hostis tuus futurus est hostis meus, securitas mea securitas tua, salus mea salus tua. *Ne timeas:* Si ex te non habes unde salveris, ex meritis meis id participabis. Si ob tua demerita mortis es reus, ob meam

Christus | Asylum. Psal. 103. v. 18.

2. Reg. 22.

meam innocentiam vitæ æternæ es candidatus. Si crimina tua Patris mei præcordia proritant ad Nemesin, submissio mea inflammat ad amorem. Ne timeas magis abhinc diligendus es à Patre meo propter me, quam sis odio habitus propter te.

V. Quod si etiamnum hæreas pusillanimis adhibeo hujus inauditæ clementiæ testem incorruptissimum D. Paulum. Edicat ille, quid sentiat: *Fidelis*, ait, *sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus IESVS venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Fidus, certus, & indubitatus, & cum omni studio, & debita gratiarum actione acceptandus est hic sermo, quod Christus peccatores recipiat, & ad eos salvandos è sinu patris descenderit. Sumo testimonium ab omnibus qui prope conclamatâ spe veniæ ad vitam immortalem assurrexerunt. Edicant hi cujus præsidiis tecti, cujus gratiis indemnes, ac sospites servati. Edic primipila pœnitentium Magdalena à septem immundissimis, ferociss imisque obsessa hostibus, & mancipata tyrannidi, quis te vitæ redonatam meliori in libertatem asseruit? Dicit: *Hic peccatores recipit.* Edic Coryphee Apostolorum, cecidisti graviter à fœmina evirata semel iterumque prostratus, negasti, quin & blasphemasti impiè Filium Dei, factus eras de principe subditus, de petra excetra, de sidere Luciper, quis te cadentem erexit, prostratum in prioris subsellii dignitatē asseruit, desperatum ad novam vitam animavit? Dicit: *Hic peccatores recipit.* Edicant alii Publicani, & peccatores, prodigi, adulteri, venefici quotquot exutis tenebris lucem Evangelii ac regni cœlestis conspexêre, quis illis lumen infudit, ut errorem agnoscerent, quis vires suffecit, ut in viam redirent justitiæ, quis ad Patrem misericordiæ prodigos reduxit? Dicunt, ac contestantur universi: *Hic peccatores recipit*, & eum qui venit ad illū non ejicit foras. Hic profligatissimos quosque & suomet sanguine tinctos ad se recurrentes fovet, ac amplectitur. Hic offensus donat veniam, injuriis affectus cumulat gratiâ, vilipensus offert gloriam. Quis tantam non stupeat clementiam? Quis tam inauditam non deprædicet misericordiam? Quis non reciprocet affectum, & gratitudinem.

1. Tim. 1. 13.

Christi Clementia.

VI. Fingite quæso sicarium quempiam violentas regis filio manus intulisse, ejus sanguine imbutam dexteram, aut sicam etiamnum cruentam circumferre, & eapropter universum regnum in flagitiosissimum parricidam inquitere, vindictā, ac extrema meditari supplicia, nec ullum latendi locum extra palatium regis ipsius parentis, vel etiam extra ipsum conclave læsi lethaliter regis filii superesse. An existimatis in eo fore tutum? in spem veniæ inibi venire posse, illum ipsum parentem in cujus natum truculentùm lævierat, aut ipsum læsum filium Asylum exhibiturum? In arcano conclavis sui angulo recepturum, protecturum, illi patrocinaturū? Ægerrimè id vobis de ullo mortalium persuaserit quispiam, quorum natura heu nimium prona ad vindictam, ac rabiem. Sola hæc domini Dei nostri clementia, sola Davidis Regis nostri mansuetissimi benignitas est, ut cum nos manus in sangui-

sanguine ejus inquinaverimus, & idcirco omnis creatura circa nos loricetur, inferi ad nos devorandos rictum diducant, superi fulmina intentent, ipse nos in abscondito faciei suæ à conturbatione, & invasione creaturarum inumbret, vindicet, vim propulset, indemnes conservet. O quàm bonus Israel Deus etiam iis, qui non recto sunt corde! O nimiùm mitis animi placabilem parentem!

VII. In veteri Testamento nonnunquam familiarius conversatus est Dominus cum justis hominibus, sed tanta cum gravitate, ac majestate, ut eum nec intueri fas esset, nec ad eum appropinquare. Arca illa Testamenti in qua tanquam in umbra Numen habitabat, tantæ majestatis erat; ut non nisi summo Antistiti indultum esset, semel in anno ad illam ascendere. Cum eadem per Iordanem tranduceretur; cautum cœlitus erat, ut spatium cubitorum duorum millium intercederet inter illam, ac populom, quatenus quidem illa duce nossent viam; nemo tamen accedere præsumeret. Eam cum propius accessissent, aut etiam curiosius intuiti essent Philystini, occisi sunt septuaginta principes, & quinquaginta millia de populo Bethsames, ideoque exululavêre: *Quis poterit stare in conspectu Domini sancti hujus?* Et cum Dominus ascendisset in montem legem laturus ait: *Cavete ne ascendatis in montem nec tangatis fines illius; omnis qui tetigerit montem morte morietur.* Nec id mirum cuipiam videri debet. Nam si lege Manlianâ cautum erat apud Assyrios ne quispiam Regem nisi vocatus accederet; si nemini indultum erat Assverum accedere, nisi virgam clementiæ extendisset supra eum; an ad ingenerandam rudi populo æstimationem divinæ Majestatis eminentiorem, idipsum præcipere consultum non erat?

Ios. 3.

1. Reg 6.

Exod. 19.

Verùm in Novo Testamento apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri non jam in cœlo sed in terra, non jam supernis spiritibus sed hominibus bonæ voluntatis; ut jam non recedere jubeantur, sed accedere; non elongari sed appropinquare. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*, & ego recipiam vos. *Hic peccatores recipit.* O vocem amicam! ô vocem omnis gratiæ ac humanitatis! ô vocem pietatis, ac misericordiæ. Matth. 11. 28.

Utinam, ô utinam in extremo agone luctantis animæ hæc vox insonaret in auribus meis. Utinam mihi concederetur tuba argentea in tantum animata sono, ut in omnium peccatorum auribus reverberaretur: *Hic peccatores recipit.* Utinam mihi spiritus ille, ac tuba eveniret novissima nos universos è pulvere mortalitatis excitatura, quatenus in toto exaudiar mundo insonans: *Hic peccatores recipit.* Hic non venit vocare justos, sed peccatores. *Hic illis* misericordiæ suæ viscera exhibet, sinum pietatis aperit; accedentes benignissimè complectitur. Nolite itaque confidere terræ, ne vos, ut quondam Core, Dathan, & Abyron absorbeat. Nolite confidere pelago ne fluctibus perinde ac Pharaonem cum exercitu suo, & orbem universum, demptis bis quatuor animis involvat. Nolite spes vestras ponere in aëre, ne contagione

pestilentiæ inficiat. Nolite perperam creaturis adhærere, ne tandem excandescant in tormentum adversum vos. Si omnia vobis interitum machinentur, hic recipit, & quantumvis supra capillos capitis numerus criminum ascendat, pœnitentes à se neutiquam excludit.

§. II.

Christus fugientes quærit.

Christus quærit fugientes Dionys. Ar. Ep. ad Demop.

VIII Quid ajo non excludit? recino quod dixi. Etiam summa cum alacritate illos præstolatur, indefessoque studio illos venatur; stat foris & pulsat quatenus aditum apud obstinatissimos quosque obtineat.

Miratur hunc Domini zelum Dionysius Areopagita, & stupore ac extasi plenus exclamat: *Quid quod à se aversos ac resilientes amatorie sequitur, contenditque ac deprecatur, ne se deserant ii, quos tanta vi amoris inquirit?* Quid quod deliciis resolutos, ventri deditos, Mammonæ obnoxios benignissimè tolerat, immo promissionibus allectat, casibus relevat, minis cogit ad se appropinquare. Quanta hæc bonitas, quanta clementia ac dignatio!

IX. Ad eam devolutus erat malitiam populus Israeliticus, ut cervice erecta Domini sui jugum moliretur excutere, diceretque: *Erimus sicut gentes, & cognationes terræ, ut colamus ligna, & lapides.* Non serviemus Domino, nec mandatis ejus obtemperabimus, nec hostias ultra litabimus illi; sed convertemur ad lapides, & ligna. Hæc erunt Numina nostra, hæc invocabimus, hæc adorabimus, his vota dicabimus, his vovebimus hostias.

Ezech. 20. 32.

Quid ad hæc Dominus? Num extemplo prout merebantur ex albo electorum suorum expungit? Num fulminibus quarit? num ad Tartara deturbat? Audite bonitatem Domini Dei nostri: *Vivo ego dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti, & brachio extento, in furore effuso regnabo super vos.* Vos meditamini fugam à me, ego insequar fugientes, apprehendam titubantes, cogam reluctantes. *Non relinquam* vos (scribit S Hieronymus) *neque contemnam, ut fugaces servos Domini negligentes solent contemnere*; sed ad meum retraham imperium, & brachio extento in pristinam redigam servitutem, & regnabo super vos, ut velitis nolitis me regem habeatis. *Vivo ego dicit Dominus*, &c. Ego vos plantavi in gloriam meam, & vos alteri extra me mancipare nitimini; ego id haud feram, gloriam meam alteri non dabo. Ostendam vos esse opus manuum mearum, & regnabo super vos. Et numquid Deo interest nostra, aut quidpiam commodi ex illis perversis Judæis, perinde ac ex mancipiis Dominorum terrestrium in illum redundabat? Nihil minus. Sola ipsius bonitas illum movit, sola dignitas, ac justitia ad id, quod suum erat, retinendum impulit.

Ibid.

S. Hier. h. l.

X. Non minus stupendus est casus in Ariolo Balaam signatus. Venit hic evocatus à rege Balaac ad fulminandum populum Dei, & ut ab inferis ediceret modum effingendi fulmina, diraque ac furias effundendi, arripit virgam, circulum circinat, dæmonem adjurat, Eumenides incantat. Crediderat hic certo certius Megæram quampiam ex abysso putei infernalis advo-

advolaturam, resonsuramque. Cum enim vel non invocata acceleret, an adjurata venire detrectabit? Heu nimiùm pronus est Orcus nostrum ad interitum! Nihilo minus quæ domini Dei nostri clementia, ac bonitas est capistrato Tartaro, ipsemet nec advocatus quidem adfuit. *Respondit illi Deus* ait sacer textus. Quis ille? *Non is qui rogatus fuerat* (interpretatur Theodoretus) *sed is, quem ignorabat.* Ah quoties idipsum nobis evenit, ut Orcum in ore circumferamus, immo millenos, ac myriades dæmoniorum invocemus, aut aliis imprecemur, nec tamen Diabolus, sed respondet nobis Deus. Tu optas, & imprecaris alteri malum à Sathana, Numen immutat diras tuas in bonum ipsius, ex tuo veneno confi-cit ei theriacam omnium nobilissimam, ac efficacissimam.

Deus non exoratus adest. Num. 22. Theod. q. 40. in l. Num.

XI. Omnem verò admirationem superat (ut alia mittam) prodigium Bonitatis divinæ homini extremè siderato exhibitum. Is incassum Orco in vota evocato Numen ipsum in coronidem impietatis suæ ad duellum evocare ore suo sacrilego præsumpsit. Quis hic non expalluisset de cœlo fulmina improbum conquassatura caput? Aut quis non esset ominatus ex gehennalis incendii clibano flammas evolaturas, aut Numen alia ratione nomen suum vindicaturum?

Paulus Barri in Anno sanct.

Urianus apud Balduinum recenset ab alio itidem emotæ mentis homine idem scelus attentatum, & sibilasse Dominum mussæ, quæ nec quicquam inferior Davide, superbum hunc, ac minitantem cœlo Goliathum ex equo deturbatum, sibilis, salibusque præsentium exposuit.

Vrian. in Iob. c. 15. v. 25.

De alio supparis blasphemiæ, ac dementiæ monstro perhibent alii, ipsum felleo in superos corde motũ, tonante cœlo, præcepisse famulis tela telis retundere, & sua retorquere æneis fistulis fulmina. Renitentibus ipsis, illemet sclopum, quem apprehenderat ejaculatus est, sed suo damno ac interitu. Ut discant impii revereri, & non temnere Divos. Quippe ictus fulmine disparuit, nuspiam nisi fortsitan in Tartaro visendus.

Quis hæc pariaque non timuisset eventura scelesto nostro capiti? Sed est apud Deum misericordia, & justitia, est tempus miserendi, & vindicandi. Non abnuit duellum infandũ. Numen, pudori sibi duxit, evocatum non comparere. Sed quo putatis eventu? Nos insultamus inferioribus, opprimimus, conterimur, quantum in nobis est adversarios nostros, demergimus si fieri posset, vel in cochleari aquæ. Quid Numen tremendum, & adorandum? Immo quid adhæc effrons peccator? Apparet Dominus in nube lucida, propriusque, ac propius accedit. Nec etiamnum miser homuncio percellitur, quin & insultat, gladium stringit, sclopum jam jam explosurus adaptat. Quid hic mirer an scelus, & dementiam hominis; an infinitam, incomprehensamque Numinis patientiam, ac bonitatem, latet. Nube propius admota, haud alia vibrat fulmina, præter spicula amoris. Quippe apparuêre mox illi in nube exaratæ hæ plenæ pietatis, ac gratiarum literæ: *Miserere mei Deus.* Quibus

Exemplum divinæ clementiæ singulare.

perlectis extemplo miſer proſtratus in terram ſe victum faſſus eſt, identidem ingeminans: *Miſerere mei Deus. Miſerere. Miſericordias tuas Domine in æternum cantabo*, quod me indigniſſimam creaturam tuam ex infinitæ miſericordiæ tuæ exceſſu æternum non damnaveris. O viſcera miſericordiæ infinitæ, quod me allatrantem canem in miſerationibus æternis ſuſtinueritis. Fateor abominandum ſcelus meũ, quod deteſtor, ac defleo, non alia de cauſa, quam quod te ſummum bonum meum irritaverim, &c. &c.

Exclamare & ego cogor cum Mellitiſſimo Patre: *Domine quis ſimilis tui, quis non ſtupeat charitatem Dei ſpreti, & revocantis.* O flammam intenſiſſimam, quæ vel chalybea edomet præcordia; vel Scythicum diſſolvat gelu, vel glaciem duriſſimam fervere faciat! *Quis non ſtupeat charitatem Dei ſpreti, & revocantis.*

S Bernard. in Cant.

Si Magnatum quiſpiam viliſſimam terræ filiam multis annis inſequeretur, plurimiſque excogitatis adinventionibus ad ſui dilectionem trahere niteretur, mirum id valde eſſet, atque inauditum, quantum iſtud Monarcham univerſi Deum cœli, & terræ, mancipium diaboli quærere annis plurimis, ad ſui amorem perditam Æthyopiſſam inclinaturus. Excedit id omnem fidem, atque intellectum humanum, nec tam prudentis, quam inſipientiſſimi Amaſii facinus eſſe videtur. Et tamen quæ Domini Dei noſtri clementia eſt, ipſe ſpretus, & illuſus viliſſimũ, indigniſſimumq, omni gratiâ homuncionem procatur, nec dum illi vita ſuperſtes ad ſui pellicere amorẽ deſiſtit.

Chriſti zelus in ove quærenda.

XII. Hunc Domini zelum nobis hodierni Evangelii lectio in bono paſtore ſpectandum exhibet. Ille enim eſt Paſtor ille, qui perditâ ove unicâ ex centenis, nonaginta novem relictis venit quæſitum eam, quæ perierat. Ille eſt, qui lapſis in peccatum perduellibus ſpiritibus, & cœlo perinde ac deſerto reddito, relictis ibi reſiduis ovibus, id eſt Angelis deſcendit perditum quæſiturus hominem. *Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*; ait Doctor Gentium. Fugit Deum homo, fugientem hominem Deus pro ſua infinita miſericordia, ne ſe in æternæ damnationis præcipitet barathrum inſequitur. Niſi enim is inſequeretur, niſi is revocaret, niſi patientiâ, ac longanimitate reduces præſtolaretur actum de nobis eſſet. Eheu quot jam ardent mihi noti, & amici, ardebuntque in æternum, & vel me peccatorem etiamnum quærit, & ad pœnitentiam revocat. Nonne hoc eſt relinquere nonaginta novem, & quærere ovem, quæ perierat? O Miſericordia mea, ô ſalus mea, ô redemptio mea, profiteor me tantum obſtrictum pro hac dilatione, quantum ſi de facto ex Orci faucibus extractus fuiſſem. Erat (miſerum me!) officium meum te indies offendere, tuum (quæ pietas?) in momenta revocare. Longè eram â te, & non pepercisti tibi, quominus quæreres me. Ego injuriis in te, tu in me beneficiis agebas. Ego fugiebam, tu ſequebaris, & perinde ac dilectum inclamabas: *Revertere, revertere, ſuſcipiam te.* Sint benedicti greſſus tui, ac viæ tuæ, in quibus me quærebas, ſit benedicta patientia tua, quâ

Hab. 1.

quâ me resipiscentem præstolabaris; sit benedicta hora, qua reserata est porta gratiæ, & auditum: *Hic peccatores recipit.* Hic quærit ovem quæ perierat, qui quondam ut Leo rugiet. Hic quærit, qui tandem ovibus datum dexteram, hædis autem sinistram. Hic quærit in tempore, ne fulmine à se in æternitate.

§. III.

Christus triumphat de ove inventa.

Christus gaudet de peccatore converso.

XIII. IAm me in auge constitisse arbitrabar, nec superesse quod tantæ adjicerem charitati. Altius me tamen promovet Evangelii lectio, quum dicit: *Et cum invenerit imponit in humeros suos gaudens, & veniens domum convocat amicos, & vicinos dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.* Nam quamvis illi salus nostra tanti constiterit, magis tamen de salute nostra lætatur, quam de labore, ac morte sua fuerat solicitus. Non quod divinæ bonitati aliquid inde obveniat: (*Quid enim prodest Deo si justus fueris, aut quid conferes ei, si immaculata fuerit vita tua?*) sed si accedere posset illi Oceano deliciarum gutta quæpiam lætitiæ, vel exinde deflueret, quod summam suam miseris communicet bonitatem, & mereatur de iis, à quibus spretus, ac desputus fuerat.

Ibid. v. 5. 6.

Iob. 22.

Laborare, ac desudare dicitur Dominus in sustinendo peccatore (*Laborare me fecisti in iniquitatibus vestris*, ait ipse per os Malachiæ Prophetæ) jam verò per pœnitentiam peccatore onus criminum suorum decollante, quiescit, gaudio triumphat, sabbathum celebrat. *Imponit in humeros suos gaudens.* Et quam gravem olim senserat in eo quærendo sarcinam crucifigentis; tam levem, & amabilem ducit sarcinam resipiscentis.

Mal. 2. 17.

Christus triplus argumento probat gaudium ex conversione.

XIV. Hanc lætitiam efficacissimè probaturus triplici ad convincendum intellectum nostrum utitur argumento. Primò enim sumpta de pastore parabola ait: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad eam quæ perierat, donec inveniat eam?* Et si invenerit imponit humeros suos gaudens, & veniens domum convocat amicos, & vicinos dicens illis: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.* Ex quo antecedente consequens hoc infert: *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo, super uno peccatore pœnitentiam agente.* q. d. Si ille pastor inventâ unâ oviculâ suâ tantis incedit lætitiis, qui laborem illi modicum impendit; ut devellere ejus lucrum accipiat, aut de carnibus ejus exaturetur; ego qui sanguinem meum pro iis effudi, qui eas propriis meis carnibus saginavi exporrigere in gaudia frontem non debeo? Si ille invalescit gaudio de pecore sibi in usum indulto, an me de homine, à me condito in gloriam meam, emortuo in peccatis, & jam redivivo justius non est triumphare?

Luc. 16.

XV. Alterum desumit ex comparatione minoris commodi ad majus; dicens: Quæ *mulier habens drachmas decem*, &c. q. d. Drachma est res exigua, ac minimum pretium, & nihilominus mulier quæpiam, si perditam invenerit, exilit gaudio, divulgat lætitiam,

tiam, ad sympoſium hilaritatis cogit ſocias, & vicinas. Ego qui hominem Numiſma meum ad imaginem meam excudi, animi mei gaudia non conteſtabor? Nonne æquius eſt de aureo numiſmate invento exultare, quam da plumbeo?

XVI. Tertium argumentum in eodem capite S. Lucæ mox ſubdit de Filio prodigo, profligatâ ſubſtantiâ ſuâ ad patrem redeunte; & ab eodem inæſtimabili animi geſtientis tripudio excepto. Quod ſi itaque carnalis parentis viſcera exultant ſuper degenere filio ad frugem ſe recipiente, cœleſtis Pater non commovebitur de filio in ſpiritu gratiæ priſtinæ redonato? Comitantur enim ſeſe invicem gaudia, & ubi majus lucrum, ibidem & gaudium feſtivius invaleſcit.

Hæc ſunt mirabilia, hæc prodigia divinæ pietatis, quæ in hominis peccatoris converſione operatur. Non tantùm appropinquantem ſuſcipit; ſed & elongantem à ſe requirit, & cum jubilo inventum reducit. Revocat enim errantem, invitat repugnantem, expectat torpentem, amplexatur redeuntem, gaudet ſuper pœnitente, triumphat in conſtante. Quis hæc non ſtupeat? Quis ad ea miſericordiæ prodigia in ſpem non erigatur? Quis tantæ Bonitatis Numen non colat, ac deveneretur?

Dei definitiones variæ.

XVII. Definiat hic mihi quiſpiam ad ani i ſui placitum: Deum eſſe ſphæram, quæ inſtanter volvitur & in ipſa revolutione jugi gaudet quiete. Veniat alter dicatque: Deus eſt fons ſe ipſum generans, & in orbem largiſſimo beneficiorum profluvio exundans. Vel eſt mare interminum, & nulla ingenii cymbâ trajiciendum; in cujus attributorum ſinibus, quò quis ultra carbaſa ſua laxat, eo minus ſe enavigaſſe deprehendet. Accedat tertius, ſuamque ediſſerat ſententiam: Deus eſt, cujus nutu rotantur imperia, cujus nictus ſceptra ac orbes, non ſecus ac pilas quaſpiam reciprocat, & purpuras in centones commutat. Deus eſt qui verbo unico terræ molem in cardinibus ſuis conſtituit, cœlum in fornices arcuavit, elementa ſuo quævis loco concinnè diſpoſuit, univerſa ex chao ſui nihili eduxit. Dicant, decidant, definiant alii, ut ut velint, mea eſt, quæ Davidis ſententia: *Deus noſter Deus ſalvos faciendi.* Deus cui proprium eſt miſereri & parcere; quærere & ſalvare. Deus meus eſt qui peccatores recipit, qui non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. Hic Deus meus eſt ſine qualitate bonus, ſine quantitate magnus, ſine ſitu præſens, ſine habitu omnia continens, citra locum ubique totus, citra tempus ſempiternus, citra ullam ſui mutationem mutabilia operans, citra ullum terminum miſericordiam ſuam diffundens. O verè bonum, ô verè amabile, ô verè pietatis ac miſericordiæ inexhauſtum Numen, *Pſal. 67. v.*

Si ergo tunc erant appropinquantes ad JESUM peccatores, & publicani, & tu ocius Deo tuo approxima, ante thronum gratiæ ipſius provolvere, ut miſericordiam conſequaris, & gratiam invenias in tempore opportuno. Hic audis, peccatores recipit, & quærit, quos in altera vita reprobatos fulminat. Hic in vita te præſtolatur, quem poſt mortem ultro accedentem ſuum

non agnoscit. Hic largissimè gratiam offert, quam ibi vel sanguineis in æternum lachrymis non exorabis. Festina itaque perinde atque immundus ad fontem limpidissimum, cœcus ad solem justitiæ, & veram lucem, quæ illuminat omnem hominem errabundum in vita sua; tanquam saucius ad medicum, tanquam moribundus ad vitam, tanquam ovis, quæ perierat ad pastorem suum tanquam peccator ad JESUM qui salvum facit à peccatis populum suum. Festina autequam veniat diluvium dissipans terram; antequam veniat dies Domini terribilis & amara valde. Accede securus quia apud Dominum propitiatio est & misericordia. Dic cum Psalmista: *Erravi, sicut ovis quæ periit,* tu me suscipe miserrime mei, & deduc me ad ovile sanctorum tuorum. Ego sum drachma illa perdita, accende lumen intelligentiæ tuæ, & præsta, ut scopis pœnitentiæ purgatus, & inventus, in thesaurum divitiarum tuarum inferar. Ego sum prodigus ille, qui omnem dilapidavi substantiam, suscipe me Pater revertentem ad te. Jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis. Fac ut quod ore tuo sacrosancto, & inviolabili promisisti, idipsum in me gratia tua adimpleatur, Fiat. *Psal.* 118.

CONCIO XXXIII.

IN DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

EX hoc jam homines eris capiens. Luc. 5.

ARGUMENTUM.

AN LICEAT HOMINES CAPERE.

I. APpositissimè & mundus pelago, & homines piscibus illi innatantibus conferuntur. *Aud.* Diversæ sunt species si non itidem genera piscium: diversi pariter ordines, gradus complexiones, familiæ hominum. Pisces hinc inde reciprocantium fluctuum æstibus jactantur; & homines variis tentationibus, & mutationibus obnoxii. Ludunt hi in mundo suo, terra; ludunt illi in mundo suo oceano, atque in utrisque ludit sapientia & potentia Dei. Majores pisces minoribus insidiantur, eosque depascuntur; (Grandior enim quisque & robustior minorem inferioremque devorat) nec minus juxta receptam paræmiam *homo homini lupus.* Pisces ventre incubant aquis; ita & ho- *Homines pisces.* *Prov.* 8. 30.

& homines plerique incubant aqueis voluptatib⁹, ac ſollicitudinib⁹, ij imprimis de quibus Apoſtolus loquitur:

Phil. 3. 19. *Quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt.* Piſcis ſale eget, ne putreſcat. & ſi hic deſit primùm à capite vitium putredinis diffundit : haud ſecus homo indiget prudentia; & ſi hæc deſtituatur, à cupiditate victus corrumpitur; & regna, monaſteria, ordines quique à capite vitium trahunt. Piſces ut alia taceam, capiuntur arte & induſtriâ; nec minus homines ab hominibus. Unde rectiſſimè oraculo enuntiavit Habacuc: *Habac.* 1. 14. *Facies homines quaſi piſces maris.* Sed num ex æquo iſtos capere poſſumus ? Videamus.

PARTITIO.

II. Quemadmodum piſces; ita & & homines duplici ut plurimùm capiuntur artificio; nimirum aut hamo, aut reti. De hamo conteſtatur Eccleſiaſticus : *Eccl.* 9. v. 12. *Quemadmodum piſces capiuntur hamo, ita & homines.* De reti Ezechiel Vates : *Ezech.* 12. v. 13. & 17. v. 20. *Extendam rete meum ſuper populum, & capientur in ſagena.* Quodnam verò hoc rete, aut quiſnam ille hamus? Hamus quo capiuntur homines non eſt alius quam aſtutia, dolus, fraudulentia. Quemadmodum enim hamus obducitur eſcâ, ſeu vermiculo, ita ut hic ſolus videatur, & ille lateat: ſuppari ratione dolus forinſecus commodum, aut honeſtum quodpiam oſtentat, intus nequitiam abſcondit. Rete autem de quo loquitur Iſaias eſt verbum Dei, verbum ſalutis, verbum ædificationis. Quam ſanctum, ac divinum eſt hoc reti capere homines, tam abominabile Deo, & ipſi piſcatori noxium eſt hamo illos attrahere.

§ I.

Homines in dolo capere execrandum & noxium.

Doloſos Deus abominatur.

III. ABominandum & execrandum eſſe homines hamo capere, ſeu circumvenire ac fallere manifeſtum facit Pſaltes ſereniſſimus, quando occinit : *Pſal.* 57. *Virum ſanguinum & dolorum abominabitur Dominus.* Quantopere Deus execratur virum crudelem, & ſanguinis appetentem; tantopere illum, qui dolos meditatur, & ſtruit.

Roborat idipſum Sapientiæ oraculum Salomon; dicens: *Sap.* 1. 5. *Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu;* hoc eſt quales ſunt ficti homines. Ab his tanquam ab enormi ſpectaculo. & monſtro territus fugit Dominus, vultumque ſuum ab eis avertit. Et ſane nonne monſtrum ſtupendum, & execrandum vir doloſus?

Doloſus homo monſtrum.

Comminiſcuntur Poetæ quempiam improbè obtinuiſſe à diis, ut ad certum tempus vulpinam illi ad aſtutias inveſtigandas inderent animam, & ſubinde in ſerpentem mutatus viveret. Cum verò talis eſſet redditus, ſortitus eſt quidem aſtutiam vulpis, ac ſerpentis, ſed rationem profligavit, & brutis inſipientibus aſſimilatus eſt. Ejuſmodi monſtrum eſt homo doloſus & vafer, corpore quidem præferens hominem, at intus geſtans ſub pectore vulpem. Et à tam abominando monſtro non fugiet Numen, cujus veritati ac ſimplicitati è diametro adverſatur omnis

omnes duplicitas, ac versutia ? *Virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus.*

Cygnus cur non adhiberetur in sacrificio.

IV. In veteri Testamento cum pleraſque alites in sacrificium admitteret Dominus, cygnum nihilominus expunxit, ac detestatus est. Unde istud ? Cygnus enim multo rectius ad Divinæ bonitatis partum suam traducit originem, quam Castorem, ac Pollucem commentitia Poetarum oracula à nidulante apud Ledeam Jove prognatos hallucinantur. Candoris enim trabeâ inter cœteras volucres insignitur eminentius, innoxiam inter lymphas ducit vitam, & ut pulchritudine oculos omnium retinet; ita cantûs suavitate aures oblectat. Cur itaque ab altari proscribitur? cur Numini candoris amatori non immolatur? Edico, quoniam candor ille extraneus est in plumis consistens, quibus quidem candidis gloriatur; at carnem habet corvinam, & asperam, nec esui humano congruentem. Ejus in imagine appositè similantur hypocritæ, & versuti; qui superficietenus candorem & suavitatem præseferunt, animò autem obduruerunt; loquuntur pacem proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Non absimiles impurissimis illis senibus, Susannam castissimam Matronam incusantibus. Cygneum candorem cæsarie, & barba simulabant; at sub ipsa terram, ac putridam carnem occultabant; fœminam integerrimam in adulterio deprehensam mentiebantur, & Colchicum venereum in fibris intimis haustum dissimulabant. Hujusmodi cygnos abominatur Dominus, & ab altari suo fulminat. *Virum dolosum abominabitur Dominus*; & hamo, seu dolo, quo alios capere moliebantur, ipsimet suspenduntur.

Dolosus suo dolo capitur Prov. 28. 10.

V. *Qui decipit justos in via mala, interitu suo corruet, & simplices possidebunt bona ejus*: Syrus *in foveam corruet, quam fecit*, hamo, quem tetendit capietur. Nitebatur veteratoriis suis artibus institor fallere cauponem, falletur ipse ab eo, à quo minimùm sibi provideat. Meditatur vicinus vicinum supplantare in præstinando fundo, aut re alia quavis supplantabitur ipse. Præconcipit offucias Paterfamilias, quibus servum fraudet justâ mercede, fraudabitur ipse. *Qui decipit justos, interitu suo corruet.*

Id est, quod non tam imprecatur, quam oraculo prædicit David: *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Da illis secundum opera eorum, & secundum nequitiam adinventionum ipsorum. Secundum opera manuum eorum tribue illis, redde retributionem eorum ipsis. q.d. Reddes illis secundum opera eorum*, id est afficies eos pœna, quam merentur opera eorum; & secundum nequitiam adinventionum ipsorum dabis eis: ideſt, sicut ipsi ex malitia sua excogitaverunt, vel invenerunt varios modos vexandi justos; ita tu per sapientiam tuam invenies varios modos cruciandi peccatores, & denique reddes illis retributionem suam; id est sicut ipsi retribuerunt mala pro bonis, sic tu eam retributionem convertes in caput ipsorum, faciendo quatenus illis noceat, non justis. *Psal. 27. v. 4. 5. 6.*

VI. Spectandum id nobis luculentissimè exhibet liber Geneseos in

Labani Fraus. Gen. 31. 7.

Jacobo Patriarchæ viro simplici ac recto, & in Labano ipsius avunculo. Huic quàm sincerè famulabatur ille, tam nequiter illudebat iste. *Pater vester*, enuntiat ipse Jacob uxoribus suis, *circumvenit me, & mutavit mercedem meam decem vicibus.* Quo successu? Numquid Laban inde ditior redditus? Audiamus prosequentem sermonem suum: *Non dimisit eum Dominus, ut noceret mihi. Si quando dixit, variæ erunt mercedes tuæ, pariebant omnes oves varios fœtus*; quando verò è contrario ait: alba quæque accipies pro mercede, omnes greges alba pepererunt; & concludit: *Tulitque DEVS substantiam patris vestri & dedit mihi.* Ecce vobis fructum fraudum, & versutiarum vestrarum. Malum adinventionum vestrarum convertit in bonum justorum; & vel meditatis detrimentis realem talionem rependit. Deus enim est innocentiæ tutor, & ultor nocentium. Ipse est Judex æquissimus, quem nihil præterit, qui fraudes occultas, quum in foro fori impunitæ maneant, ipse suscipit plectendas, grandiq; ultionis fœnore rependit.

Talio adstruitur in dolosis.

VII. Proponit idipsum ob oculos, in profligatissimo Davidis regis filio Absolone, Digitus Scribæ velociter scribentis. Hic in vota sua inclinaturus populum Israeliticum, summo mane, primoque diluculo, propipiebat sese è lectulo, & ad portam principem civitatis festinabat. In hoc omnem virum habentem negotium ad se evocabat, illudque extollebat, & si daretur sceptrum sibi in manus, opem, protectionemque pollicebatur. Si verò quispiam ultro accessisset, ipse obviam effundebatur, dextram approximanti porrigebat, inclinantemque se supplicem desuaviabatur. *Faciebatque hic omni Israel venienti ad judicium, ut audiretur à rege, & solicitabat corda virorum Israel.* Qui itaque mendax, & versipellis erat, jure merito à mulo falsus est, suisque vapulavit artibus. Etenim in hoc jumento, quo subvectatus est Absolon, perbelle vafrities teste Drogone Hostiensi adumbratur: *Mulus*, ait, *ex equo & asino mixtus, est duplex animus, qui foris ostentat, quod intus non servat.* Et qui nec Deum Patrem, quem habebat in cœlis; nec genitorem, quem habebat in terris, venerabatur, æquissimo judicio hæsit inter cœlum, & terram medius, tanquam nec illo, nec isto dignus; tanquam prodigus filius, qui omnia vel in terris, vel in cœlo sacrosancta, & pretiosa prodegit; nec quicquam, quod vel hic, vel inibi repositum haberet, requirere potuit; tanquam fructus jam maturus non mensæ cœlitum, sed porcorum infernalium: Ideo enim è juglande pependit, ut qualis hic fructus existeret, unicuique pateret.

2. Reg 15.

Drogo de pass. Dni.

Absoloni astutia.

Quantumvis autem seriò moneret, præciperetque David Pater: *Servate mihi puerum Absolon*: attamen nullâ adjuratione, vel imperio incolumem servare potuit. Sed qui parenti optimo debitam violavit fidem, dignus extitit, cui nec fidem à genitore rogatam servarat miles. Quippe Joab audito nuntio de tam exoptato exitu, illico festinus vindex, & ultor advolavit, & triplicem lanceam in cor ingratissimi cuculi adegit: *Tu litque Ioab tres lanceas, & infixit in corde Absolon.* Totidem enim

Ibid.

enim infigi oportuit, quatenus trina ſpicula uno corde exciperet, qui & regis, & ducum, & populi, id eſt trium corda uno ambitionis telo violaverat.

Rabbi David hoc loco.

Quia trina corda quodammodo ſollicitabat, Regis ſcilicet, ducum, & plebejorum, dignum profecto erat, ut ejus cor unum triplici confoſſum jaculo ſcinderetur, ait Rabbi David. Tali ramo talis debebatur ſecuris, tali fructui talis arbos, tam bicordi, ac duplici tale ſuſpendium. Ut proinde in ſpiritu prædixiſſe illi pius pater videatur: *Convertatur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipſius iniquitas ejus deſcendet.* Refingantur omnes veteratoriæ artes ipſius in pœnam, & malitia ipſius talionis malleo in ipſius vertice recudatur.

Pſal. 7. 17.

VIII. Hoc etſi juſtiſſimæ Nemeſis plebiſcito ſtatutum definitumque ſit; attamen etiamnum non deſunt, qui cum piſcatoribus ictis ſapiant. Etiamnum illa vulgaris paræmia jactitatur: *Semper tibi pendeat hamus.* Eo omnis filiorum mundi tendit agilitas; ut quod arte, & induſtriâ obtinere nequeunt, officiis & aſtutia aſſequi ſatagant. Hinc illa doloſorum axiomata invaluêre; Nullam fallendi occaſionem negligere, pejerare audacter, pactis non ſtare, varias lucrandi artes excogitare. Hinc panni Inſtitor ſi quid exoletæ mercis haber, ſub fornice obſcuro auctionatur, mitumque in modum deprædicat:

Fraudibus omnia plena.

Laudat venales, quas vult extrudere merces.

Caupo vino dubio, ac pendulo gratiam conciliaturus cretam miſcet, ſulphure corrigit, vinum ſublimatum affundit: & nihilo minus hoc ſuum vinum inter optima urbis extollit. Hunc in modum alii pro thure lapides, pro cera picem vendunt, & tamen jurant merces eſſe ſinceras. Quid dicam de Contractibus? quot clauſulis, conditionibus illi muniuntur, & tamen invenit vafrum ingenium quod convertat. Quid alias ſponſiones memorem, in quibus ut plurimum multum vocis, parum lanæ.

O munde immunde & verſipellis! ô Europa Europa verſuta & aſtuta! quæ tot laqueis irretita es, tot hamis ſuſpenſa ingemiſcis, & caperis; ſi cauſam ex me ſciſcitaris, alia non eſt, quã quod dolosè incedas, loquaris pacem cum proximo tuo, mala autem parturias in corde tuo; eapropter adinventionum tuarum technas remetitur tibi Dominus; quia vulpinaris, vulpes tibi Oſmanicas immittit, quæ demoliuntur vineas tuas; quia ſerpentinis gyris alios implicas, toxicum & luem ipſemet tibi diſtillat. Vis itaque Deum ſincerum nanciſci protectorem, ac adjutorem, eſto pectoris candidi, & antiqui officii homo; neminem ſupplantes, neminem circumvenias, nemini foveam eruas, ne ipſemet incidas.

IX. Dices, ſæculum præſens nimis eſt verſutum. Jam & ruſticorum turba novit diſtinguere, ſine fuco, & hamo non capiuntur. Unuſquiſque quâ novit arte nititur aquas ad ſuam derivare molam, unuſquiſque molitur eludere alterum. Cum vulpibus igitur vulpinandum, niſi prorſus ſibilo exponi aliorum, ac officiis illorum circumveniri velimus.

Mundus plenus dolis.

Ajo, ſit ita. Eſto mundus ſit merus Sycophanta, eſto proximus quiſque ſit nugi-

nugivendulus, & ex meris fallaciis ac fraudibus compositus, tu esto sincerus ac integer. Esto alii clanculum derivent aquas ad suas molas, tu expende quam incessanter rota ipsius volvatur, & quas accipit lymphas devehat. Exige apud te hos torrentes, quos quispiam iniq; attrahit, meras esse lachrymas, sudorem ac sanguinem oppressorum, & tandem in mare rubrum convertendas, à quo absorbeantur. Cogita tandem aggerem Libitinæ sarculo rumpendum, & aquas coadunatas effundendas. Expavesce ne hæc rota sit Ixionis cui implicentur, aut Plutonis, quâ ad inferos devolvantur. Mitte iraque hamum, mitte technas, & rete arripe ad capiendum homines; id est sincero ac zeloso alloquio attrahere allabora.

§. II.

Homines reti capere sacrosanctum.

Zelus commendatur. S. Dion de Cœl. Hier. c. 3.

X. HÆc enim captura prorsus pia, sancta, immo & divina. *Omnium divinorum operum divinissimum est, cooperari in salutem animarum*: ait Apostolorum discipulus S. Dionysius. Hoc opus propriè divinum est, & inter omnia alia princeps saluti hominis consulere.

Quid quæso Deus Pater ab æterno meditatus est, aut quid sibi in ipsa temporali mundi creatione, ac opificio præfixit? Profectò id unum, ut homo Dominum DEUM suum cognosceret, illum coleret, ac tandem salvus fieret. In hunc finem omnia subjecit sub pedibus ejus, in hunc finem ipsum intellectu insignivit, in hunc finem erectos ad sidera vultus contulit.

Quid ipsum Filium Altissimi movit, quatenus ex sinu Patris sui, & throno gloriæ suæ in terras descenderet? Nihil aliud, quam ut salutem nostram operaretur in medio illius; quam etiamnum in cœlis accurare, ac promovere haud desistit.

Id nimirum Salomon in quarto Ecclesiastici sui capite & prævidit ipse, & posteris prænuntiavit: *Est unus, & non est secundus, & frater non est ei; nec est finis omni labori ejus; & quidem oculus ejus non saturatur divitiis.* Qua in descriptione S. Hieronymus veram effigiem Verbi agnoscit hominum redimendorum gratiâ humanam naturam amplexi, cujus desideriis nulli satis animarum questus respondebant; Quin quò plures Evengelio lucrabatur, eò plures concupiscebat, & à Patre suo sibi submitti postularet: *Cujus laboris non est finis, portans nostra peccata, & oculus ejus non satiatur divitiis, semper nostram cupiens salutem.* Itaque qui eodem inardescunt studio, non tam humanum quidpiam, quam divinum præfixum habent: *Omnium enim divinorum operum divinissimum, &c.*

Christi zelus. *Eccl 4.* *S. Hieron. hunc l.*

XI. Si quæramus an possit omnipotens ampliorem, auctioremque cuipiam gratiam conferre, quam ut cum ipso Deo cooperetur in salutem proximi sui? Inficiabitur id Richardus à S. Victore, Theologus suæ ætatis aut omnium primus, aut nulli secundus. Sic enim ille in suo Benjamino ratiocinatur: Nullis quidem omnipotentia Dei limitibus circumscribitur: Videtur mihi nihilominus in illa cœlestium favo-

Richard. Beniam c. 44. part. 1.

rum

rum immensitate talis aliqua gratia eminere; quam ultra tendere beneficiis nequeat ille, cui inexhaustum est præmiorum ærarium. Fallor sine dubio cum ita disputo : Nam ubi nullus est finis, fieri non potest ut sint ulla confinia : Attamen nullus inclusa terminis Dei potentia, illud non ultra exiguitatem ingenii mei reipsa videtur exhibere. *Nescio si potest aliquid à Deo homo in hac vita majus accipere ; ignoro an possit hac gratia majorem interim aliquam Deus homini conferre, quam ut ejus ministerio perversi homines in melius mutentur; ut de filiis diaboli filii Dei efficiantur.* Equidē haud dico non esse , at me non videre affirmo , quodnam ministerii genus possit Deus aut in Ideis suis describere , aut in Ecclesia sua constituere, quod dignitate præcellat Evangelico ministerio, quo perduelles cœli sacrarum literarum tonitru percelluntur, blasphemi crucis obtrectatores redarguuntur, temerarii conculcatores Decalogi ad emendationem, ac pœnitentiam revocantur. Adeo *Divinorum operum divinissimum est in salutem proximorum cooperari.*

XII. Novimus insuper quod nemo possit dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritus S. Novimus peccatorem à via iniquitatis in viam reducere justitiæ , & æquitatis solius esse opus dexteræ Excelsi. *Quis enim potest facere jus-* lob. 14. v. 4. *tum de injusto conceptum semine, nisi tu qui solus es* ? Ergo cooperari Deo vel per modum instrumenti ad conversionem hominis impii, est divinorum omnium operum divinissimum.

XIII. Quod si hæc doctrina vim haber, uti profecto habere debet, quis erit qui pro ratione sui status non enitatur proximum quemvis ad meliora promovere; qui non exardescat in salutem animarum accurandam, ad saniora suggerenda præfractis consilia? Vereor tamen ne etiamnum D. Bernardi indignantis , ac miserantis voces locum habeant : *Cadit asina, & est qui sublevet eam; perit anima, & nemo est, qui reputet.* Melior est conditio bovis aut asini, quam hominis proximi: Nam cujus vestrum bos aut asinus in foveam cadit , & non continuò illum extrahat? Quoties autem cadit in domo tua filius & filia , servus aut ancilla in puteum profundum , in puteum bituminis, & inibi hærere sinis ! Puteus hic, interprete D. Augustino, non est alius quam vitiorum voragines. Ita ille in verba Geneseos : *Vallis silvestris habebat multos puteos bituminis*, edisserit: *Per hanc vallem mundus significatur , in quo sunt multi bituminis putei , qui sunt vitia, quæ peccatores ita apprehendunt, & alligant , ut sicut bos , si in puteum cadat, inde exire non possit , nisi adjuvetur ; ita peccator per se exire à suo scelere minime queat* : Et tamen nulla cura est super hoc aut parenti, aut matri, aut Præsidi. *Cadit asinus , & est qui sublevet eam, perit anima , & nemo est qui reputet.*

XIV. Melior est conditio drachmæ apud plerosque , quam cujuscunque hominis animæ. Ut enim illa perdita inveniatur, accenduntur lucernæ, everritur domus , excutiuntur omnes anguli ; at ut anima imagine Dei signata reperiatur, rarus est qui pensitet. Et tamen ea est dignitas, id pretium animæ hominis , ut si quispiam vel unico ictu oculi in ipsius pulchri-

Salutis incuria. S. Bern. l. 4. de Consid.

Puteus peccati profunditas. Gen. 14. 10. Aug. h. l. ad literam.

Incuria salutis aliena.

tudinem deveniſſet, lubens millies mortem ſubiret, ad unicam è Tartari faucibus eripiendam, & cœlo inſerendam.

XV. Melior eſt conditio grani minimi in agro conſiti, quam animæ in laudem & gloriam Dei conditæ: Illud enim ſi fortè aruit, ſi nullum fructum tulit: in lamenta & querelas agricolas, alioſque evocat; at parum, aut nihilum commovemur animo ob ſummam bonorum operum ſterilitatem, ſummamque egeſtatem. Patientiùs ferimus Chriſti jacturam graviſſimam, quam noſtram leviſſimam. Supputamus exactiſſimè intertrimenta noſtra; at diſpendia Chriſti vix unquam ad calculos revocamus.

XVI. Dices. Quis poteſt hoc reti piſcari? Numquid omnes ſumus Eccleſiaſtæ? Numquid omnes capiendi habent commoditatem, aut occaſionem? Quid? regero mi mundane, tibine deeſſe poteſt occaſio, qui prope in momenta ſingula audis blaſphemantes, aut imprecantes, cui ad nictum prope quemvis incurrunt nævi, qui toties quereris de familia diſſoluta ac pervicaci? Tibine occaſio ad manum non eſt, qui toties ſolicitaris ad pravas ſocietates, ad perverſa colloquia, ad pia opera negligenda? Tibine deeſt occaſio, cui manifeſta ſunt, & liquida vitia proximi tui? Eſtſane ubivis obvia occaſio, ſi modò adeſſet, & flagraret in nobis ardor zeli gloriæ divinæ, ſi modò altùm memoriæ infixum haberemus: unicuique Deum mandaſſe de proximo ſuo; ſi modo capturam facere adniteremini.

XVII. Quocirca ſi quidpiam in nobis etiamnum flagrat divini incendii, ſi vel ſcintilla viget amoris enthei, laxemus retia noſtra, laxemus minimùm linguam noſtram, verba noſtra in capturam.

Regis Cræſi filium ab ipſa geneſi elinguem Sigalionem extitiſſe perhibent Hiſtoriographi. Evenit autem ut Parentem ad caſtra jam poſitâ prætextâ comitaretur, & prælio contra Syros inito adeſſet. In eo militum quiſpiam adverſæ partis fortuitò in Cræſum incurrens adacto ferro ipſi necem meditabatur. Advertite, & audite quid non faciat amor. In eo periculo quum Patrem tueri filius nequiret, paterni amoris vi, & impetu actus, diſruptis linguæ repagulis exclamavit: *O homo ne feri, Rex eſt quem petis.* Tantum potuit innatus zelus paterni boni, & humani, & prô pudor tantumdem zelus divini honoris non præſtabit? Filius mutus prævidens ictum parenti intentatum exululavit ut averteret; & homo garrulus proſpiciens, & audiens tot Dei parentis injurias non intonabit: Quid facis ſerve nequam? Rex cœli & terræ eſt, quem petis linguâ tuâ, Rex eſt regum, & Dominus dominantium quem feris; Deus eſt, quem laceſſis. Cave ne ipſum irrites, ne tremendam ipſius laceſſas majeſtatem. Vel mulier loquaciſſima aliàs animadvertens filiarum aut filiorum exceſſus non laxabit ora, & dicet: Cogita fili mi quid facis, memento conditoris tui: ille enim eſt quem tu proritas; ille eſt, cujus præcepta temerarius violas; ille eſt de quo S. Paulus: *Terribile eſt incidere in manus Dei viventis.* Idem dico nonne alii factitarent, ſi quid-

si quidpiam ignis divini in præcordiis ipsorum gliscceret.

Eja itaque vel abhinc laxate cum D. Petro Archipiscatore retia hæc vestra, ne forte serò cum eodem indoleatis, dicentes: *Tota nocte laborantes nihil cepimus.* Nec unam Deo animam lucrati sumus, nec unicus admonitionibus nostris ad frugem reductus est. Amen.

CONCIO XXXIV.

IN DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

Nisi abundaverit Justitia vestra plusquam scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Luc. 5.

ARGUMENTUM.

ASTREA IVDAICA CHRISTIANE COMPONITVR.

I. IUstitia, quam summus Legifer noster abundantiorem in præsenti Evangelio à nobis efflagitat, non tam partialis virtus est, quæ reddit unicuique quod suum est, quàm generalis, omnes alias suo stringens complexu. *Aud.* Illa est de qua Hieronymus: *Omnis virtutum species uno Iustitiæ nomine continetur.* Illa est, de qua Chrysostomus: *Iustitia est plena omnium mandatorum custodia.* Illa est de qua Psaltes cecinit: *Retribuit mihi Dominus secundum justitiam meam*, id est secundum virtutem, innocentiam, ac rectitudinem cordis mei, quam nunquam non nisus sum conservare. Illa est, de qua Dominus ipse ad suum Præcursorem, & Baptistam: *Sic nos decet implere omnem Iustitiam.* Convenientissimum est, ut qui totum suscepi hominem, per omnia hominis transeam sacramenta, nec ullos ritus, aut submissionis opera exequi prætermittam. Cum enim piissimus Assertor noster ad eminentissimum perfectionis, ac sanctitatis culmen suos fideles perducere gestiret, omne illud unà complexus est, quo illud conscendere possemus. Itaque quando interminatur nobis: *Nisi abundaverit Iustitia vestra plus quam scribarum* &c. perinde est ac si dicat: Nisi virtus vestra, sanctitas vestra custodia mandatorum DEI perfectior in vobis fuerit, atque in scribis, & Pharisæis; si necquicquam ad cumulum meritorum supra illos adjeceritis, à cœlestis

Hier. Ep. ad Demet. *Chrysost. h. 12. in Matt.* *Psal. 17. 21.* *Matth. 3. 13.*

patriæ

patriæ possessione vos extœminandos persuasum habetote. Ut ergo unam ab alia, Justitiam Pharisaicam à Christiana discernamus, utramvis trutinæ imponamus, exigamusque, quibus momentis nostra illorum præponderet.

§ I.

Iustitia Iudæorum in arca non in conscientia.

Iustitia Iudæorum in arca.

II. JUstitiam Pharisæorum, ac Scribarum quisque primâ fronte ex penderit, inveniet eam non tam in conscientia quam in arca sitam. Præceperat Dominus Moysi de lignis Setim fabricare arcam, futuram legum suarum reconditorium: *Facieque arcam ligneam, & scribes in tabulis verba, quæ fuerunt in his, quas ante confregisti, ponesque in arca.* Fecit id Dominus, ut minimùm in tantum legi suæ afficerentur, quantum thesauris in arca reconditis; atque eo studio ad illius eniterentur custodiam, quo ad coacervandos ferebantur thesauros. Fecit id credo, ut minimùm ita in conscientia conservare niterentur imperia ipsius, quemadmodum opes in gazis suis, fornicibusque tutantur. Quid verò Judæi? ad lucra, ad rapinas obversi, odiis novercalibus inter se divisi, sanguine prophetarum polluti, concreditorum sibi eloquiorum gratia gloriabantur, quæ opere in ipso subversum ibant. In lingua nec quicquam insolentius jactabant, quam Legem Domini, Arcam Domini, Templum Domini; in opere nihil minus quam ea ostendebant.

Deut. 10. 2.

III. In hunc modum si nostra Christianorum Justitia constituta fuerit, si nobis de salute adblandimur; quod legem Domini memoriæ infixam habemus, quod in gremio illius sumus Ecclesiæ, quæ basis, & firmamentum est omnis veritatis, ac sanctimoniæ, quod firmati, & radicati supra fundamentum Apostolorum, ac Prophetarum, ipsi nos seducimus. Frustra enim lex in arca reconditur, nisi opere in ipso adimpleatur. Cassa est omnis scientia; nisi sanctimonia effulgeat in ipsa conscientia. In intellectu Lex ens rationis est, in opere reale esse ostenditur. In illo figmentum est sanctimoniæ, in hoc complementum. Lex in arca, seu in memoria tam parum sanctos efficit, quam rudem præstent eruditum multiplicati codices in Bibliotheca. *Non enim auditores legis* (non thesaurarii, non Interpretes illius) *justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur*; clamat doctor Gentium in Epistola sua ad Romanos.

Iustitia Christianorum in conscientia.

Rom. 2. 13.

IV. Jeremias Vates manuducens populum suum ad iter salutis ac perfectionis capessendum, vult ut cor suum bajulent in humeris suis. Etenim ubi vulgata habet: *Dirige cor tuum in viam rectam*, LXX. legunt: *Da cor tuum in humeros tuos.* Si vis placere Deo, si eniti ad culmen sanctimoniæ, si Olympum æthereum transcendere, assume cor tuũ in humeros tuos. Non apprehendes bravium, nisi sublato in humeros corde. Mirum id & paradoxum videbitur consilium, expendenti sedem præcordiorum pectus esse, non humeros. Natura enim cor, perinde ac centrum, in medio constituit, à quo lineæ

Ier. 31. 21.

lineæ functionum omnium ad circumferentiam membrorum ducerentur; ut fontem in medio paradisi, ex quo omnibus aliis partibus vena vitæ dispensaretur; ut focum, à quo circumcirca calor diffunderetur. Quod si verò succollaretur humeris, omnino excordes inveniremur, & vitâ, & spiritu destituti. Quid itaque intendit vates hoc monito suo? Profectò nihil aliud, quam ut id, quod mente, & corde concepimus, opere exequamur. Ita per cor intelligentiam S. Hieronymus interpretatur, & cogitationesque mentis, de quibus Dominus: *De corde exeunt cogitationes malæ.* Per humeros vero opera bona labores: seu per cor accipienda est fides, quæ radix est vitæ spiritualis, per humeros executio. Dirigit itaque cor in viam rectam, seu portat in humeris ex mente præfati Doctoris, qui fidem jugat operibus, qui quod credit corde, opere exequitur. *Da* inquit, *cor tuum in humeros tuos: Illud quidem significat, quod cogitatationes debeant operibus jungi.* Si cupis ambulare in via mandatorum Dei, junge cor manibus, marita intellectum pedibus, socia fidem humeris operationum, alioqui ad apicem perfectionis, & sanctitatis nunquam eluctaberis.

Fidei jugenda sunt opera.

Matt. 15. 19.

Hieron. h. l.

V. Lepidum est quod Isidorus Græcus, & Alciatus de duobus extremè miseris recensent. Unus illorum ut acie oculorum excellebat; ita pedibus omnino truncus erat. Alter autem captus oculis, pedibus autem valentissimus. Uterque premebatur inedià, & nec hic, nec ille sibi consulere poterat, vel ob oculorum, vel pedum defectum. Communicatis tandem consiliis, convenêre, ut cœcus claudum in humeros sublatum portaret, claudus verò cœcum dirigeret; atque hac ratione mutuis subsidiis mundum obeundo stipem emendicarent.

Fabula de cæco & claudo se mutuo juvantibus. Isid. Alciat in Embl.

Ad eundem modum sese habet intellectus, ac voluntas nostra. Ille oculatus, sed mutilus; hæc prompta, & vegeta, sed oculis orba. Nec ille citra hanc etiam armatus fidei lampade decurret viam Domini; nec ista citra illum. Jungenda est voluntas intellectui, seu fidei, ut rectâ incedat, & ad limina Apostolica, cœlestiaque pertingat. Fides item maritanda voluntati, ne clauda subsistat, aut omnino mortua deficiat. *Fides enim sine operibus mortua.* Lex mandatorum Domini, non tantum in arca memoriæ, aut intellectus servanda est, veluti mna illa à servo nequam abscondita; sed in publicum depromenda. Unde Hipponensis Antistes: *Bene præcepta servantur in scrinio, sed meliùs in executione.* Sacrosanctè apud Judæorum plebem tabulæ legis servabantur in arca; sed religiosius à Christianis custodiuntur in conscientia. Et mox explicans quæ illa sit arca, subdit: *Ille in arca abscondit præcepta Domini, qui tantum memor est, & extra non operatur.* Ille Judæos æmulatur asservantes legem in scrinio, qui satis habet, quod eam suo fixerit in cerebro. Ille Pharisæizat, qui auditor est legis, non factor; qui scribit & docet legem, non exequitur. Quisquis ejusmodi est, noverit sibi æque ac illis fores paradisi præclusum iri. *Nisi enim abundaverit justitia vestra,* &c.

Iacob. 2. 20.

Aug. in Gen.

§. II.

Iustitia Iudæorum in signis, & umbra, non in veritate.

Iustitia Iudæorum in signis.

VI. PRofundiùs si quispiam Phariſæorum Juſtitiam examinârit, diſcet illam in ſignis quibuſdã, & figuris, non in veritate fundatam fuiſſe. Mandatum illis erat, ut facerent ſibi fimbrias in angulis palliorum, poſitis in eis vittis hyacinthinis, ad quarum intuitum recordarentur præceptorum Domini. *Loquere filiis Iſrael, & dices ad eos, ut faciant ſibi fimbrias per angulos palliorum, ponente in eis vittas hyacinthinas, quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini.* Intendebat Dominus, ut ubique illis occurreret lex ſua ſancta, & immaculata; nec unquam vel ex oculis, vel ex memoria excideret. Hæc erat intentio Domini. Quæ verò Phariſæorum? Jactantia, præſumptio, inanis gloria. Etenim *Omnia opera ſua faciebant, ut viderentur ab hominibus, dilatabant philacteria ſua, & magnificabant fimbrias ſuas.* Hoc habitu, & notâ elati aſpernabantur cæteros, ſeque legis exactiſſimos ementiebantur cultores.

Num. 15. 38.

Matt. 23. 5

Intentio vana.

VII. Videte jam nunc, & exigite apud vosmetipſos, an non de ſecta Phariſaica ſitis, qui omnem prope ſanctitatem veſtram roſariis, cingulis, ſcapularibus, veſtitu exteriori obſignatis, rati hæc infallibilia ſigna, & teſſeras futuræ beatitatis, ac prædeſtinationis ad vitam.

Ut autem Phariſæorum, ita perſonatorum horum Chriſtianorum ſanctitas hedera eſt, ſæpius deficiente vino ſuſpenſa. Latet enim ſub ſigno Tau Judæus æquè, ac Chriſtianus, & teſſerâ gemellâ ſignatur miles quâ fortis, quâ ignavus. Nec quicquam juvat habitus, quem pravi mores infatuant. Nec veſtis, aut tonſura; ſed vita ad virtutis amuſſim exacta religioſum approbat. Sæpe numero veſtis, quæ *Reverenda* indigetatur, meliore Calepino diceretur Referenda, ſeu Everrenda; Referenda Antiſtiti, everrenda à ſanctuario Domini.

Sanctitas in veritate non habitu.

Ut etiam credam cingulis, aut ſcapularibus eas adnexas eſſe gratias, ut proximo ſecundum fata (quod inter vulgus jactatur) Sabbatho portantibus illa (quantumvis peccatis immerſi fuerint, aut etiam citra Exomologeſim omnem deceſſerint) pateant regna cæleſtia, nemo mihi perſvaſerit. Commenta hæc ſunt, non ſacramenta. Ut iſta à Deo inſtituta eſſe, & bene diſpoſitis conferre gratiam ſacroſanctè profiteor; ita illa paribus, aut majoribus inſignita eſſe privilegiis inficior. Quod in memoriam cujuſpiam Sanctorum ea portent approbo; ut verò in peccatis ſuis, perinde ac amuleta, contra mortem æternam circumferant, damno, & anathematizo. Neque enim ego hoc Evangelium à Domino accepi, ſed ab hominibus; & ut uni forſan in ſignum amicitiæ, aut prædeſtinationis cœlitus collata ſunt; omnibus certè, nec ipſo ſummo Antiſtite comprobante applicari queunt. Habere enim decem ſcapularia, imo & omnia ſacramenta quis poteſt, & damnari ſeclusâ charitate; Habere autem Charitatem in veritate, & in ea perſeverare, damnari non poteſt. Hæc eſt quæ Phariſæos ab Iſraelitis, probos à reprobis, præ-

Charitas sanctificat. 1. *Cor.* 13. 2.

prædestinatos à præscitis discernit, discriminatque. Hæc si adsit, prosunt alia; hæc si desit, nihil prosunt cætera. *Si habuero*, inquit Apostol⁹, *prophetiam, & noverim* divina *mysteria omnia, & si habuero omnem scientiam*, ac cognitionem rerum humanarum, ac naturalium; & *si habuero omnem fidem* (tam eam quâ res revelatæ creduntur, quam illam, quâ miracula patrantur) & quidem tam perfectam, *ut montẽ transferam*, & si habuero omnia alia amuleta, rosaria, scapularia, officia; *charitatẽ autem non habuero, nil sum* in esse spirituali gratiæ, quæ facit, ut homo apud Deum quidpiam valeat, & mereatur. Et si habuero, inque cibos pauperum sponte distribuero *omnes facultates*, & si propter Religionẽ, aut Rempublicam *tradidero corpus meum, ita ut ardeam*, vivusque in rogo exurar, charitatem autem non habuero; nec id fecero instinctu charitatis, quæ pro fine Deum super omnia amatum habet; sed ex affectu humano, & inordinato, *nihil mihi* ad animæ meæ salutem, nec ad æternæ vitæ meritum prodest: Adde autem vel momentum charitatis, prosunt cætera.

VIII. Quidquid citra Charitatem fulget, quidquid radiat hedera est, parerga sunt, & identidem vanitatis, seu hypocriseos argumenta. Bellè ejusmodi Pharisæizantes D. Gregorius Nazianzenus merettrici comparat, quæ cum nativâ pulchritudine destituta sit, ad colores, fucos, pigmenta confugere solet; ita hi cum specie solidæ perfectæque virtutis, ac Charitatis careant, adumbrationem quandam pietatis externam simulant; quæ eorum retineat oculos, qui adumbrata virtutis simulatione capiuntur. Ego hystriones dixerim, qui alienam faciem in theatris assumunt, & cum servi ac mancipia sint, sæpius dominorum, ac Principum habitum præseferunt; suppari ratione ad eorum mores, orchestras, atq; theatrum exercentur, qui alia corde gerentes, alia extrinsecus præferunt. Vel veriùs Ministros Sathanæ, qui sese identidem transfigurat in angelum lucis, ut fallat, & supplantet. Ut itaque & horum mores concordant cum Pharisæis; ita & sors eorum erit cum eis, & hypocritis, in loco, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus. Ea propter universos fideles hortatur Apostolus, ut quò ipsorum opera accepta sint, & æterna retributione digna, ex motivo Charitatis faciant: *Omnia vestra in Charitate fiant.* Eo contendite, ut non tam parergis quibusdam sanctimoniæ, quàm vera Charitate præditi inveniamini; ut in omnibus ad id oculum mentis defigatis, quod amor Dei à vobis requirit, illum pro fine in omnibus habendo, laudando, ipsius intuitu faciendo. Id si præstiteritis, Justitia vestra multò præstantior Pharisaicâ invenietur, dignaque Empyreis reputabitur subselliis; sin minus, unà cum illis æquissimis urnis proscribendos creditote. *Ibid.* 16. 14.

S. Greg. Naz. de morte patr. sui.

§. III.

Justitia Pharisæorum in cute non in corde.

Justitia Pharisæorum in cute.

IX. TAndem Justitia Pharisæorum tota quanta erat, externa in fronte, aut manibus, aut cute exarata.

Lex enim vetus quamvis verè prohiberet vitia omnia interiora, æque ac exteriora; interioresque virtutum actus ordinaret; attamen interiora vitiorum, virtutumque non æquè clarè, ac nunc explicabat. Ea de causa malitia Scribarum, Pharisæorumq; (quamvis veram profiterentur religionem) bene multa ad legem Dei spectantia perversis glossematis depravabat, pervertebatque. Docebant enim cogitationes esse liberrimas, nec ullo tributo, aut pœnæ obnoxias; non prohibere legem v.g. actum interiorem homicidii, aut adulterii, si quando ad exteriorem non transiret; nec vetare vindictam, quâ malum pro malo redditur, nec odium internum inimicorum, imo diligendos amicos, & odio habendos inimicos. Item arbitrabantur virtutem in exteriore propemodum actu tantum consistere, atque ita de internis parum, aut nihil solliciti erant.

X. Contra hanc doctrinam in hodierno Evangelio absolute decernit Dominus dicens: *Audistis quia dictum est antiquis:* Matt. 5. *Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Et iterum: *Audistis quia dictum est antiquis, Non Mœchaberis: Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*, &c. Vos fallis interpretationibus dementati, illum dignum morte decernitis, qui re ipsâ alterum de medio sustulerit; Ego autem hoc legis præceptum adimpleo, & interpretor, doceoque non externam duntaxat hominis occisionem crimen esse, sed internam etiam animo conceptam iracundiam, ac verba contumeliosa eidem censuræ obnoxia. *Qui enim odit fratrem suum, & ipse homicida est.* 1. Ioan. 3. Vos cum Scribis vestris propugnatis, per illud præceptum: *Non Mœchaberis*, actum tantùm Luxuriæ esse prohibitum; & per illud: *Non concupisces uxorem proximi tui*; signa concupiscentiæ non facies: Ego autem affero, non tantum patrari adulterium opere, sed & corde. *Qui enim alienam uxorem viderit, concupiverit que corde, adimplevit adulterium.* Perperam nimis infrœnatur corpus à malis actibus, nisi & anima ab ejusmodi inordinatis affectionibus coerceatur. Remissè nimiùm inhibetur à cæde dextera, nisi insuper cædendi voluntas tollatur. Radix malorum omnium cor est, si hanc excaudices faciliùs ramos amputabis, imo nec germinare cor patieris. Quod si vitiatam sustines, brevi in ramos, ac fructus virulentissimos egerminabit. Et utut deforis florem quempiam ostentabis virtutis, intus haud secus ac pomum Gomorrhæum sulphur, ac mephytim redolebis. *Si enim radix sancta, & rami sancti.* Si radix virulenta, etiam rami, fructusque eodem virore imbuti invenientur. Ne itaque vitiorum Stolones in te progerminent, eorum radicem stirpitus evellas necesse est; & ut operum tuorum flores in salubriores animæ tuæ adolescant fructus, saniori affectuũ, desideriorum, ac rectæ intentionis surculo inocules.

Opus externũ dignificatur ab interno.

Rom. 11. 16.

XI. Ad hanc trutinam arduum mihi est opera vestra appendere, cum solus ille scrutator sit cordium, cui nihil absconditum. Quod si verò de solis exte-

exterioribus ferenda sit sententia, subvereri cogor, ne multò inferiores ipsis, vel etiam Ethnicis inveniamur.

Pharisæi enim etsi verâ ut plurimùm medullâ Justitiæ destituti erant; nihilominus fructus, ad speciem minimùm, uberrimos proferebant. Diu enim noctuque orationibus, psalmisque decantandis insistebant, bis in septimana jejuniis sese attenuabant, eleemosynas largas profundebant, decimas rerum suarum Domino offerebant, legem Altissimi nunquam non oculis præfixam habebant; ut vel unum Proselytum facerent, maria emetiebantur, aliave similia, aut majora etiam opera patrabant. Et quotusquisque nostrum est, qui cum iis hac in parte in contentionem venire præsumat? Quis eâ religione ac zelo flagravit, ut in exteras nationes ad convertendum unum sese contulerit, aut ex indignatione summæ læsæ majestatis cum illis vestes sciderit, corpusque ipsum pro lege exposuerit? Et tamen stat decretoria sententia: *Nisi abundaverit Justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.*

Rom. 2. 14. Ethnicorum zelus & virtutes.

XII. Ethnici verò etsi legem ignorarent, tamen naturaliter ea quæ legis erant, faciebant. Etsi vero fidei lumine orbati forent, & consequenter virtutibus supernaturalibus, quæ illi innituntur, privati; in moralibus tamen & politicis multo insigniores extiterant. Nondum callebant quod jejunium foret fundamentum virtutum, scutum potentissimum, murusque diabolo inexpugnabilis; quod subinde scripsit D. Ambrosius; Nondum audiverant, quæ Moyses, & Elias virtute jejunii patraverant; nondum legerant Ninivitas Deo iram jejunio placâsse &c. id unum naturæ instinctu didicerant, se ventrem accepisse, ut nutrirent, non ut distenderent; ut illi dominarentur, non ut dominum paterentur; ut illi ancillaretur, non ut ipsi manciparentur; & tamen temperantiæ in tantum bene multi addicti erant, ut solis pultibus, leguminibusque vescerentur. Ignorabant castos templum esse Spiritus S. lilium floridissimum ipsis Cœlitibus spirans odorem, decus humani generis, ornamentum omnis gratiæ &c. & nihilominus ut alios mittam, Democles Regis Demetrii Ephebus, dum aliter insidias castitati structas effugere nequiret, aheno bullienti insiliit, indeque vix semianimis extractus insultantem sibi triumphavit Cupidinem. Penelope verò, Tanaquil, Lucretia, & aliæ suo illam sanguine purpurarunt. Nondum evocati erant ad Evangelicam perfectionem, paupertatemque arbitrariam; & nihilo secius, ut vel humanæ sapientiæ studiosiùs vacare possent Cynicus in dolio pauper, & inops delituit; Crates Thebanus Oceano divitias mersit; ne mergeretur ab ipsis; alii cum Fabricio ultro oblatas despexerunt opes. Doctores sanæ legis, & justitiæ non habebant, & tamen Pietatis, ac Astreæ cultores insignes extiterant.

Valer. Max.

Ambr. ser. 21.

XIII. Nos verò & jejunii commoda, & castimoniæ præmia, aureolasque, & paupertatis beatitatem, aliarumque virtutum decora probe novimus; & tamen ab iis colendis humeros subtrahimus; Evangelia legi-

mus, & voluptatis cœno mergimur; Apostolos, & Ecclesiastas à crapulæ vitio, aliisque dehortantes audimus, & inebriamur; Christum nos sequi profitemur, & aliena concupiscimus, rapimusque: vitam improbam agimus, & legem sanctam præferimus; Theologicas facultates frequentamus, & sequiora malevoli didascali præcepta in tabularium cordis admittimus. Vah hoccine est abundare Justitia, & non satius deficere? hoccine est sanctimoniam sectari, & non ampliùs prostituere? Hoccine est legem Domini adamare, & non profligare iniquiùs? Profecto quisquis ejusmodi est, is dubiam mihi facit salutem suam, & vereor ne eidem quod quondam coronato illi Epuloni Balthasaro dicatur: *Inventus es minus habens.* Minus ipsis Pharisæis, minus ipsis Ethnicis, minus in veritate, minus in opere.

XIV. Nec quisquam hic Collationem fieri perversorum Pharisæorum cum Christiana Justitia sibi persuadeat. Etenim ut S. Chrysostomus observat: *Scribas hic, & Pharisæos non iniquos, ut putatur, appellat; sed eos, qui legis præcepta custodiunt. Neque enim illos, qui non custodirent, diceret habere justitiam, neque ei, quæ non esset, eam quæ esset justitiam compararet.* Exigua ea laus esset inter pessimos non esse principem, exigua item virtus quæ cum vitio confertur, exigua sanctitas, & justitia, quæ componitur iniquitati. *Ei quæ non esset, eam quæ esset Justitiam comparare.* Verùm quũ Pharisæi justitia quapiã saltem externa præditi essent, illi confert nostratem. *Non impios, ut putatur, appellat, sed eos qui legis præcepta custodiunt.*

Chrysost. h. 16 in Matt.

Exigite itaque apud vos metipsos an fervor vester, zelus vester, fides vestra, abstinentia vestra; verbo, justitia vestra perfectior existat illâ ipsâ Pharisaica; & si quidpiam ad augmentum illius defuerit contendite, ut proscripto omni torpore in divino obsequio, omni tarditate in cursu, omni procrastinatione in bravio, omni oblivione in debito, ad altissimæ sanctitatis, perfectionisque seu Justitiæ gradum provehamini. Enitamini pro ea, quam in salutem animæ vestræ curam geritis, ut quantum distat umbra à corpore, figura à veritate, fucus à re ipsa, tantundem discrepet justitia vestra à Justitia Scribarum. Allaborate, ut eam non tantum in arca, sed in conscientia; non tantum in signis, sed in affectu; non tantum in nudo externo opere, sed in corde puro, & recto conservetis. Fiat gratiâ Christi Jesu Domini nostri, &c.

CON-

CONCIO XXXV.

IN DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

Præcepit turbæ discumbere super terram, Mar. 8. 5.

ARGUMENTUM.

MENSA ADORNATUR TRIBUS ORBIBUS.

I. NOn hodiernam duntaxat in Eremo catervam, vel aliam apud S. Joannem adductâ pascit Omnipotens; sed quotquot in mundi hujus solitudine peregrinantur, providentiâ reficit, ac saginat. A. Quid enim est mundus hic visibilis tanta diversitate alimentorum adornatus, nisi triclinium quodpiam ad nos satiandos à divina omnipotentia instructum? Quid campi ac Prata copiosa herbarum, florum, foliorum penu conspicua, quam mappæ, acu plusquam phrygiâ elaboratæ? Quid tot fructus, segetes, uvæ, tam sapida gustu, tam pulchra visu, tam grata olfactus, quam epulæ ad delitias usq; conditæ? Quid silvæ, quam vivaria feris animalibus refertissima? Quid lacus, ac maria, quam piscium arcæ? Quid montes vitibus abundantissimæ, quam cellaria. Et quemadmodum in aliis usuvenit conviviis, ut aliis ferculis alia succedant; ita in Universitatis hujus triclinio ablato cibo uno, alter infertur; id est adultis quibusdam fructibus, alii matureſcunt, iisque consumptis continuatâ serie, alii atque alii insequuntur; quibus haud minus miraculose, quam turba illa in deserto pascimur. Suppar enim prodigium est ex uno grano aristas identidem plures, aut grana plura eniti, atq; in manibus incrementum accipere. Ejusdem dexteræ excelsi est æquè unum opus, atque aliud, solaque assiduitate illud perviluit.

Ioan. 6.

Dei providentia in pascendis hominibus.

Ut verò cum benedictione fruamur oblatis, id unum à nobis efflagitat, ut sanctè, riteque accumbamus. *Præcepit illis discumbere super terram.* Et- *Mar. 8.*
si enim largissime munera sua dispenset Omnipotens; intendit tamen ut ea piè sancteque sumamus. Quod qua ratione fieri debeat dum elucido, vos ad cibum spiritualem cum fructu manducandum orexim exacuite.

NARRATIO AC PARTITIO.

II. Henrico Regi Galliæ (ut memorant Annales inclitæ illius Gentis) sedenti ad mensam tres orbes apponebantur. In uno videbatur Panis, adjecto lemmate: *Cibus Ventris.* In altero *Annal. Gall.*

Cibus triplex ventris mentis & cordis. Apoph. Her.

tero Liber cum lemmate: *Cibus mentis.* In tertio Crucifixus, cum lemmate, *Cibus cordis.* In primo intendebat docere, non oculis, aut cupiditati; sed necessitati, ac naturæ serviendum. In altero Colloquiis utilibus ac spiritualibus epulas condiendas. In tertio cor inter edendum ad Deum erigendum esse. Optimum profectò, ac salutare consilium, cunctisque observandum, quotquot cum benedictione Domini, donorum ejus participes esse gestiunt.

§. I.

Orbis primus apponitur.

Cibus ventris quomodo sumendus.

III. PRimò enim Cibus ventris ita liguriendus est, ut non cupiditati, sed necessitati; non voluptati, sed naturæ, non consuetudini, sed rationi, non luxui, sed languori consulamus.

Inter alias cæremonias & præcepta per Moysen data filiis Israel, erat & illud, ut eadem tubas animarent ante epulum, quibus incendere soliti erant bellum. *Si quando habebitis epulum & dies festos, canetis tuba.* Hic jure indagare quispiam posset, quidnam tubæ faciant ad epulas? vel quidnam mysterii sub hoc involucro supremus legifer innodaverit? An fortè publicanda erat hac ratione solemnitas? Sed hoc fuisset vanitas. An prævidit non saginandos epulis ganeones, nisi intercepta per ingluviem melodiæ vicarius tubicen advocaretur? (Neque enim solo jam gutture vorare libet, nisi & auribus liguriatur) sed & hoc fuisset luxus. Num convivarum perinde ad potandum, ac bellandum acuendus erat animus? At nimis prona citra incantationem est naturæ vitiatæ ad excessum malignitas. Num æquè Mars instat in abaco inter obsonia, ac in campo hostes inter & arma? id hercle nemo inficiabitur, quisquis præsentis sæculi luxum justâ lance perpenderit. Nonne enim patinatiæ illæ cohortes imaginem referunt legionum? Nonne cultri stringuntur in eos, ut acinaces? Nonne tuscinulæ expediuntur ut pilæ? Nonne cyathi armantur perinde ac fistulæ? Nonne amphoræ ut tormenta? idque non ad ostentationem duntaxat, & plausum; sed verè ad conflictum, & velitationem. An enim unus alterum ad hoc pugnæ genus non incendit? An non plures quandoque contra unum hisce telis armantur? An non item gravissimè in hoc certamine alii in capite, alii in jecore, alii in brachiis, alii in pedibus, alii in toto corpore læduntur? Quærite unde dolor in capite; unde suffusio oculorum, unde vertigines? Si veritatem amant, dicent ex hoc congressu. Urgete & scisciamini, cur sanguinem spuat, cur tabescat in facie, cur hectica laboret? Quid dicet, læsus sum. Quo telo? vitriario seu Bacchico. Instate adhuc, & expiscemini unde podagra, chyragra, unde tremor totius corporis, unde repentinæ mortes? Tacent. Edic quæso mi amice, ut caveam. Quid mussitas? Eheu non aliunde quam ex naumachia Bacchica, ex prœlio navali. Perrarus ille est, qui illæsus ex hoc Marte pedem retulit: Quippe doctore Ecclesiastico; *In multis escis erit infirmitas, & propter crapulam multi perierunt.* Si computarentur illi, qui in hac acie periere, plures forte ad calculum revocarentur, quàm qui agnato naturæ cursu sublati.

Num. 10. 10.

Tuba cur inflata ante epulas.

Ebrietas nocet corpori.

Eccli. 37. 33. 34.

Aureus

Aureus verè Orator Chrysologus rationem metu injisse visus est, cum scriberet: *Bella gentium legimus superasse quam plurimos, quos tamen pugnas carnis (& gulæ) legimus vicisse; & audivimus eos delictu dedisse pectora; qui dorsa hostibus non dederunt.* Proh dolor! inquit, victores gentium vitiorum fuere captivi, nationum domini turpi servitute mancipati; Inter sævientes gladios steterunt illæsi, inter enervata ebrietatis latrocinia periêre confusi; adversas acies contrivere jejuni, & crapulati suarum castra dissolvêre virtutum; jacuerunt effuso vino, qui jacere effuso sanguine nescierunt.

Chrysol. ser. 41.

Item animæ.

IV. Et utinam tela hæc ita corpus sauciarent, ut animæ parcerent. Sed eheu ferocius in illam plerumque quam in corpus sævitur, vitiante ipsam virore teli animam. Serpit enim contagione quadam, aut cognatione ebrietas, & jam ad libidinem, jam ad vindictam, jam ad alia vitia incendit, quoad demum emortuam in barathrum inferni naufragio nunquam resarciendo demergat. Ea propter præmonet dictator optimus maximus: *Si quando habebitis epulum, canetis tubis.* Ut nimirum inter ferculorum reciprocationes, velitationesque calicum strenuè adversum gastrimargiam, crapulamve decertetis; nec jam pro aris & focis; sed contra aras panibus propositionis, ac facierum refertas, focosque fumantes confligatis; ut memineritis mortem per ingluviem illatam; ut non cupiditati, sed necessitati serviatis; ut & corpori, animæque consulatis.

Deus parcè nos nutrit.

V. Hocipsum nobis præsenti miraculo inculcare voluit Dominus, quando amandatis omnibus gulæ irritamentis, solo pane, eoque hordeaceo, frustilloque piscium eos refecit. Profectò haud arduum fuerat, quidpiã obsonii apponere, aut assas de cœlo columbas advocare, aut coturnicum agmina immittere; attamen ut temperantiæ virtutem commendatum iret, nec tam gulæ, quam temperantiæ serviendum esse edoceret, frugalissimâ suos convivas mensâ excepit. Hoc eodem orbe, seu temperantiæ virtute insignes extitêre vel ipsi Ethnici, inter quos bene multi solo pane, & lymphâ, aut crudis radicibus vitam tolerarunt. Ego ut meos Auditores ad talem severitatem non adigo, ita exopto ut utantur alimentis & poculis, non ad ingurgitationem ventris; sed ad reparationem virtutis; ut serviant dominæ, non tyranno; necessitati non voluptati.

§. II.

Orbis alter apponitur.

VI. ALterum orbem infero cum titulo: *Cibus mentis.* Quis vero iste? non alius, quam de quo Assertor noster: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore DEI.* Vivit pane, & aliis oleribus ac fructibus corpus; vivit verbo Dei, piisque colloquiis animus. Qualis est caro, quæ post multos dies percipit cibum; talis est anima, quæ non pascitur verbo Dei. Quâ ratione caro fame enervatur, & arescit; eâdem, anima verbo Dei destituta, languescit, & inhabilis ad strenuè fortiterque incedendum efficitur.

Cibus mentis sumendus cum cibo ventris. Matth. 4.4.

...tur. Si omnis cibus subtrahatur corpori, & animæ, æquè hæc, atque illud emoritur. *Non enim in solo pane vivit homo*, &c.

Noto ego quempiam sacra synaxi quâvis prope hebdomade refici, & laudo comproboque, sed quod illicò, velut Judas alter à mensa sacra surgat, & extra templum se proripiat, laudare, probareque haud possum. *Quia non in solo pane* (eoque Eucharistico) *vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore DEI.*

Credo ego supernos Indigetes in summa beatitate vitam ducere, nec tamen cadaveribus hisce, aut quisquiliis terræ vesci; sed aspectu, & verbo Dei; Infero itaque, anima quæ non vescitur verbo Dei, aut emoritur, aut angelica non est. *Non* enim *in solo pane*, &c.

VII. Hoc cibo pastæ in eremo turbæ, nullius alterius esculi desiderio flagrabant, redundante ex cibi spiritualis fortitudine, etiam in corpus vigore. Hoc eodem saginati inter edendũ plures alii, omnis alterius appositi edulii obliviscebantur. Nec unquam Dominum exaturasse turbam corporalibus dapibus legimus, quin prius spirituales apposuisset. Et si profundiùs hunc accumbendi ritum scrutati fuerimus, ipsis Ethnicis familiarem fuisse deprehendemus.

VIII. *Balthasar Rex* (referente Daniele Propheta) *fecit grande convivum optimatibus suis mille, & unusquisque secundum suam bibebat ætatem. Præcepit ergo jam temulentus, ut afferrentur vasa aurea & argentea, quæ asportaverat Nabuchodonosor Pater ejus, de templo quod fuit in Ierusalem, ut biberet in eis Rex, & optimates ejus, uxoresque ejus, & concubinæ.* Dan. 5. 1. 2. Quid hic ad omnem licentiam, furoremque deerat? Fumabant patinæ, coronabantur calices, Ceres undabat, exundabat Bromius, Venus furebat, lyris, tibiisque Cupido incitabatur. Quid egisse arbitramini convivas, in ea alluvione voluptatis, triumphoque procaciæ? Quis non eos in tanta pellicum caterva, ad propudiosa quævis prolapsos crederet? Magnum incendii pabulum est viro, jejuna quoque abstemiaque fœmina. Quid si bibax, suæ pronubos lasciviæ induxerit crapulam, & luxum. Quis non sequestrato omni alio Numine soli litasse Volupiæ illos sibi persvaderet? Vix enim inter Cereris Bacchique solennia aliud Numen, præter Venerem colitur, nec inter gratissimos frugis odores, aut sapores, alia acerra præterquam ventris incenditur. Nihilominus, quod fronti Christianæ ruborem inducit, & animum in admirationem rapit, Babylonii helluones inter tantam ciborum potusque ac meretricum colluviem, idolorum suorum memores eadem putatitia sua Numina devenerabantur. *Bibebant vinum, & laudabant Deos suos, aureos, & argenteos, ferreos, ligneosque, & lapideos.* Ibid. v. 4. Nullam de mulierum mollitie, aut pulchritudine mentionem fecisse perhibentur. Non disputabant de fœminarum ciliis, cirrisque, aut num passi, an adstricti crines procis plus in fœmina arriderent; aut quænam forent oculorum acriora tela, glaucine, an verò subnigri. Non denique perruptis modestiæ repagulis differere præsumebant de quovis petulantiæ usu, abusuque lasciviæ, quæ

Ethnicorum religio inter epulas

quæ materies esse solet, Cerere plus solitò affluente, & Baccho incalescente, *Bibebant vinum, &c.*

Quos venerabantur ementita religione Penates, eosdem nec abesse à mensa sua, nec deesse confabulationibus patiebantur. Et nos prâ pudor pudet sæpe meminisse Numinis in festiviore dapum apparatu! Desipiunt cuncta, si vel modicè alloquiis spiritualibus epulæ condiantur, & sistitur torrens voluptatis, si verbo pio, ac religioso incantetur. Vincitur vera pietas, à falsa & fulminara natione ac religione. Illi, pellices inter, de diis suis sermocinabantur, nos inter sacra de Nymphis, aliisque dehonestamentis philosophamur. Illi Numen suum devenerabantur inter pellices; nos proscindimus inter Levitas. In illorum vino religio enatabat, in nostro sæpius mergitur; & libido velificat. Calix Assyriorum cœlum spirabat, Christianorum identidem cœnum redolet. Quæ enim in cyatho apud nos non natat obscænitas? Quo in calice non naufragatur pudicitia? Quo in abaco non commendatur procacia; & incessitur continentia? Quo in convivio non despuitur integritas, & libido coronatur? profectò si nostras cum Babylonicis mensis componamus epulas, Deorum illic fuisse epulum dicemus, nostra verò convivia aut Faunorum, aut Furiarum esse fatebimur. Totâ continenter mensa de diis differebant Assyrii, nostris nõ sine stomacho sermones de Deo aversantibus.

Christianorum procacia in epulis.

Discamus tandem vel ab Ethnicis religionem quam, à Christi, & Apostolorum ejus ore recipere hactenus sumus dedignati. Discamus inquam ab iis, & vel ex iconibus ipsis crateribus inaratis, vel parieti affixis, vel exemblematibus incisis, vel aliunde occasionem sumamus; aut quæstionis aut interpretationis, aut piæ narrationis; vel minimum honestâ, & rectâ intentione adducamus. Ita enim fiet ut cum asinum pascimus, Dominum jejunum haud sinamus. Ita fiet ut & præsentes ædificemus, & dapes cum benedictione Dei sumamus.

§. III.

Orbis tertius affertur.

IX. TErtius orbis lemma præferebat: *Cibus cordis.* Hic verò non est alter, quam pium quodpiam suspirium; quam brevis elevatio cordis inter edendum ad Deum; quam reflexio ad fontem summæ bonitatis ac misericordiæ, unde promanant; quam debita pro acceptis donis gratiarum actio. Turpe sit homini Christiano pecudum ritu helluari, à cœlo in lances aversò demersoque vultu; nec divinitatis, nec mortalitatis, aut honestatis esse memorem. Turpe sit ciborum illecebrâ, perinde ac charybdi quapiam absorberi penitus, & abripi in profundum voluptatis. Turpe eam quam hominibus secundum epulas habemus gratiam, Deo largitori omnium denegare; & hospiti effusè prolixeque assentari cœnulam extemporaneam struenti; Domino autem annonam indies liberalissimè subministranti non litare. *Absurdum* sit (loquor & ingemino cum aurei oris doctore,) *si cum famuli nostri (quando partem eorum aliquam,* *Cibus cordis.*

Chryſoſt. tom. 1 h. 2. de fide & bono

quæ nobis appoſita ſunt accipiunt) nobis gratias agant, beneque nobis precantes adeant; nos cum tot tantiſque fruamur bonis, ne hoc quidem honoris Deo perſolvere.

Miphiboſeth gratitudo erga David.

X. Pudet me profectò noſtræ ingratitudinis erga ſummam Majeſtatem, quoties Miphiboſeth menti meæ incurrit. Hic evocatus à Davide, blandeque acceptus ob conjunctionem parentis ſui cum illo; communem ſibi deinceps cum rege fore menſam cùm accepiſſet, ſic obtorpuit, ſtupuitque, ut in eas ad Davidem voces eruperit: 2. Reg. 9. 8. *Quis ego ſum ſervus tuus, quoniam reſpexiſti ſuper canem mortuum ſimilem mei?* Ionathæ is filius fuerat, non ab mapalibus in regiam, ſed à Saulis regia in Davidis aulam adſcitus, & baſilicis patinis adhibitus. Si ergo tanti principis filius, ad oblatam non tam generi, quam armigeri menſam admovendus, pro iis, quas necdum libaverat daptibus eas largitori gratias habet, qua ratione nos piget, non ore tantum ſed auribus, ſed oculis, ſed naribus ſaturos oppletoſque voluptatibus Deo noſtro aſſurgere, curſimque Mœcenati affluentiſſimo, vel ſemel labiis perlitare? Toties nobis menſa ſternitur, toties accumbimus, & Deo noſtro, non aſſternimur, non ſupplicamus non canimus, non animo, menteque grates rependimus.

Addamus nos tot flagitiorum reos, obnoxios eſſe ſulphuri non falerno. Debebamus in Avernum detruſi iræ calicem exorbere, dum gemmâ bibimus, & Ambroſiam ligurimus. Succeſſerè Numinis beneficio vulturibus ficedulæ, has conficimus, non ab illis conficimur. Non diſcerpimur à draconibus, ſed palumbem concerpimus. Murenæ anguibus ſunt ſuffectæ, & prunæ in pruna regelatæ. Epulamur, non urimur; nec ollæ immergimur Aquilonari, ſed medicata ab Eliſæo ollulâ recreamur. Et tam diris exemptum cruciatibus, & tantis illecebris paſtum piget ſecundum patinas os in cœlum obvertere, & Divinitati carmen rependere.

Danielis propulmento accepto gratitudo.

XI. Pudet me multorum quoties ſubit Daniel vates. Hic ſolius reus pietatis, & religionis in cavea leonum damnatus capitis jacebat, ingemiſcebatque. Stipabatur belluis princeps Satraparum, & momentum præſtolabatur, quo una ſui viſceratione iratiùs ſeſe, ſubductis ovibus, feræ cruentarent. Hæc inter demittitur pendulus è crine Habacuc ad Danielem, porrecturus ollulam ſecundarii panis fartam ſegmentis; dignam ſcilicet, paratamque meſſoribus pultem. Et clamavit Habacuc dicens: *Daniel tolle prandium, quod miſit tibi Deus.* Dan. 14. 36. Ad has munificas quidem voces, ſed agreſtes, & vulgares dapes, quid egiſſe putatis vatem? Illuſum ſibi alius eo prodigio putaſſet, nec vi ſuperum ad ſe Habacuc acceſſiſſe, ſed carminis maleficio violentiâque Magiæ obreptum in caveam cenſuiſſet. Mihi, dicere potuit, viro regii ſtemmatis ac ſanguinis, mihi pro legibus traducto, mihi ad beſtias damnato, hæ ſubmittuntur lautiæ? quas tute ſaxeis meſſoribus illis ſtruxeras? Ganeæ anteceſſorum meorum famulabatur Affricus; cœlum in tranſgreſſores grandinabat coturnicibus, manna illis ſubegêre cœlites, mihi non niſi intriti panis

alveo-

alveolus obtruditur. In domo ſagæ paſcuali vitulo Saul recreatur, & moriturus, & ſacrilegus; me damnatum ad beſtias offa miſera proritabit potius, quam famem ſedabit. Elias pedicis caruit, nec cum leonibus, vel unam tranſduxit horam, & tamen placentis à Sareptana, eſculentis ab alite paſcebatur. Me pauperiùs frigidiuſve nutrit vates monſtris objectum, quam pleroſque otiantes inter luſcinias, & myrtos enutrierint corvi. Quid juvat adire diſcrimen capitis pro cœlo, ſi emenſo ærumnarum ſtadio, polentâ principes confovemur, quâ meſſores veſcuntur? Præſtabit à leone vorari quam tam ſordidam exorbere patinam.

Hæc aliave bilis, tædiive plena Daniel vomere potuiſſet; verùm ille adorores eliquavit roſaceos, affuditque pulti cor plenum gratiarum, votorumque. *Et ait Daniel: Recordatus es enim mei Deus, & non dereliquiſti quærentes te.* Prius ora in Deum gratiſſima demiſſione, quam in dapes reſolvit. Et epulorum, & hoſpitis immemor, uni ſeſe Numini impendit; orat, ſubſilit, gratulatur, ſtupet, tanto ſe dignum congiario. *Recordatus es mei Deus.* Exigite quid de ſe Vates ſentiret, quas Numini grates rependeret, ſi apricaretur in villa; quem Dei ſui non cepit oblivio in lacu leonum. An non exaggeratiores gratiarum hoſtias litaſſet in flore, qui ſe è providentiæ albo non expunctum miratur in carcere? An non inter mella amplius cor ſuum effunderet, qui muriam tantâ alacritate ſuſcepit. *Recordatus es mei Deus.* Ad ollam ille obſtupuit, cum nos homunciones, conchasum aviumque diſtenti crapulâ, & infarta beſtiis terræ alvo, vix ad gratias agendas aſſurgamus, aut certè non niſi in ſimilitudinem fulguris coruſcantis abſolvamus. Et abunde ſuperis ſatisfactum arbitrabimur, ſi fortè buccam myſtaceſq; in formâ crucis deterſimus, proq; ingentibus nominib⁹ levi lunati capitis cenſum depoſuerimus.

Dan. 14. 37.

XII. Pudet, ah pudet me horum aliorumque ſimilium, quoties itidem Eremicolarum veterum recordor. Hos authore S. Chryſoſtomo accepimus ſolitos fuiſſe profuſiſſimas Numini gratias perſolvere, decurſis illius non penuariis duntaxat, ſed quibuſvis aliis beneficiis. Et quæ illa tum quæſo cœna erat, cui ſeſe impares referendo gratias viri proſapiâ, opibuſque inclyti, & in voluptatibus olim enutriti profitebantur? Vulgaris panis fruſtulum, idque furfureum, & mucidum, cœnam illorum definiebat, addito forte naſturtio, & ſale. Perraro inſtillabatur oleribus oleum, ſed ſæpiuſculè cinis calamitoſæ patinæ aſpergebatur. Mella tanquam toxica vitabant; mulſa ut aconita damnabant. Nunquam aliud præter meracam è fonte undam teſtaceis cotylis affundebatur. Vitri enim nec nomen, nec memoria inter eos extabant, niſi cum litarent in altari. Stupebant arbores nulli ſe penitus Sylvicolarum germinare, neſciebantque an Adæ poſteri forent, qui ſeſe ab omni ligno paradiſi tam rigidè continerent. Quævis enim arbor, ceu interdicta ſcientiæ planta, ab illis putabatur, ex qua ſi quis pomum decerpendum ſuaſiſſet, illico velut anguis ſupplantator eliminabatur è ſilva. Ita cum non tam convivium, quam ſupplicium

Eremitarum veterum grata mens poſt menſam. & eorum abſtinentia.

naturæ haberi poterat, illa Anachoretarum mensa, cum ita suis cænulis excruciarentur, ita cunctis destituerentur deliciis, diuturnas gratiarum hostias Numini litabant.

Vix quadrantem horæ mensæ assedebant, & vix humo post horam ab hymnis assurgebant, perinde acsi ambrosiam ebibissent, vorassentque aut Cleopatræ uniones, aut scauros Tarentinos.

Nos eheu minores referemus pro melle gratias, quam illi in Eremo habuerint pro cinere? Nosne silebimus pasti in Apolline, cùm alii betâ, aut portulacâ comestâ cœlestes genios cantando æmulentur? Nos non assurgemus in cœlum, quos aves explevêre, cum ii in Deum evolent, quos radix amara satiaverat? Cruciatus amarore germinum Deo psallit Eremi epulo, & conchis melleque conviva recreatus conticescet. Poterimus tacere inter volucres, & inter alaudas non canere, saltem immugiamus pascuali vitulo saginati.

XIII. Judæi ipsi prô pudor! non illi duntaxat electi, sed & recentiores fulminati, in conviviis suis prolixa utuntur benedictione, & quoties quidpiam novi aut lauti affertur; peculiarem adhibent benedictionem, dicentes: *Benedictus sis Domine Deus Creator, qui bonus es & benefacis omnibus, qui creasti hoc sapidum vinum, hæc aromata, hos fructus*, &c. Vah! & nos insensibiliores erimus, magisque ingrati, qui amplius amati a Domino? Plusne abundabit justitia Pharisæorum quam Christianorum? *Rituale Iudæorum.*

Absit, absit, haud mihi persuadeo. Curabitis confido omnes ejusmodi orbes non ligneos, aut stanneos, argenteosve, sed morales & spirituales. Inscribetis primo *Cibus ventris*, non voluptatis: Alteri *Cibus mentis*, non tantum carnis: Tertio *Cibus cordis* & gratiarum. Ita fiet, ut & dapes vestras in hac vita divina Majestas benedicat; & in altera torrente voluptatis suæ inebriet.

Fiat.

CON-

CONCIO XXXVI.

IN DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium. Matth. 7.

ARGUMENTUM.

PSEVDO-PROPHETÆ IN SCENAM DANTVR.

I. INcompertum mihi omnino est, an veteribus recentiores Pseudoprophetæ respondeant. *Aud.* Quum enim nequitia sibi non constet, sæpius cum tempore genium mutat. Id tamen extra omnem controversiam est, signa ex quibus veteres discernere eos soliti, heteroclita esse, & æquè falsis, ac veris communia vatibus. Necquicquam enim vetat, vel simias Prophetarum, pellibus ovium, suam obtexere malitiam, vel germanos suam honestare modestiam. Vulgaris hic habitus æque Sodomitarum, atque Palæstinorum est. Certò itaque distingui ab invicem signis exterioribus neutiquam queunt, quæ usu ipso ovibus ac lupis reddita sunt consanguinea.

Verumtamen utut nonnullorum aciem personato fascinent habitu, omnes unà fallere nullatenus queunt. Cum lupum toto exuerint vultu, ac habitu, cauda eundem, vestigiisque produnt. Hos ego non tam meo, quam aliorum scrutinio agnitos in scenam daturus, vos, monito Domini instructos quatenus caveatis, arrectos percupio.

PARTITIO.

II. Argutissimus ævi nostri Bahusius uno versiculo præcipua falsorum Prophetarum capita scitè complexus est, ita scribens: *Pseudoprophetæ tres qui sint. Bahus. lib. 1. Epig.*

Vnum Grammaticum, Logicumque & Rhetora vita;
Hos si vitaris, cetera tuta tibi.

Hos verò manifestaturus planius, aliud subdidit distichon:

Quis Rhetor? mundus; fallax Logicus Cacodæmon;
Semper declinans est caro Grammaticus.

§. I.

Primus Pseudo-Prophetes Rhetor producitur.

III. PRimus vanus Augur Rhetorum instar, supplantans mundus est.

Rheto-

Rhetorum officium.

Rhetorum officium est, rem alioqui vilissimam miris encomiis efferre, dignissimamque amore, & æstimatione venditare. Unum culicem, pulicemque cinereum, aut funereum, unum ovum, rapamve, lutum ipsum phalerata eloquentiæ pompâ in tantum adornant, acsi necquicquam amplius usibus nostris commodaret, aut nihil excellentiùs toto in orbe inveniretur. Vel exadversum rem alioqui eminentissimam in tantum extenuant; ut vix sputo ac luto digna habeatur.

Suppar Rhetoribus hac in parte mundi genius est, vilissima magnificat, magnifica vilificat. Nam quid quæso sunt terrena omnia, nisi somnia; *nisi momentum statera, nisi umbra pertransiens, nisi vanitas vanitatum*; seu ut alia *Eccles. 1.* lectio habet: *Nihilum nihil, & omnia nihil.* Et nihilominus lucrum minimum in tantum appendit, perinde acsi in eo vita, salus, & faustitas verteretur. Futilem gloriæ umbellam ita exaggerat, ut hominem ejus desiderio inceasum, sui impotem reddat, ad ardua quævis ejus amore tentanda extimulet, ad vitam ipsam aleæ exponendam inflammet. Formam, fragile bonum, in tantum honestat, acsi illa summum bonum foret, in quo, & animus conquiesceret, & desideria irrequieta suum sortirentur finem. Unde hoc? Quia Rhetor est mundus, & sua non quidem verbis, sed repræsentatione, ludificatione, præstigiis exaggerat.

Mundus perspiciliis utitur.

IV. Quæsitus Ascetarum quispiam, qua ex causa mundus major, meliorque multis videretur, quam revera sit; reposuit, eò quod res mundi per conspicilia contemplemur. Ideo enim dignitas, & magistratus quodvis officium splendidiùs, eminentiusque nobis apparet, quoniam per conspicilia præconceptæ imaginationis, vel etiam ambitionis illud contemplamur. Idcirco opes tam proficuæ incurrunt, quod illas conspiciliis, quà avaritiæ, quà cupiditatis, quà superfluæ anxietatis intueamur. Ideo alia mundana gaudia laureata ducimus, quod hoc fascino illudamur. Tolle ista, aliasque mundi offucias, & opes perinde ac lutum calcabis, aut cum Paulo tanquam stercora arbitraberis; gaudia exotica perinde ac toxica effugies, honores veluti umbras noxias declnabis.

V. Vidit, credo mundum remotâ crystallo Balthasar rex, quum tertiam regni partem somnium interpretanti promisit, Herodes, cum dimidium regni pro saltu unico exposuit; Diabolus, cum totum dilargiretur ab unam genuflexionem. Quod si eandem & nos semoveremus, nec tam præsentiâ suâ blandientem, quam in exodo cruciantem contueremur, profecto eadem trutinâ illum appenderemus, nec tantis dignum curis, laboribus, angoribus duceremus.

Mundus tropis utitur.

VI. Utitur item mundus, haud secus ac Rhetor metaphoris, ac tropis aliis, idq; quà nominũ, quà rerum.

Nominum quidem, quando à Solis jubare transducta similitudine, alios illustres & perillustres, alios Illustrissimos, ac Serenissimos indigitat. Vel etiã ab operibus aliorum heroicis magnificos, consultissimos, famatissimos appellat. Vel à talentis divinis, aut naturæ donis effert, & gratiosissimos, reverendissi-

rendissimos deprædicat. Quæ tamen omnia propriùs ipsis conveniunt à quibus transumpta sunt, quam iis, quibus per translationem attribuuntur.

Rerum itidem, quum aliena, tanquam propria administrat, tanquam absoluti juris dispensat. Scimus autem, quod nihil intulimus in hunc mundum, & procul dubio nihil inde efferemus. Scimus, quod talenta nobis concredita sunt ad negotiandum, non tradita; oppignorata non donata; & nihilo secius perinde ac si nulla de illis reddenda esset ratio eadem vendicamus, profligamus, dilapidamus ad injuriam etiam Creditoris Domini nostri.

Mundus sycophanta.

VII. Utitur tertiùm non secus, ac Sycophanta Rhetor Ironiis, seu illusionibus, cum aliud ore, aliud mente versat, aliud loquitur, aliud intendit; amicum salutat & ut inimicum jugulat.

Id liquido ostendit in Joabo, Duce exercituum maximo, Davidis regis Is audito Amasæ ad se adventu, effudit sese illi obviam in amplexum, blandissimèque eundem exosculatus, ait: *Salve mi Frater.* Nunquam secundioribus influentiis sidera domum irrorarunt meam, quam cum omni Phœbo illustrius eandem præsentiâ tuâ irradiare dignatus es. Proinde si vel in Memnoniam animus mihi statuam lapidescret, non possem non in liquidissimum gaudiorum concentum animari, quum te amicum sidus, radiis exoptatissimæ præsentiæ effulgentem accipio. Vive in mille millia frater dilecte, & quantum mihi vultus tui impendio indulges, tantum tibi de cœlis effusissimi apprecor. Verùm dum hæc ore perorat, & basio dicta obsignat, sicâ ex improviso educta eundem configit: *Dixit Ioab ad Amasam, salve mi Frater, & tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum,* sinistrâ vero ferrum visceribus immersit. Hanc ejus vafritiem notans D. Augustinus exclamat: *O munde proditor, cuncta bona promittis, & cuncta mala profers. Promittis vitam, sed donas mortem. Promittis gaudium, sed largiris mœrorem; promittis quietem, sed ecce turbatio; promittis florem, sed cito evanescit; promittis stare, sed cito recedis.* O munde, proditor! ô versipellis histrio! ô sycophanta phalerate! Tu quisquis es hinc sapere discas, & dum tibi dicit Ave, tanquam ab hoste cave.

2. Reg. 20. 9.

S. August.

§. II.

Alter falsus Prophœtes Cacodæmon.

VIII. Alter personatus vates, qui æmulatur Logicos, est odibilium Sophorum princeps ipsemet Sathanas. Ut enim Logici, ac sophistæ, variis fallaciis elenchi, dictionis, æquivocationis, suppositionis, aliisque utuntur ad fallendos alios: ita non minus mille fraudum artifex Cacodœmon. Nec secus, quam Protheus Ægyptius in omnem sese formam, speciemque componit, oculis, mentique impositurus nostræ. Ut enim excidit à veritate in qua non stetit; ita necquicquam illi familiarius errore est, quem niveo, argenteove vestit amictu, & verborum phaleris, quasi purpurâ honoratâ, quo cupidius excipiatur. *Ea est,* (ait Cyprianus) *diaboli astutia, ea circumveniendi homines*

S. Cypri. tract. 3. de Prael. simpl.

homines cæca, & latebrosa fallacia; ut asserere videatur noctem pro die, venenum pro salute, desperationem pro obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Anti-Christum sub vocabulo Christi, ut dum verisimile mentitur, veritatem subtilitate frustretur.

Ita primos parentes nostros circumvenit, promittendo illis vitam in occiduam: *Nequaquam moriemini:* Item scientiam divinam: *Scientes bonum & malum*; insuper divinitatem: *Eritis sicut dii.* Et tamen nihil horum præstitit, nec præstare potuit. Ita etiamnum naso non paucos suspendit ut præcipitet. Gen. 3. 5.

Diabolus utitur fallacia elenchi.

IX. Et ut planiùs progrediar, utitur imprimis fallaciâ Elenchi, quando aliquid dicit, aliquid subticet, vel verba dividit, alioque sensu accipit. Sic utitur S. Scripturæ testimoniis non ut doceat, sed ut fallat; non ut illuminet, sed ut caligne errorum involvat. Exploderetur enim extemplo error, si nudus proponeretur, nec sipario quopiam sacræ paginæ ad fallendum incautos involveretur.

Item fallacia æquivocationis.

X. Utitur itidem fallaciâ æquivocationis, quando umbratiles delicias pro veris, falsam pietatem pro sincera, vitium pro virtute substituit. Ponit ante oculos formas ilices dulcium rerum, atque formosarum, Luxuriem cœsto Veneris, & gratiis omnibus comptam, ambitionem coronatâ veluti pompâ incedentem, & tenentem viam, ad illustrem felicitatem, lucrum ingens, possessiones ampliſſimas, jocum & ludum, ac mensarum cupedias, & usuram multiplicium voluptatum falsæ imaginis objectu exaggerat; ut difficile sit inter vitium ac virtutem, bonum ac malum discernere, aut resistere. Hac viâ identidem illudit sagis, stercus pro placentis, ranas & aspides pro pullis, aut piscibus apponendo.

Radbodus illusus à diabolo. Vincent in spec. hist. lib. 23. c. 146.

Hac arte fefellit Radbodum ducem ad labora Christi non mediocriter propensum. Pollicitus enim illi Elysios campos, palatium perquam splendidum, omniumque sensuum illecebris refertissimum exhibuit. Inibi adblandiebantur eidem multicolores scenæ, quâ florum, qua emblematum, qua Nympharum veteratoriâ arte propositæ. Aures Orpheus, Arionque pergrato demulcebat cytharæ murmure. Ad gustum exaturandum Noemi arca, tanquam in navale voluptatis illata videbatur. Alii itidem sensus suo luxuriabant in objectu. Hanc Odysseam Basilicam, cum secundum fata eidem fallax Ulysses pollicitus esset, hominem ita inescavit, ut obstinato ad perfidiam animo decesserit.

Eadem ratione circumscribit quospiam sæculi jugo mancipatos, quando illis transitoria hæc gaudia, perinde ac æterna; hæc bona caduca non secus ac immortalia, præsentem inanem gloriam, instar cœlestis adoreæ, ac laureolæ proponit. Cum tamen hæc omnia mera sint somnia, & intuitu æternorum minus, quam umbra.

Item consequentis.

XI. Utitur tertiò fallacia consequentis, quando ex antecedente vero, aliud iniquum infert. Hac ratione misericordiam Dei impiis in tantum extollit, divinamque Astræam exterminat; ut sublato omni timoris fræno, in peccata eò proniores, quò metu solutiores agat. Hac eadē prima fronte ad quæ-

quædam virtutum officia ſuos invitat, non ut veram virtutem, germanamque juſtitiam exerceant; ſed ut prætextu illius ad falſam ſuî fiduciam, aut inanem gloriam inducat. Quos enim intelligit virtutem medullitus complecti, cæteraque intuitu ipſius faſtidire, illos aliâ viâ, niſi forte ejuſdem virtutis ſpecie illuſos ſupplantare ſe poſſe diffidit.

Cujus res typum exhibuiſſe mihi videntur illi perverſi regis Perſarum ſummates, qui cum variis argumentis, atque officiis Danielem in invidiam apud regem vocare niterentur, nihilque ex ſententia cederet, id ſecum
Dan. 6.5. conſilii inierunt: *Non inveniemus huic Danieli aliquam occaſionem, niſi forte in lege Dei ſui; Quidvis enim patietur prius, quam eam violare audeat.* Eam ob rem induxerunt regem, quatenus imperatorio decreto ediceret, ne ullus quicquam ab ullo Deorum, præterquam à rege per triginta dies auderet petere. Factum id in ſpeciem regiæ munificentiæ, vel divinitatis cujuſpiam terreſtris oſtentandæ; revera autem ad fallendum, atque illaqueandum Danielem.

Eodem ſtratagemate pios homines circumvenire nititur Orcus, quos nihil, niſi quod Deo gratum ſit amare intelligit; ideoque virtutem obtendit, ut in vitiorum præcipitium devolvat.

XII. Utitur tandem ut alia mittam, falliciâ ſuppoſitionis, quando ſeipſum ex principe tenebrarum transformat in angelum lucis.

Hoc aſtu circumducere doloſè nitebatur S. Martinum Pontificem, quando in habitu ac perſona Chriſti Domini eidem apparuit. Hoc S. Julianam virginem, cum eidem in forma angeli ſe ſtitit. Hoc alios prodere ac perdere niſus eſt.

Ne itaque circumveniamini ab hoc Sophiſta, attendite, & diſcite, quâ arte eidem obviam eatis, ejuſdemque technas diſſuatis. Attendite, quoniam exercitatiſſimus, ac verſutiſſimus eſt; attendite quoniam innumeri prope ejuſdem offuciis circumventi; attendite quoniam ſi hoſti bona temporalia infeſtanti occurreretis, multò ſolertius ſurripere nitenti ſempiterna ac cœleſtia reſiſtite. Attendite *quoniam non eſt nobis colluctatio* (loquor cum Apoſtolo) *adverſus carnem, & ſanguinem; ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, adverſus ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* Eph. 6. 12.

§. III.

Ultimus Pſeudo Propheta caro.

XIII. Ultimus perverſus Augur, qui in modum Grammatici declinando fallit, eſt Caro noſtra. Hæc enim virtutis viam primo acceſſu quadantenus aſperam offendens, Herculeo eâ paſſu terere verita, inexuperabilem comminiſcitur, & ad aliam vitiorum roſis primâ facie inſtratam, ignara exitus deflectit. Illam itaque in Recto utrovis declinat pede, quando inacceſſam, & aheneis ſeptam mœnibus mentitur; In Genitivo quum debilitatem naturæ ſuæ obtendit; In Dativo cum ſibi, neſcio quæ indulta diſpenſat; In Accuſativo, in eos qui ab itinere voluptatis avocant invehendo; In Ablativo, ſpiritum paulatim extin- *Caro Grammaticus.*

guendo, & sui prope juris efficiendo. *Semper declinans est caro Grammaticus.*

XIV. Liber Judicum perhibet arbores, de principe sibi præficiendo anxias, ad varios regni candidatos suos internuntios destinasse imperii habenas delaturos. Et primùm quidem dixerunt olivæ: *Impera nobis.* Haud te latet arborum illustrissima in quanto discrimine versemur, quantisque sternamur cladibus. Indies cervicibus nostris secures imminent, & jam annosæ quercus, jam abietes, jam piceæ silvestres, jam aliæ, atque aliæ capite multantur. Nonnullæ Isaiæ aut Simonis instar serra crudeli diffinduntur, nonnullæ cum Bartholomæo excarnificantur, nonnullæ in frusta discerpuntur, futuræ demum pabulum Vulcani, & gehennæ. Tantis malis obviam itura universa arborum natio, tibi præ cæteris fasces regni concordibus defert suffragiis, tuoque sese pronam devovet imperio. *Veni impera nobis.* Tu nos athletas ad certamen inunges oleo, tu armis rubigine obductis nitorem pristinum restitues, tu famam nostram illustriorem reddes: *Veni impera nobis.*

Iud. 9. 9.

Ibid.

Quibus auditis replicavit illa: *Numquid possum deserere pinguedinem meam, quâ & dii utuntur, & homines, & venire, ut inter ligna promovear?* Nunquam placidam sceptra quietem certumque sui tenuêre diem? Princeps haud absimilis corporibus cœlestibus magnam venerationem, & nullam requiem habentibus.

Præstat proprio pascia dipe, quam turbarum inter curas contabescere. *Numquid possum deserere pinguedinẽ meã.*

XV. Hac ratione spe præconcepta frustratæ, legationem ad ficum moliuntur. *Dixeruntque ligna ad arborem ficum: veni & super nos regnum accipe.* Nullo tractante essedum imperii, in extrema illud devolvitur præcipitia, nec secus ac sublato capite fatiscunt membra; ita interire nationem nostram necessum est summate nullo suffecto. *Veni & super nos regnum accipe.* Tu ficus ostendes adversariis nostris, sugillabisque eorum impotentem dominatum. *Impera nobis.*

Ibid. v. 10.

Quibus illa: Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos, & ire, ut inter cætera ligna promovear? An non fiderata forem, si posthabitis delitiis meis, gloriæ umbratili velificaturus, curatum Oceano me committerem. Denauseant fastidita Tantali triclinia, cui ficuum prostant bellaria. *Numquid possum deserere dulcedinem meam?*

XVI. His necdum fractæ repulsis tertiò mittunt ad vitem: *Locuta sunt ligna ad vitem: Veni, & impera nobis.* Dignum ac justum duximus tibi Domina sceptrum deferre, quæ tot calculos pro regno obtines, quot botros progerminas. Quisquis tuum fructum, is una te princepem legit. Vota omnium in tua sunt potestate, & tum differtissimè fluunt, cum tu affluis: *Veni & impera nobis.*

Ibid. v. 12.

Quæ respondit eis: *Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines, & inter ligna cætera promoveri?* Vos ut video electores estis non populorum, sed poculorum. Arridet vobis vinum, non vitis. Serpebit ista humi nullo fixa palo; ut primum

Ibid. v. 13.

vinde-

vindemia finita fuerit. Incassum in fulcrum imperii adsciscitur, quæ ipsa suis niti nequit pedibus. Apage cum pomo imperii, quæ botris abundo. *Numquid possum deserere vinum meum?*

XVII. Typus hujus legationis in arboribus adumbratus ex nobismet ipsis desumptus est. Nos arbores sumus, nos indies imminente singulorum cervicibus falce mortiferâ cædimur, nos funditus extirpamur, nos gliscente in nobis flammâ sensim in cineres redigimur; plurimi etiam nostrum in inferni clibanum præcipitantur. Interim mittitur una, mittitur alia, mittitur tertia legatio: Impera tibi, dominare cupiditatibus tuis, retunde hostium tuorum impetum, viresque infringe. Adnitere, ut possideas regnum, tibi præparatum ab origine mundi. Id à te exigit Pater æternus, qui te condidit; id Filius Servator tuus, qui te lytro sui cruoris redemit; id Spiritus S. sanctificator tuus, qui te imprimis in sacro baptismate à peccato originali expiavit. Ad id te exemplo suo provocant sancti Dei, de sua salute jam securi, de nostra etiamnum solliciti. Ad id stimulant Ecclesiastæ, illuminat ratio, manuducunt revelationes, prodigia, experienta prope ipsa.

Verùm quid replicat, quid auguratur caro? *Quomodo*, ait, *possum deserere pinguedinem meam? Quomodo possum deserere dulcedinem meam? Numquid possum deserere vinum meum?* Fierine potest, ut qui antehac ructare satiem non ore tantum; sed oculis, & auribus, & naribus sum solita, jam nunc inediâ me conficiam? Fierine potest; ut voluptatibus nuntium mittam, quibus à teneris sum enutrita? Fierine potest, ut ego, quæ gemmâ bibi ambrosiam, jam lympham urceolo hauriam, quæ margaritis vixi, polentam liguriam? quæ calcavi stragula, plumisq;, ac gossypio indormieram, jam in sacco stramineo resupiner? Fierine potest ut me contineam ab adamatæ amplexibus, à crapula in sodalitate, à vino incenso, à bellariis meis. Moriar citius, quam id devincam.

Quid inde eructat hic Apollo? Illud sane, quod quondam Epuloni: *Anima mea habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Mors procul est. Quid ultra? Id quod S. Augustino. Numquid poteris sine nobis vivere, quibuscum adolevisti? Numquid per tot annorum periodos, quibus victurus es, te omni gaudio exuere, voluptate privari, omnium exors deliciarum vivere. Ecce fractus vigiliis distabesces, inediis & cruciatibus conficieris, tui jam corporis non custos, aut Patronus, sed carnifex futurus. Quomodo poteris deserere pinguedinem tuam, dulcedinem tuam, vinum tuum? Luc. 12. 19.

Hæc pariave occinunt falsi Prophetæ vaticinantes mendacia, & loquentes somnia sua non oracula Domini.

Ea propter etiam atque etiam ingemino Domini monitum: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium*, intrinsecus *autem sunt lupi rapaces.*

Attendite à primo vate supplantatore Rhetore, & dum vos infascinare satagit bullatis, phaleratisque colloquiis, dum sua bona magnificat, dum

tropis, figuriſque ſuis utitur, cogitate
2. 10.2. 15. & recogitate illud Apoſtoli: *Filioli mei, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt:* Quia *Tranſit mundus, & concupiſcentia ejus.* Tranſit poteſtas ejus, tranſit gloria, tranſit voluptas, tranſit abundantia, & vos miſeros illiùs ſectatores tandem jejunos ac famelicos, omniumque rerum inanes in litore æternitatis deſtituet. Diſcite non ariſtas, ſed ſariſſas eſſe, quæ opulentum circumſtant ad necem epulonem. Diſcite uni guttæ mellis, centum fellis eſſe mixtas. Diſcite, quæcunque feſtiva, ſimul feſtina. *Tranſit mundus*, &c.

Attendite ab altero Logico Alaſtore, qui tanquam Leo circumit quærens quem devoret. Nec tam vellus exterius conſiderate, quam fructus illius, fineſque expendite.

Attendite demum ab inquilino Pſeudo propheta, carne veſtra, quæ quanto intimior, tantò plerumque nocentior, atque exitialior. Et dum longævam præcinit ætatem, expendite quid diviti inexpleto factum ſit; qui eadem nocte illatus eſt ſepulchro, traditusque tortoribus, qua frumenta ſtatuit condere. Si fragilitatem obtendat, remuſſato cum Auguſtino, & exhortare temet: *Potuerunt iſti & iſtæ*, & tu *non poteris*? Potuit Agnes tredecim annorum virguncula, quæ non habuit, quò ferrum reciperet, ferrum vincere, mori adhuc neſcia, ſed parata. Potuit Guilelmus Aquitaniæ Dux in ſumma vitæ licentia educatus, loricam hamatam indumenti interioris loco multorum annorum ſpatio perpeti; tu non poteris ſuſtinere veſtem cilicinam modico intervallo? Potuêre tot alii pueri, ac puellæ auſteram vitam profiteri; & tu non poteris quod iſti, & iſtæ? Si illecebroſis delitiis privare genium meum non ſufficio, qui regnum Dei, quod vim patitur, poſſidebo?

Attendite inquam à falſis prophetis, & divina bonitas, quæ cautos cuſtodit, quæ vigilantibus adeſt, non ſinet vos tentari ſupra id quod poteſtis ſuffere. Amen.

CON-

CONCIO XXXVII.

IN DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN:

Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem? Luc. 16. 13.

ARGUMENTUM.

ANXIO VILLICO COMMUNICANTUR CONSILIA.

I. SOrs, quæ hodiernum villicum excepit, eadem nos versat universos. *Aud.* Omnes nos villici sumus, & cunctis administrationis suæ reddenda est ratio. *Omnes nos*, enuntiat Evangelii Præco Paulus, *manifestari oportet ante tribunal Domini nostri IESV Christi, ut referat unusquisque, prout gessit in corpore suo, sive bonum, sive malum.* Et forsitan non unus Domini sui bonis abusus est? Forsitan non unus dona fortunæ, naturæ, vel etiam gratiæ dilapidavit. Forsitan non unus eandem ob causam deferente illum iniquitate sua diffamatus est; vindictam exorantibus oppressis citatus est; instigante propriâ conscientiâ convictus est. *Rugæ meæ* (delicta mea) *dixerunt testimonium contra me*, ait Job. Forsitan non uni jam dicta dies, eaque proxima. Quidni igitur cum hodierno villico in nos ipsos descendimus? Quidni ad saniora consilia nos recipimus? Quidni cum eodem unusquisque nostrum eructet: *Quid faciam?* Quò me vertam? Quem in vota vocem? Dominus exacerbatus, amici alienati, delatores multiplicati, tempus instat, gravitas urget, vita periclitatur; Quid faciam? Non agitur de teruntio aliquo retinendo, de re quapiam levidensi tuenda, de bonis transitoriis vindicandis; sed de fama, de salute, de vita, eaque sempiterna conservanda. *Quid faciam?* Operam meam locabo aliis in fodiendo? Bonum hoc, sed viribus dissituor. Stipem ostiatim emendicabo? Bonum & istud; sed rubore suffundor. Conciliabo amicos cum hodierno villico? Optimum istud, at sæpius amicitia quærit stipendium, & eo sublato rescinditur. Unde vero mihi opes, quibus alios devinciam, quum ipse egeam? *Quid faciam?* Ajo, si prudenter sibi quispiam consulere gestit, id evitet in vita, quod in morte devitasse peroptaret; id faciat in vita, quod in vitæ periodo fecisse concuperet. Quod consilium ut altiùs cordi imprimamus, lumen & robur piis suspiriis à divino

Pneu-

2. Cor. 5. 10.

Ib. 16.

Pneumate demississimè imploremus.

§. I.

Non fac, quæ moriens facta fuisse nolis.

II. VT consilium primum planiùs evadat, & tuo quisquis hæc audis, profundiùs cordi imprimatur, in eo te statu constitue, in quo laxatis concupiscentiarum frænis non Deo tuo, sed mundo & carni stipendia feceras, in quo sensibus tuis mancipatus ancillabaris, in quo tempus prope omne lusu, aliisque ludicris ineptiis fallere consueveras. In hoc statu constitutus finge te inopinatò tentari morbo, urgeri doloribus, & novissima conflictari valetudine. Finge adesse in coram peritissimos Æsculapios, quà sæculares, qua spirituales, eosque unanimi suffragio denuntiare tibi, perinde ac Ezechiæ regi imminens Libitinæ periculum; ac insusurrare: *Dispone domui tuæ, morieris enim tu, & non vives.* Finge si hæc minus afficiunt adesse cœlitus destinatum nuntium, illumque tubâ horrisonâ ultimam divulgare horam: Hora novissima est; jam effluxit clepsidra, jam consummata est iniquitas tua, & rationes totius vitæ tuæ in districto judicio alterâ mox es posiurus.

Dic sodes, quæ tunc tibi mens, quis sensus futurus? Vellesne memoriam tuam refarsisse speciebus inutilibus, indecentibus, ac noxiis? Vellesne intellectum consecrasse investigandis rebus curiosis, puerilibus, fallentibus, mendacibus? Vellesne semoto Deo cor, voluntatem, ac desideria omnia addixisse creaturis? Non assequeris quod dico.

III. Evolvo me ipsum, & repeto quæstionem meam. Age intende ô miserrime peccator, vellesne cum divite illo in bonis temporalibus exaggerandis intento; aut cum Epulone communicare, genio tuo indulgere, per fas ac nefas bona aggregare, in eodemque cum illis statu vivere, & mori? Quid dicis? Obtestor te per salutem animæ tuæ, reflecte te ad ea, quæ mihi responsurus es; & sincerè, quod in animo tuo concipisti deprome? Luc. 12. 19.

Avertant, inquis, id à me superi; malo millies cum paupere Lazaro in fimeto vita fungi, quam cum divite purpura & byssо indui, splendidèque, & opipare epulari. Siquidem mendicus ille Lazarus, ut metam cursus sui attigit, vespillionibus Angelis ad paradisi gaudia subvectus est; Epulo autem sepultus est in inferno. Et quis non eligat in modico exhauriri egestate, fame stringi, occupari ægritudine, & interim æternis perfrui gaudiis; quam momentaneis abduci comessationibus, & sempiternis excruciari tormentis? Præstat hic miserrimâ fortuna uti, cum spe præmiorum conferendorum, quam blandientis æstu secundo abduci, cum timore suppliciorum intentandorum. Bene habet.

IV. Sed fare mihi ultra quidnam de statu illorum sentires, qui non tantùm opipare, sed basilicè etiam vitam agunt; quos perinde ac Balthasarem coronant hinc inde reginæ, ac concubinæ, qui luxu plusquam sibaritico diffluunt, & aureis, argenteis, immo & gemmeis calicibus pomposius gulæ velificant. An non tu hos beatos ebuccinas? an non eotum fortuna comitante *Status pueris optimus.*

tante de vitæ ſtatione decedere geſtires? Quid reponis?

Neciſtud quidē ais. Neq; enim tantopere me alliciunt illius cupediæ: quantum me percellit manus contra candelabrum ſcribentis: *Mane, Tecel, Phares.* Dan.5.25. 26.27. Ideſt: *Numeravit Deus regnum tuum, & complevit illud: appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens: diviſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis.* Extemplò enim verſa eſt cythara in luctum, & ſymphonia in planctum, ipſe & temporali exutus imperio, & æterno. Quis ergo non præoptet ſalem lingere, aut vitam doliarem cum Eremitis agere, aut cum Iſraelitis ſub lupato gemere; & interim inoccidua aucupari ſceptra; quam ſiculis menſis accumbere, colliqueſcere voluptatibus, totamque ſpirare Arabiam, & poſtliminio æternum gemere in cataſtis. Bene eſt iſtud.

Sap.2. V. Quid ſi autem te illa famatiſſima Sodalitas à Salomone in libro Sapientiæ celebrata in conſortium, ac communionem pelliceret; quæ ubivis locorum monumenta lætitiæ condere nitebatur, nec vel florem intactum reliquit, quem non odoratu delibaſſet; nec potum Apicium, quem faucibus non ſorbuiſſet, nec ſymphoniam quam auribus non advocaſſet, nec formam, quam oculis non luſtraſſet; nec Smindiridis plumas, quibus non incubuiſſet; an non tu illi commori concupiſceres?

Abſit, abſit id à me enuntias; malo inſiſtere veſtigiis in deriſum & in ſimilitudinem improperii habitorum ab ipſis, quàm vel paſſum cum illis progredi. Quid ita? Audio enim, inquis, turpiter hallucinatos, ex inferni barathro palinodiam recinentes: *Ergo erravimus à via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* Sap.c.6.7. *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus. Quid profuit nobis ſuperbia noſtra, & divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam umbra; & tanquam nuntius percurrens; & tanquam navis, quæ pertranſit fluctuantem aquam.* Coronavimus nos roſis, & jam ſpinarum aculeos intimas pervadentes medulas ſentimus; Purpurâ, quâ ſuperbivimus in luporum villos exaſperata eſt; Momentanea embammata delibavimus, & ſulphureas æternum ligurire cogimur offas. Quantum fuimus in deliciis, tantum nobis datur tormentum, & luctus. O maledictum corpus, quod tam delicatè nutrivimus! maledictum caput, quod roſis incinximus; maledictæ aures, quæ ob impudicas cantilenas Furiarum obtunduntur ſymphoniâ; maledictæ nares, quæ pro Sibariticis odoribus mephyti fulminatorum cadaverum opplentur! Maledicta æternitas ipſa, quæ nullum finem malis noſtris ſtatuet. Niſi igitur extremè meum enaviget cerebrum, nullam cum illis vel ſocietatem, vel ſympoſium exambio. Præſtat ingredi, & ſubſequi Herculem, nec tam frontem quam exitum intueri viarum. Sapientiſſimè & iſtud.

VI. Quod ſi autem re ipſa ſequeſtrato Deo te jam mancipaſſes aut Veneri, aut Libero Patri, aut initiatus es Beelphegor, Plutonique conſecratus, nonne expalleſceres ad præſentiſſimum mortis nuntium? Nonne velles

acta prioris vitæ rescindere ? Nonne intenderes vitam sanctiorem auspicari? Nonne doleres te posthabito cœlorum thesauro, tam impotenti animo corrasisse metalla, quibus tui hæredes in sui pernitiem abutentur, tuisque ditati spoliis lautius genio indulgebunt, tui prorsus immemores ? Nonne in jus vocares oculos tuos, amarissimas profundendo lachrymas ob indultam illis tantam licentiam legendi libros lascivos, videndi curiosa, scandalosa, impudica? Nonne acerbè reprehenderes aures tuas, quod vanis laudibus, facetiis indiscretis sese arrexerint, calumniatoribus intenderint, cantilenarum obscænarum blandè influens virus lamberint ? Nonne dentibus nisi natura expallesceret, linguam ipsam discerperes ob fabulas, ob mendacia, ob verba impudica; ob injurias, & blasphemias; ob detractiones, & calumnias egurgitatas ? Nonne prorumperes in singultus ex imis præcordiis evocandos, quod cum tanta sensualitate indagaveris odores exoticos perfundendo corpus tuum, futurum escam vermium opobalsamo, blandiendo nimium sensibus tuis, aliorumque tecum degentium ? Nonne millies detestareris gustum tuum, & palatum, cui nihil satis conditum erat; qui nec à cibis vetitis sibi temperavit, nec jejunia ulla tolerare noverat. Nonne acerbissimum dolorem caperes te adeo delicatum in tactu fuisse; ut nunquam sufferre potueris aut cilicium, aut flagrum, aut aliam quampiam molestiam ? An non in voto esset, tunc surdum, mancum, cœcum te fuisse, quàm tantis te conspurcasse sceleribus; tantum in te devolvisse damnationis pondus ? Revolve hæc serio, & quantum amas salutem tuam, quantum jus ad regnum filiorum Dei, quantum sanguinem Assertoris tui responde, quid animo conceperis? Quid loqueris? Quid mussitas?

VII. Ita sanè. Hoc me unum anxium haberet, hoc me unum conficeret, quod ea sectatus fuerim, quæ me mersura sunt in interitum; quod illum lacessere præsumpserim, cui militat æther; qui cum occiderit corpus, habet potestatem animam mittere in gehennam; cujus manus nec vivus nec mortuus effugiam. Nam si in præsentiarum ex quovis patrato scelere urgeor stimulis conscientiæ, si nunc illa irrequietis infestat latratibus; quantò acerbiùs, intensiusque id præstitura est jamjam imminente districto judicii die ? Si nunc memoria patrati torquet sceleris, quum extra urnam est, suoque etiamnum lenocinatur toxico; quanto graviùs, crudeliùsque mentem exagitabit, ubi jamjam virgulâ censoriâ notabitur, & Rhadamanthæis condemnabitur calculis. Hoc unum itaque me maceraret, exederetque, quod unquam injurius in summam Majestatem fuerim, habenasque indomitis cupiditatibus, sensibusque meis laxaverim.

VIII. O te igitur mortalium omnium, qui sub convexo nidulantur infelicissimum, ac sideratissimum, qui in eo statu vivis, in quo non auderes mori; qui ea committis scelera, quæ te sub diem exitus tui nec somniasse quidem peroptares ! Quid quæso de illo sentires homine, qui indies omni conatu, studioque strues lignorum convehe-

ret,

ret, agglomeraretve; quibus nisi ea ocius distraheret, nossetse certo certius exurendum? An non cerebrum eidem exorbitare diceres, si usque & usque illa cumulatum iret? Quid de illo haberes judicii, qui indefesso cursu properaret in via abvia, nec monitus desisteret, etsi optimâ fide teneret ad abyssum se deventurum, nisi iter relegeret? An non & istum cursorem helleboro indigere diceres? Quid de alio, qui contractus iniret ingenti suo dispendio, ac incommodo, quos proximâ die vellet irritos? An sanæ mentis tibi videretur & iste? Neutiquam dicis. Nihil enim absurdius, stultiusque fingi potest, quam in sui perniciem esse solertem, ac studiosum.

Reflecte te autem paululum, an non hoc tuo judicio unguem in ulcere posueris, & tuâmet statera te condemnaveris. Nam quid aliud sunt crimina tua, quæ indies exaggeras, quam ligna in tui exustionem, eamque sempiternam, ni ea distrahas, congesta? Quid inquam consensus tuus in peccatum? Nonne contractus cum stygе ad illi serviendum sequestrato Numine? Quid perseverantia in peccato? Nonne cursus quidam non intercisus ad destinatum inferni barathrum?

Ergo ne tuâmet amussi te convincas, ne tuomet judicio te sideratissimum mortalium quorumvis profiteris, absiste à cursu inito, rescinde contractus stupidè admissos; non fac, quæ moriens facta fuisse nolis.

§. II.

Fac modo quæ moriens facta fuisse voles.

IX. ALterum consilium meum est, ut modo exequaris, quæ moriens facta fuisse voles.

Opera bona non differenda. Eccle. 9. 10.

Est hoc desumptum ex Sapientissimo Ecclesiaste, omnes & singulos adhortante: *Quodcunque potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapiētia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Etenim quum vita nostra sit brevissima mors certissima, & proxima, sapientissimum decretum est operari, quod possumus, seu quod gestiremus peractum; siquidem post mortem nequicquam boni, quo cœli gloriam, aut illius augmentum mercamur, operari licebit. Mors est illa nox, in qua ex oraculo nemo potest operari. Vita nostra exadversum dies, & mercatus, in quo omnis generis merces venum prostant, ut cuiqae quantum velit emere liceat. Finito vero hoc mercatu, nec hilum quisquam præstinare poterit. Quidquid ergo cujuslibet virtutis, ac misericordiæ exercuisse velles, id ocius exequere, ne sero distulisse lachrymis nihilum profuturis conqueraris. Quod ut serio facias,

X. Obversentur animo tuo omnes illi, quotquot temporibus Noachæis præsenti aquarum cataclysmo sese obnoxios citra ullam spem fugæ, remedii, consilii & auxilii conspiciebant. Quid putas animi illis fuit? quanto cum dolore autumas detestatos esse suam nequitiam, incredulitatem, cachinnos splene pleniissimo in optimum senem effusos? Quam promptè mandatis ipsius obsecundassent illo articulo, si valuissent? Certè si vox ipsorum ad aures tuas reverberaretur; ex imis

Gen. 7.

penetralibus eructantes audires : O nos miseros, ô nos infelices ! Ecce totum verum est, quod Deus per servum suum Noe prædixit ; ecce pœnam, quam nobis minatus fuit ; ecce prophetiam, ac præsagium jam impletum. Et nos insensati vitam illius æstimabamus insaniam, credebamus senem extitisse sensu, & cerebro destitutum, deliria sua aliis venditasse, nec quod eructaret sciviſſe ; & tamen ex Tripode erat omne illud, quod loquebatur. Eheu stultitiam nostram, eheu vecordiam, ac dementiam nullo Oceano diluendam! Et subinde ad Noe, & ad arcam securissimè fluctibus innatantem conversos videres, egurgitantesque perciperes : Serve Dei miserere nostri, in domum tuam nos recipe, pœnitet nos erroris nostri, jussis ac præceptis tuis deinceps obtemperabimus. Quibus ille : jam tempus evolutum est, præteriit tempus gratiæ, effluxit tempus misericordiæ, hoc est tempus judicii, tempus executionis divinæ Justitiæ. Mementote fratres mei, quoties vobis inculcaverim, quiescite agere perverse, à Peccatorum calle desistite; in pœnam, ac condemnationem vestram nisi resipiscatis veniet diluvium, & vos aures verbis meis obturastis, lea-que tanquam fabulas, mendacia, deliria explosistis; nullus jam patet refugii locus, ratum fixumque stat omnipotentis decretum, pereundum vobis est, moriendum vobis est.

Procrastinatio noxia.

XI. Occurrant torpentes illæ virgines ad januam sponsi serius pulsantes, & cum stomacho ab eodem, aliis intro tripudiantibus rejectæ; *Nescio vos.* Tempus jam evolutum est, & quæ paratæ erant admissæ sunt, jam sponsus est in accubitu suo ; facessite hinc o cius. *Nescio vos.* Nonne sibi oculos præ dolore eruissent, quod eos sub id tempus tanto cum dispendio clauserint, nec tempestive oleum auctionatæ fuerint ?

XII. Occurrant, quotquot jam Avernalibus gemunt compediti vinculis, quantis illi votis exoptarent horam quampiam pœnitendi, ac operandi; & si ea potirentur, quid non agerent ? Sed clausa est janua, etsi mare lachrymarum profunderent exoraturi unicam, non obtinerent; etsi tormenta multiplicata sustinerent, haud evincerent.

XIII. Ne itaque eadem sors te ô peccator involvat, nunc operator bonum ad omnes; nunc exige, quid tunc egisse velles, & exequere. Credo facile quod tunc eructares cum Balaam Pseudo Propheta : *Vtinam moriatur anima mea morte justorum.* Diceres cum Henrico cognomento Pio Romanorum Imperatore : *Vtinam anima mea esset in corpore Romualdi*; utinam in corpore vilissimi & abjectissimi monachi, utinam in corpore cujuspiam Lazari. Occineres cum Poeta : *O mihi præteritos referat si Iupiter annos.* Cur ergo in præsenti non exequeris, cujus tunc coronidem exambires? *Num.* 23. 10.

XIV. De muliere forti vaticinatus est Sapiens: *Ridebit in die novissimo*; In gaudia exporriget frontem, in amœnitatem vultum diducet, & intra præcordia exultantis animi jubilo triumphabit. Mira profecto hujus mulieris constitutio. Tunc cùm singultibus certandum, cùm de tabula pœnitentiæ *Prov.* 31. 25.

tentiæ in naufragio proximo cogitandum, cùm mors terribilium omnium terribiliſſima inſtat, ipſa riſibus ac ſalibus detinetur. Quid iſtud? Dicerem ſtupidam ac deliram, quæ imminentia mala non proſpicit, niſi eam ſacer textus fortem ac prudentem conteſtaretur. Adhortarer ad exomologeſim; ſed quæ diſpoſitio inter riſus & gaudia; commonerem inſtantis jam certaminis, ſed ridet: *Ridebit in die noviſſimo.* Unde hoc?

XV. Cogitabit quiſpiam tum primum vanitatem, pro qua tantopere mortales deſudant perſpexiſſe, atque idcirco ſectatores illius exploſiſſe. Luctante cum morte Eminentiſſimo quopiam Patre, & aulicis omnia diripientibus, Simia quæ incoram aderat, lectura & ipſa ſpolia ad pileum Cardinalis advolat, eumque capiti imponit, quaſi dignum patellâ operculum. Vidit hoc Cardinalis, & quamvis ſummis anginæ cruciaretur doloribus, in eos effuſus eſt cachinnos, ut & ulcus, quô ſuffocabatur, ruptum fuerit, & ille ex ſcena illa mirum in modum hilaratus. Nihil verat itaque eandem ob cauſam, mulierem illam fortem edidiſſe riſum, videndo tunc planius, luculentiuſque hominum vanitatem, ſummamque diſparitatem mortis ac vitæ. Nam cum vitam per omnia dedecora tranſduxerint, morte honeſta defungi cupiunt, neſcientes quod qualis vita mors eſt ita.

XVI. In hunc modum riſum movit inſtitoribus Eremitarum quiſpiam, Licitaturus is equum in forum proceſſerat, cumque plurimos luſtraſſet, nullum ſuis reſpondere votis edixit. Inſtant mercatores, qualemnam ergo cuperet? Quibus ille: qui caudam habeat Pavonis. Tum cunctis petulantis animi pruritu cachinnantibus, dignam ſua profeſſione intulit ſequelam. Mene, an voſmet ipſos ridetis; qui cum beſtialem vitam ducatis, pavonis vel etiam Angeli ſyrma vani augures præominamini. In toto equorum genere monſtrum, quale inquiro mihi non exhibetis, nec inter homines qui quum flagitioſiſſimè vixerit, ſanctiſſimè obierit. Et hanc ſtultitiam præfata mulier exibilare ſplene diductô potuit.

XVII. Verum Sapiens cauſam ſufficientem attulit, quando de eadem teſtatum reliquit bonorum operum meritis gravem, ac gratiâ opulentam deceſſiſſe: *Quæſivit*, ait, *lanam & linum, & operata eſt conſiliô manuum ſuarum. Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fuſum. Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem.* Hæc cauſa eſt, quæ illi riſum movit, quod non nuda, ut alii, ſed bene veſtita, præmiſſis per manus pauperum magna ex parte opibus ſuis exierit. *Ridebit in die noviſſimo.* Eodem ex capite, quiſquis Deo vitam ſuam impendit, quiſquis in imitando Domino ſuo ſerio deſudavit, quiſquis omnia ad majorem illius gloriam retulit, quiſquis proximo, quam potuit miſericordiam exhibuit, gaudiô triumphabit; quum ſe haud ſecus ac alterum Jacobum revertentem cum turba meritorum viderit, accepturum præmium laborum ac certaminum ſuorum. Hoc ne te aliquando gaudio fruſtreris, *fac modo, quæ moriens facta fuiſſe voles.* Prov. 31. 19. & 20.

XVIII. Geſtires tunc cum Evan-

gelico servo præguſtare jam in ſuprema lucta cœli gaudia, videre adſtantes Angelos accinctos ad deducendam animam tuam, audire illos invitantes:

Matth. 25. 21. *Euge ſerve bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa conſtituam intra in gaudium Domini tui.* Brevis ſervitus tua æternis penſabitur ſtipendiis, labores modici ſempiternâ donabuntur quiete; inedias tuas cœleſtis excipiet ambroſia; & quantum te humiliaſti in terris, te amore Domini ſubmittendo, tantum nunc effulgebis in cœlis, eodem te ſubvehente. Eſto nunc fidelis ſervus & prudens, opera Domini rite

Ibid. 20. ita exequere, ut dicere poſſis: *Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum*: Tu mihi dediſti facundiam, & ego illa uſus ſum ad te laudandum, & promovendam gloriam tuam. Tu mihi contuliſti ingenium excellens, & ego illud ad inveſtigandas illas ſcientias adhibui, ex quibus tibi duntaxat evaderem gratior; tu me dotaſti voluntate liberrima ad amandum quidquid vellem, & ego nihil præter te ſummum bonum meum, atque infinitè amabile dilexi. Tu mihi diſpenſaſti opes plurimas, has ego ut accepi, ita in tui gloriam & proximi commodum erogavi. Tu mihi aptaſti membra, & ego illa pro virili meo ſervitiis tuis impendi, ac conſecravi. *Domine quinque talenta* &c. Eſto inquam talis, ut in ſpem ſupparis felicitatis aſſurgere poſſis.

XIX. Si in illa lucta invocares Matrem Domini tui, Patronam tuam, illamque appropinquantem cerneres intra manus ſuas virgineas receptura animam tuam de corpore egreſſam; an non maximô gaudiô exilires de cultu illi impenſo, de conſervata puritate corporis & animæ contra violentos aſſultus Orci & porci carnis tuæ? Nonne triumphares jubilô, te in illius ſodalitio meruiſſe ſtipendia? O quanta voluptas manet egregios milites poſt defenſum ſtrenue theſaurum regium, poſt retuſos potentiſſimi hoſtis inſultus, poſt proditiones domeſticas ingeniosè eluſas, aut fortiter vindicatas; eundem, & multo ſublimiorem plauſum & gloriam præſtolari poteris, ſi te ſtrenuum athletam præſtiteris, & fidele magnæ Matris mancipium.

XX. Si abhinc horâ proximâ commendatio animæ tuæ recitaretur, an non intenſiſſimo affectu ageres gratias animæ tuæ pro optimo regimine, corpori tuo pro patientia ac ſubjectione? An non benediceres omnia ipſius jejunia, omnes abſtinentias, quæ illi honorabilem in cœleſti convivio locum aptarunt? An non gauderes de omnibus tribulationibus tuis, quas amore Dei fortiter paſſus es, de omnibus actionibus, quas in gloriam illius dirigere ſolitus? Quidni inquis. Tunc enim dulcia apparerent quæ nunc amara videntur, tunc amabilia quæ in præſenti execrabilia, tunc vere gaudioſa, quæ nunc odioſa.

Age itaque nunc, quæ illo momentô acta & conſummata velles. Et ſi vitam tuam judicas mercatum, ita auctioneris, ut venditis licet omnibus theſaurum regni cœleſtis obtineas. Si curſum, ſic propera, ut bravium apprehendas; ſi tempus ſementis, ita ſemen tuum diſpergas, ut meſſem in æternitatis horrea invehas. Si dies mercenarii, ita labo-

labora ut denarium futuræ beatitatis merearis. Verbo fac modo quæ moriens facta fuisse voles.

XXI. Hanc doctrinam S. Patriarchâ noster in aureo Exercitiorum suorum libello in hæc verba omnibus salutis suæ curam habentibus reliquit: *Si mors ingrueret, quem me mallem observasse modum in præsenti deliberatione; juxta hunc igitur eligendum nunc esse facile intelligam,* Quod in ultimo agone gauderes te fecisse, id nunc dum vivis exequere.

S. Ignat. lib. 2. Exer.

Huic consilio quisquis acquieverit, confidat se animo intrepido mortem adventantem excepturum, rationes suas cum laude positurum, & pro meritis coronam gloriæ accepturum.

CONCIO XXXVIII.

IN DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

Videns civitatem flevit super eam. Luc. 19.

ARGUMENTUM.

LAMENTATIO CHRISTI.

I. AGnatum tenerioribus, ac invalidioribus mentibus vitium est, ut prope nullâ datâ causâ in lachrymas liquescant. Aud. Quum enim dolorem conceptum continere nequeant; lachrymis, & suspiriis habenas laxant, perque illa eundem egerunt. At verò sapientes, & viri fortes exortam intra præcordia mœstitiam validissimâ strangulant impetu, & non nisi rarissimè, gravissimisque de causis luctibus indulgent; Nec tam lachrymis, & ejulatu mulierum ritu, ac puerorum, quam consiliô, ac viribus obtinere nituntur, quod intendunt.

Ergò cum sapientia æterna dolorem suum foras evaporet, cum civitati Hierosolymitanæ illa chrymetur, oculosque fletuum demergat Oceano, causa perquam gravis esse oportuit. Et quænam illa? Sanè non alia, quam cujus meminit sacer Evangelii textus: *Si cognovisses & tu, quæ ad pacem tibi.* Non expendebat, quæ illi conducerent ad pacem cum DEO, cum proximo, & se ipso servandâ; laborabat ignorantia rerum divinarum, ac humanarum. Et videtur mihi hæc lamentatio Domini mei coincidere cum threnis Moysis, super cœcitatem populi sui plorantis: *Vtinam saperent, & intelligerent, ac novissima præviderent!* *Deut. 32. 29*

Operæ itaque pretium fuerit expendere illam accuratiùs, & videre, an non iisdem

iisdem de causis, super has terras, & civitatem istam lamentari queat.

PARTITIO.

S. Bern. in Epist.

II. S. Bernardus citans præfatos Moysis threnos super cœcitatem populi sui ejulantis, ita eosdem explanat: *Vtinam saperes quæ sunt DEI, intelligeres quæ sunt mundi, provideres quæ sunt inferni; profecto inferna horreres, superna appeteres, quæ ad manus sunt contemneres.* Hæc sunt, quæ amantissimo Domino nostro olim lachrymas expressêre; hæc quæ etiamnum ad amaritudinem illum excitant.

§. I.

Ignorantia rerum Divinarum elicit lachrymas.

Ignorantia Dei quanta.

III. IGnorantia, & cœcitas pessima, quam in antecessum deplorat Assertor meus supra syonem, & alios bene multos est, quod non sapiant ea, quæ Dei sunt. Ignoraverunt Iudæi, nec innumeris convicti argumentis agnoscere, & credere volebant, Christum esse Messiam, Filium DEI, ante Luciferum ex utero Patris æterni genitum; ignorant idipsum ex parte etiamnum plurimi. *Non sapiunt quæ DEI sunt.* Non sapiunt illum esse rerum omnium Dominum, primum, ac supremum Ens, quod universa sua potestate generat, singulari bonitate conservat, infinitâ sapientiâ gubernat. Non sapiunt ipsum esse principium, ac finem rerum omnium conditarum, Regem gloriæ, ac Majestatis, sub quo principatus, & potestates lunantur, & universitatis columnæ contremiscunt. Non sapiunt, quam immensa sit ejus amplitudo, quam vastus perfectionum illius Oceanus, quantæ potentiæ Divis, hominibusque metuendæ, quantæ sanctitatis, & mirandæ gloriæ, quantæ immensitatis, cuncta quæ vel supra, vel infra, vel circa nos, vel ubique sunt pervadentis.

Ex ignorantia DEI procedit negligentia.

IV. Etenim si id Judæi cognovissent, nunquam Dominum Gloriæ crucifixissent. Si id non puerorum more apprehenderent, sed profundissimè penetrarent alii; profectò percellerentur intimius, ambularent multo cautiùs, devenerarentur religiosius. Divi Augustini acroama est: *Quisquis Domine cognoscit te, diligit te; obliviscitur se, & amat te, plusquam se, relinquit se, & venit ad te, ut gaudeat de te.* Manifestum est enim, quod nihil volitum, nisi præcognitum; & quantò penitius bonum cognoscitur, tanto ferventiùs amatur. Cognitione quippe, ac meditatione amabilitas rei cognoscitur; cognita verò voluntatem in sui trahit amorem. Hinc non omnes totô, & intimo corde Deum diligimus; quia videlicet eum, non ut par est cognoscimus; quia Majestatem ejus, Bonitatem, sapientiam, potentiam ejus infinitam, aliave attributa non expendimus. Si hæc mente perfectius, exactiùsve recoleremus, multo flagrantioribus affectibus eum prosequeremur, illiusque cultum promoveremus.

August. in medit.

V. Cernitis ni fallor universi hanc iconem sat affabre elaboratam, ut nullam Conditori suo Apelli referat gratiam, nullum deferat obsequium, nullum verbum in debitæ testificationis argumentum proferat. Quid causæ? Quia

Imaginis animatæ gratitudo.

Quia nimirum animâ, & vitâ, ratione, & cognitione destituitur. Fingite autem exiguô temporis intervallô mente, rationeque donari ad beneficium agnoscendum, ac referendum, ad honorandum opificem suum, quàm grato pectore testaretur gratiam; quàm devotis deveneraretur medullis. Diceret illa: Tu Apelles Pater, & Mater mihi es, rex meus, & Dominus meus. Nihil enim intueor meum, quod non profectum sit à te. Si telam habeo, aut aliud materiæ genus, tu illam nummis tuis mercatus es; si picturam, tu colores, umbram, & lumen adhibuisti; & hæc tanta, tamque amœna rerum varietas, tuæ manus, & penicilli opificium est. Omnia denique à te mihi donata sunt, & si luberet, aut in præterfluentem me demergere undam, aut in flammam projicere, aut in sterquilinio conspurcare, tibi integrum esset. Nec criminari possem mihi injuriam ullam factam, siquidem Dominus meus es, & jure potes pro arbitratu tuo, liberrimaque & æquissima voluntate, de tua re disponere.

Si quis laudet pulchritudinem meam, si exquisitum colorum omnium temperamentum, si proportionem concinnam, ac decoram; si naturæ imitationem, artificisque splendorem, non merita mea, sed dona tua, tuam pollentem industriam, ingenii vim, ac magnitudinem deprædicant. Nam ego quid habeo, quod à te non mutuaverim, aut quid possum, nisi tu conservaveris? Si furum quispiam insidietur, si mures arrodant, si noxius humor aliave noceant, nec mihi sunt manus, nec vis ulla, quâ me in periculo tuear, ac defendam. Tu solus asylum meum es, qui tantâ me providentiâ conservas, quasi in me una mentem omnem fixam, locatamque haberes. Adeoque tua erga me tam liberalis, ac benefica est voluntas, ut nullum terminum magnificentiæ tuæ ponas, nec facias ullum finem bene de me merendi, meque cohonestandi. Quid igitur reliquum est, quam ut me totam tuæ voluntati consecrem, ac devoveam, tuum nutum observem, te prædicem in perpetuas æternitates, te agnoscam, & adorem potentissimam tuam in me dominationem, artisque tuæ, ac mentis excellentissimam dignitatem. Etenim si vestigia recognosco in me sapientiæ tuæ mirandæ, & laudabilis industriæ, tu mille talia & perfectiora polles præstare, quæ ego nec cogitando quidem possem consequi. Itaque te vicini omnes, excellentisque judicii viri, & authoritate graves suspiciunt, & venerantur; cum quibus ego audeo vocem meam promere, & humi prostrata devotissimè occinere; Te laudamus, te benedicimus, te deprædicamus &c.

Hæc similiave plura egurgitaret icon quævis, si iis viribus, membris, ingenioque polleret, quo nos. Et minora forsitan præstaremus erga Deum nostrum, ac Dominum, amoris, & obsequii testimonia, si saperemus, quæ illius sunt; si non perfunctorie, & obiter; sed revera planè, ac dilucidè ejusdem cognosceremus excellentiam.

VI. Errore, & impostură Alastoris infernalis delusæ gentes, Numen quodpiam, ac divinitatem inesse idolis, sibi persuaserant. Et nihilo minus hac mentitâ opinione, ac religione ductæ,

quo cultu, obsequio, reverentiâ illa prosecuti non sunt? Ex multis.

Philistinorum superstitio.

Sacra Regum historia superstitionem Philistinorum in Azolo referens, meminit eos Religioni sibi duxisse pedibus terere locum, in quo Dagon

1. Reg. 5. 5. prostratus jacuerat. *Porro Dagon solus truncus remansit in loco suo. Propter hanc causam non calcant sacerdotes Dagon, & omnes, qui ingrediuntur templum ejus super limen.* Abjecerat Numen tremendum spurcissimum idolum confractâ prius cervice, & manibus præcisis; quatenus indicaret Diaboli superbiam, & avaritiam finem habituram; quatenus idololatriæ admoniti, nec caput demitterent, nec manus in obsequium illius erigerent; quatenus proculcarent, non manus, & caput duntaxat, sed & locum in quo membra præcisa jacuerant; at illi vel in vulnerato comminutoque trunco superstitiosi esse haud desistebant. Conjicite quid non fecissent verâ fide, ac Religione imbuti?

Curtius.

VII. Alexandro magno thura diis adolente, cum forte scintilla non modica supra humeros Ephebi ministrantis cecidisset, jamque non vestimenta tantum, sed & corpus depasceretur petit ille immotus, ne forte sacrilegum mystam interpellaret, aut minus reverens esse videretur. An non itaque se vivum insignius holocaustum vero DEO, & vivo polluxisset, si cognitione illum assecutus fuisset.

Multi ipsorum cum præ animi reverentia statuas ipsas non præsumerent attingere, aut etiam longè dissiti, & prætereuntes nequirent osculo devenerari; manum ad os referebant, eamque honestissimo adorationis genere exosculabantur. Quin & ramos, floresque qui illas attigerant excipiebant reverentiâ summâ, basiisque.

Minusne præstarent Pseudo-Christiani si illius infinitæ perfectionis, ac divinæ naturæ cognitionem copiosiorem indepti essent? Nonne quidquid in illis esset facultatum, ac virium ipsius obsequio addicerent, ac consecrarent? Nonne promptissimâ, devotissimâque voluntate illi sese subjicerent, nihilque antiquius haberent, quam ut integrè, inviolateque divinis legibus obtemperarent? Nonne timerent, (si quidpiam committerent in eum) illius potentiæ vim, justitiæ severitatem, brachij pondus? Nonne vererentur, ne vehementissimus calamitatum imber è convexo in caput ipsorum effunderetur, ne Angeli divinæ ultionis administri in ipsorum insolentiam loricarentur, ardentissimoque zeli æstu concitati, eum ictum infligant, quo ad sempiternam devolvantur infelicitatem. Sed quoniam deficit hæc sapientia in multis, injuriâ afficiunt illum, & assiduo mandatorum ipsius neglectu, & pervicaciâ lacessunt. Quin etiam non rarò ipsius ope, ac subsidio, ad obsequium improbitatis, ac latebram ambitionis, ad simulationis involucrum, ad mendaciorum fucum, ad perversorum consiliorum rationes tegendas abuntur. Ita certè vivunt, ut uni voluptati servire, unum in oculis vitium, unam in sinu iniquitatem, cui se solenni authorarunt Sacramento ferre, amplexarique videantur.

Christus deflet ignorantiam nostram divinam.

Quid itaque mirum Christum zelatorem gloriæ paternæ flagrantissimum illius tantam deplorasse injuri-

am?

am ? Quid mirum lachrymarum diluvio eluere voluisse ? Quid mirum cum indignatione è sacrario profligasse vendentes, & ementes columbas ? Quid mirum æs nummulariorum effudisse, & funiculis in eos animadvertisse ?

VIII. Magnus ille Prophetes Domini Jeremias, perfectissimum virtutum omnium exemplar, gloriæque DEI Israel zelator acerrimus, animo suo volvens injuriam, quæ passim Cœlitibus irrogabatur, tanto animi concutiebatur dolore, ut caput in Oceanum, oculos in torrentes exuberantissimos petierit converti; quo ita diu noctuque ploraret, & lachrymarum flu-
Jer. 9. 1. mina evaporaret. *Quis*, inquit *dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die, ac nocte.* Quamobrem? *Quia omnes adulteri sunt,*
Ibid. v. 2. *cœtus prævaricatorum.* Quia descivérunt à Domino DEO suo, & fornicati sunt in adinventionibus suis. Quia ab illius tremenda Majestate, facta defectione, cum ejusdem hostibus coitionem moliuntur. Quia probris illum proscindunt, & obverso tergo deserunt. Si hic Vates, quem minus tangebat illa injuria, tantum indulgebat gemitibus, ut crescentibus peccatis, increscéret unà lessus, ac suspiria; quantò profundius cor Christi Domini, intimius illam penetrans, credendum est fuisse sauciatum, doloríque confixum jaculo ?

Solennissimum apud populum Hebræum in avita Religione manentem erat, ut auditâ aliquâ contumeliâ in DEUM illatâ, aut injuria templo sacrisque facta, scinderent vestimenta sua in signum cordis contriti, ac cruentati. Et Christus Dominus, qui in eum imprimis finem venit, ut quæreret, propagaretque gloriam Patris sui, videns se necquicquam laboribus ac sudoribus, prædicatione ac prodigiis, perfectionibus & precibus eviciisse, cernens etiamnum temere violari sacra, Majestatemque ipsius, non solveretur in lachrymas, ingeminaretque: *Vtinam saperent, & intelligerent ?* Utinam menti suæ imprimerent, quæ sunt DEI, eique debitum deferrent cultum ! Utinam probris eum, ac convitiis proscindere desisterent; Utinam in nullo deinceps legem ejus prævaricarentur!

§. II.

Ignorantia rerum caducarum digna lachrymis.

IX. ALteram causam fletuum Assertoris Domini nostri credíderim extitisse, quod non intelligerent, *quæ sunt mundi*, quod non cognoscerent quidnam urbi ipsorum impenderet, quam brevi scena felicitatis ipsorum commutanda esset in theatrum omnium miseriarum, ac calamitatum. Id luculenter indicant verba Evangelistæ: *Quia circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te, & non relinquent in te lapidem supra lapidem.* Ex tam gloriosa efficieris contemptibilissima, ex tam splendida abjectissima, ex tam vasta prostrata, & solo adæquata.

Christus deflet ignorantiam mundi.

Luc. 19.

Has nænias meritò supra hanc urbem iterare posset idem cœlestis Heraclitus. *Quia non intelligunt, quæ sunt mundi.* Non intelligunt, vel certè intelligere nolunt mundum ad consequen-

dam æternam felicitatem, viam, subsidiumque esse debere, non item pro scopo, & termino habendum. Non intelligunt, nec circumspiciunt, quam infesta sint undique omnia, quam inimica saluti. Profectò non tot scyllas alit, non tot charybdes nutrit Oceanus, quam multos mundus habeat laqueos, in nostræ felicitatis pernitiem adaptatos. Jam enim ut Dalila blanditur lenociniis, vinculis innexurus sempiternis; jam ut Jahel Sisaræ lac propinat, mox clavum cerebro nunquam evellendum infixurus; jam ut Jeroboami uxor ementito habitu utitur ad fallendum etiam sanctos; ut Judas Iscariotes osculo prodit hostibus; ut mendax Propheta pollicetur annos plurimos, bonum spondet, & malum tribuit; requiem pollicetur, & sexcentas reddit angustias; promittit lætitiam, & dolorem affert; voluptatem jactat, tristitiam donat; honores præfert, contumeliam refundit.

Mundi fallacia.

Non intelligunt illud amantissimi discipuli acroama, omnibus sæculi amatoribus formidandum: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt*; puta voluptates noxias, vitam licentiorem, &c. Cujus causam mox subnectit: *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* Quemadmodum arca fœderis, & Dagonis idolum simul in eodem altari consistere nequivêre, sic nec Deus, nec mundus; charitas illius, & istius domicilium collocare in hominis corde, illudque obtinere nequeunt; quin alterum excludi necesse sit, penitusque exturbari. Si quis ardentiore mundi amore flagrat, absumit una amorem divinum, perinde ac flamma major minorem depascitur. *Si quis diligit mundum &c.*

Mundi amor & Dei contrariantur.

1. Ioan 2. 15.

Non intelligunt, vel certè in superficie duntaxat oraculum illud Pauli: *Fratres tempus breve est. Reliquum est, ut & qui habent uxores, tanquam non habentes sint, & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt tanquam non possidentes, & qui utuntur tanquam non utantur.* Sint Domini, quasi non essent; sint matrimonio illigati, quasi non essent; rem familiarem administrent, quasi aliis cessuri. Causam dat perquam justam, & convincentem; *Præterit enim figura hujus mundi.* Hæc non expendunt, qui ad gaudia tantum advertunt, quæ illis blandiuntur, sensusque prolectant; non verò considerant, quam celeriter evanescant. Et quam acerbos abscessu suo dolores inurant; Non recogitant quam inanis illa gloria, quam brevis lætitia, quam falsæ divitiæ; non examinant, quod aurum, suppellex, vestis pretiosa, uniones candidissimi, adamantum fulgor, & quidquid mortalium perstringit oculos, nec præcipites temporum rotas sistere, nec animum in felicitate sua statuminare, nec Lachesim placare, aut remorari queant.

Mundo non adhærendum.

1. Cor. 7. 29

Non intelligunt quod ait Sapiens: *Tanquam momentum stateræ sic est ante te (Domine) orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram.* Collatus orbis ad rationes æternas, appensus in statera veritatis pulvis minutissimus est, unde nihil momenti ac ponderis accedit, & tanquam gutta roris, qui extenuatur illico evanescit.

Mundi vanitas.

Sap. 11. 23.

Si enim intelligerent, non utique mun-

mundũ, & ea quæ in illo sunt tanti facerent; non utiq; cum proximo salutis discrimine ea ambirent, non utique tantis laboribus, ac vigiliis eidem deservirent, non utique cum Esau pro jure pulmentario jus ad regnum cœlorum divenderent. Si intelligerent, quam brevi honor, fama, gloria defloresçat, qua mente postpositis supernis honoribus, terrestres cum dispendio sanguinis licitarentur. Si intelligerent, quod in iis, quæ cœlorum amplexu stringuntur, ne punctum quidem unicum existat, ubi tanquam in centro stabilem quietem reperire queant, quo judicio sedem, & terminum immobilem in terris meditarentur. Si intelligerent Venerem è spuma prognatam bullæ instar transire, & in mare amaritudinis abire; quo sensu eam prosequerentur, tantique emerent pœnitere.

Iacobi querela contra Laban.

X. Cognovit Jacob illius in Labano ingratitudinem, graviterque exposulabat, quod viginti annorum servitutem tam iniquè compensasset, & ait: Gen. 31. 40. *Diu noctuque æstu urebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. Sique per viginti annos in domo tua servivi tibi: immutasti quoque mercedem meam decem vicibus*; & nunc nudum me, & inopem rerum omnium è domo tua ejicere allaboras. Hæccine merees debetur tantis servitiis? hæccine gratitudo tantis beneficiis? hæccine barbaries tantæ submissioni ac humanitati? O me infelicem, quod unquam tibi me consecraverim! ò me infortunatissimum quod talem socerum elegerim! Præstaret sane alienigenæ, quam agnato operam suam locasse. Hæc pariàve si Jacob exululare potuit, perperam habitus à socero suo; quibus querelis Cosmophili non inveherentur in mundum immundum, ac perfidum, si ejusdem offucias perspectas haberent.

Hist. Scotiæ

XI. Cognovit Rudolphus Episcopus Mechlinienſis primogenitus regis Scotiæ, qui à Primoribus evocatus ad sceptrum reposuit: *Dominus IESVS, qui mundanum reliquit imperium, mandavit ipsum sequere nudum*; q. d. Apage, Apage cum mundo, nihil mihi cum illo est. Calluit apprime nequitiam, ac versutiam ipsius Assertor meus; & idcirco voluntas ipsius est, ut eo deserto, nudi nudum sequamur.

Aulicus Car. V. foro mundi fallaciam cognovit. In vita Car. V.

XII. Cognovit eundem serò tandem Aulicorum quispiam Caroli V. Imperatoris. Hic cum extremo morbo conflictari cœpisset, actumque de vita sua esse à medicis inaudiisset, unicam à Cæsare Domino suo efflagitare gratiam cœpit. Cæsar promptissimè annuit, & quidquid in votis haberet se collaturum spopondit. Tum Aulicus, Cæsarea sua Majestas dignetur mihi vitam prorogare in unam, alteramve horam, si non diem. Ah replicat Cæsar, id in mea potestate situm non est; nec ego vel sistere, vel præcipitare essedum solis queo. Illius id imperii est, qui ut condidit, ita conservat universa. Urget ultra Aulicus, & minimùm bonum hospitium ubi excesserit precatur. Quid dicis? exclamat Imperator. Id multò min⁹ mei arbitrii est. In hac vita qualem qualem jurisdictionẽ habeo, in altera nullam. Neq; enim vel Manes, vel Cælites, vel Inferi sceptra agnoscunt mea. Tum primùm lachrymis uberrimè perfusus Aulicus, dolorem propalam testari exorsus, cæ-

citatemque suam fateri. Item quid egi, quod annos vitæ meæ florentissimos, fortissimosque aulicæ vitæ, ac mundo consecrari? Quid mihi nunc reliquum ex omnibus, cum nec horam unam longioris vitæ, nec unius noctis hospitium à Domino meo obtinere queam. O quantò sapientiùs egissem, si vitam omnem DEO meo dedicassem; qui mihi & vitam, & beatitatem solus elargiri pollet. O me infelicem, ô me sideratum! Discite tandem vel ex me sapere, & cuinam parendum sit nosse. Hæc ille, sed serò nimis deflevit, cum interea Cloto superveniens singultantem animam à corpore avulsit.

Imitarentur hunc lessum alii non pauci, alioque egregios mundi contemptores, si pari notitia imbuti essent. Verùm quia ut dixi ea destituuntur, ideo desertâ, spretâque cœlesti Jerusalem præferunt Babylonem, & calicem à meretrice magna propinatum cyathizant, quoad tandem bibant calicem furoris Domini.

Hæc itaque Vindex noster eò acerbiore animi sensu contemplatur, ac deflet, quò minor dictis illius fides adhibetur. Et suos threnos ingeminat: *Vtinam saperent, & intelligerent.* Utinam hæc seriò apud se reputarent, non tot mortalium greges ad inferos hæc cæcitas præcipites daret, non tot per placidas felicitatis undas ad malæ spei promontorium appellerent; non tot mediis in syrtibus hærerent, naufragiove sempiterno involverentur, *Vtinam saperent. &c.*

§. III.

Ignorantia sempiternæ fulminationis merito ploranda.

XIII. FOns tertius, Lamentationis Moysis, ac Christi Assertoris nostri est, juxta interpretationem ejusdem Melliflui, quod non prævideant, *quæ sunt Inferni.* Non prævident Infernum esse Labyrinthum inexplicabilem tormentorum; Carcerem divinæ justitiæ flammis ardentissimis refertum, & innumera varietate tormentorum formidandum; Abyssum calamitatis, & miseriæ; Locum cruciatuum, abundantem omnibus malis, vacuum omnibus bonis. *Pœna Inferni.*

Non prævident nullum fore membrum in homine damnato, quod non peculiari aliquo supplicio, eoque gravissimo torquebitur; ita ut quidquid hic patimur, non nisi umbra sit tenuissima illius doloris.

Non expendunt, nec prævident privatos etiam singulis criminum generibus, (ut quisque sibi indulserit) tormentorum aculeos paratos. Quisquis enim dum viveret elationem animi cum Lucifero amavit; ille in inferno extremâ ignominiâ, contemptu, ac dedecore afficietur; quem auri cupido à DEO averterat, tantò miseriore afflictabitur rerum omnium inopiâ, quantò ardentius divitiis inhiabat; par in libidinosos, iracundos, gulosos, aliisque immersis peccatis pœna adhibebitur, suum cuique stygma proprium inuretur, privatis quilibet cruciatibus ingemiscet. Et quo turpiore quisque in cœno se volutarit, eò acerbiores in se inferorum carnifices experietur. *Diversa sunt pro ratione criminum.*

Non

Non prævident eos, qui nunc impiorum Societati computantur, justissimo Judicis edicto, à Sanctorum communione in perpetuum avellendos; qui nunc vestem nuptialem non induunt, tunc manibus pedibusque constrictos in tenebras exteriores nudos amandandos; qui instar asini ferocientis ad insanæ cupidinis oblectationes adhinniunt, in obscurissimum æternæ infelicitatis Domicilium sempiternis vinculis oneratos, compingendos; qui aliis misericordiæ viscera subtrahunt, aquæ nunquam obtinendæ guttulam postulaturos; qui nunc explendæ libidinis vias consectantur, nunquam minimo voluptatis sensu levandos, nunquam vel unius sensus grato, acceptoque objecto recreandos.

Non prævident quod in pœnis inferni est horribilissimum, earumdem æternitatem; id est, quod nunquam finem habituræ; ita, ut post ardores, frigora, fœtores, famem, sitim, tœdia, cæterosque cruciatus, totidem annorum millibus toleratos, quot aquarum guttæ in Oceano, quot arenæ grana in littore, quot atomi in universo, semper eadem tela cruciatuum retexenda, denuoque inchoanda sit.

Non prævident, quod vel uni supplicio, idque modico tempore ferendo impares sint; & quomodo sufferre poterunt, geminam sensuum omnium, & damni pœnam, æternum, æternum, æternum duraturam.

Hæc enim si præviderent, qui fieri posset, ut nullis conscientiæ stimulis urgerentur, horrendum divinæ Nemesis tribunal susque deque haberent, nec magis tormenta Orci expavescerent, quàm Æsopi somnia, aut Luciani deliramenta. Qui inquam fieri posset, ut vel in Niobes saxum præ dolore transformarentur, vel minimùm in lachrymas liquescerent & meliori vitæ redonarentur. Fluunt enim ex cognitione, & præscientia, tanquam ex antecedente infallibili consequentes lachrymæ. Exinde Dominus in hodierno Evangelio solum antecedens potuit: *si cognovisses*, eò quod posito principio hoc, seu antecedente, necessitate consequentiæ sequantur lachrymæ.

XIV. Et natura ipsa id nos edocere videtur, quæ idem voluit esse principium planctus, & cognitionis, nimirum cerebrum; nec aliud ordinavit instrumentum ad videndum & lachrymandum, quam oculos; eò quod qui cognoscit, etiam plangit, & qui bene cognoscit, ac bene videt, bene etiam plangat, qui parum videt, & cognoscit parum plangat; qui satis cognoscit, satis plangat, id est quantum sufficit ad eratorum priorum expiationem, & futurorum cautionem. Proinde si cognosceret quispiam, & prævideret quæ sunt inferni, etiam declinare illum satageret. *Vt cognovit.*

XV. Refertur de Eminentissima Persona, quod frequentius solita visitare pictorem eximium Michaelem Angelum Florentinum pingentem eo articulo scenam judicii, ac inferni. Bilem movit ea curiositas pictori, quod ante opus absolutum sub cortinam intraret, taxaretque rudes etiamnum umbras, eam ob rem præfatam personam vivacissimis adumbravit lineamentis è sepulchro cum aliis in lacerna corrosa aspergentem, poneque infernum exæstuan-

ſtuantem. Vidit hoc Eminentiſſimus ille, & illico vel rudi edoctus Magiſtro ſapere didicit, & exclamavit: *Heu mundefallax, quam nos aliter pingu! Ab hinc ergo alium nos nobis imaginemur.* Quod ut dixit, ita fecit, ut univerſi Metamorphoſim illius ſubitaneam obſtupeſcerent.

Suppari ratione ſi nos ſeriâ meditatione, viva & vera præſcientia futurorum donati eſſemus, eadem morum emendatio in nobis obſervaretur, vitæ, ac ſanctimoniæ fulgor inclareſceret. Verùm quoniam hæc non cognoſcimus, quia non prævidemus, idcirco in præfato Evangelio ſequeſter noſter Chriſtus Dominus imbre pluit largiſſimo lachrymarum, nec ſecus ac vitis præciſa gemmas, humoremque diſtillat.

Vitis quando lachrymetur.

XVI. In qua id conſideratione digniſſimum eſt, quod ſpoliata frondibus, viduata fructibus, jugata palo, incurvata ac ſepulta nec fleat, nec doleat; verum ſi abſcindatur palmes quaſi fontem aquarum emittat, ex quo natum adagium: *Plangit vitis reciſa.* Haud aliter Chriſtus Mediator noſter, qui de ſemetipſo confeſſus eſt: *Ego ſum vitis, vos palmites,* ſpoliatus non tantum veſtibus, quaſi frondibus, ſed pelle ipſa in flagellatione ſua; conculcatus, & ad palum crucis affixus, perinde ac ſi nec quicquam ſentiret, nec lachrymatus eſt, nec ob ullam crudelitatem conqueſtus; ſed quando reciditur illi palmes quiſpiam; quando illi evenit, quod prædictum à Jeremia: *Vindemiavit me, ut locutus eſt Dominus in die furoris ſui*; quando quiſpiam ab eo æterno ſeparatur divortio, tunc obortis largè lachrymis, ora, genaſque lavit. *Videns civitatem flevit ſuper illam.* Et tamen, quod admiratione dignum, vitis naturalis, abſciſſis ab eo palmitibus nihil damni patitur; quin imo fructificat amplius, & in locum reciſarum emittit alios fœcundiores, nec tamen inhibet diviſiones aquarum. Palmes autem reciſus perditur omnino, quia projicitur in terram, & manet ſterilis, ſolique Vulcano deſtinatur. Hæc ipſa miſeria, ac cœcitas noſtra eſt. Domino DEO noſtro per noſtrum interitum nihil prorſus decedit, vel per ſalutem noſtram accedit: quoniam ut pulchre cecinit Purpuratus Princeps: *DEVS meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Et ut alter æque ſapiens edixit quærendo: *Quid prodeſt DEO ſi juſtus fueris?* Si nos avellamur ab eo, & pereamus, pollet dextera Omnipotentis plures alios è Chao ſui nihili educere: *Potens eſt DEVS de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Et nihilominus ubi ab eo recidimur culpâ noſtrâ, plangit, & citra ſolatium plangit, doloreque (humanitus loquor) conficitur. Nos autem qui perdimus vitam, virtutem ad bene operandum, verumque gaudium; qui remanemus ſicci, aridi, deſtinati foco ſempiterno, nec oculos in fontes fletuum laxamus, nec extremam noſtram calamitatem penſitamus. O cœcitatem! o ſtultitiam in homine imprimis Chriſtiano verè ſtupendam!

Ioan. 15. 5.

Thren 1. 12.

Pſal. 15. 1.

Iob. 22. 3.

Matth. 3. 9.

XVII. Hanc ne ſerò tandem ſalutis incurii ſodales deplorent, nunc ſerio hunc leſſum Domini expendant, ſatagantque ſapere quæ Dei ſunt; intelligere, quæ mundi; prævidere quæ inferni: ſatagant ſapere quæ ſunt Dei, quate-

quatenus eidem tanquam ſupremo rerum omnium Domino debitum cultum, reverentiam, latriam deferant; tanquam ſeveriſſimum ſcelerum omnium vindicem timeant, tanquam operum omnium noſtrorum ac cogitationum ſpeculatorem oculatiſſimum revereantur; quatenus ad eundem tanquam ad finem, & centrum beatitudinis toto animi conatu colliment. Satagant intelligere, quæ ſunt mundi, quatenus ejus fallacias devitent, ejus bonis non niſi ad bonum æternum conſequendum utantur, eidem ſi immorentur, non immoriantur; & omiſſis ſuperfluarum, caducarumque rerum ſtudiis, in ſalutis ſuæ anchoram ſtatuminandam incumbant. Satagant quæ ſunt inferni prævidere, quatenus ſempiternæ fulminationis cauſas præſcindant, à peccato tanquam à facie colubri fugiant, à via lata, & ſpatioſa, ad arctam & anguſtam ſe recipiant.

Chriſte JESU Lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, Conditor univerſorum, & zelator animarum noſtrarum ardentiſſime, tu quæſo obtuſam mentis caliginem diſcute, tu lumen infunde, ut idipſum ſapiamus, intelligamus, & prævideamus omnes; ut tibi fletum abſtergentes in nos ipſos transferamus eundem, nec unquam quæ deploranda ſunt, deinceps committamus. Fiat.

CONCIO XXXIX.

IN DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

Publicanus autem ſtans à longè percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Luc. 18.

ARGUMENTUM.

DEXTERA PUBLICANI IN SCENAM DATA.

I. DUellum quondam in valle Terebynthi Gigantem inter Philiſtæum, ac Davidem commiſsũ, ex præfata Evangelii lectione in templo Hieroſolymitano Phariſæum inter ac Publicanum redintegratum percepimus. A. Procedebat ibi parte ex una Philiſtæus loricâ ſquammatâ indutus, caſſide æreâ in capite, & ſcuto chalybeo toto corpore munitus, deſpiciens, ac deſpuens adverſarium tanquam imbellem, atque indignum, qui ſecum congrederetur;

1. Reg. 17. 44. ideoque ait: *Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cœli, & bestiis terræ.* Ex altera ibat David abollâ indutus, & perâ accinctus pastoritiâ, soloque baculo armatus, hæc pauca arrogantissimo illi reponens supercilio: *Tu venis ad me cum gladio, & hasta & clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum.* Non in fortitudine armorum victoria belli, aut duelli; sed à Domino Deo est. Et illico commisso certamine feliciter triumphavit. Ib. v. 45.

Ad eundem modum procedit hodie Pharisæus ex parte una, & Propitiatorio proximus, tanquam primæ admissionis apud supremam Majestatem aulicus; & quasi meritus, qui Dominum inibi auditioni precum nostrarum operantem cominus affaretur, non tam litaturus, quam misero publicano exprobaturus in aciem descendit: De⁹, inquit, gratias habeo, quod non sim cœteris hominibus similis; qui raptu vivunt, qui fraudibus rem familiarem adaugent, qui adulteriis thalamos dehonestant alienos; aut denique infame munus administrantes, in gratiam summatum, populum tuum expilant, divexant, exinaniunt, quemadmodum hic publicanus. Nec etiam luxui indulgeo more Procerum, ac optimatum nostrorum, sed jejuno bis in Sabbatho, & insuper omnium bonorum meorum decimam partem pietati lito. *Gratias tibi ago Domine, quia non sum sicut cæteri.*

Ex alia stabat eminus Publicanus, & quoniam delinquendo se longè à Deo recessisse noverat, nec oculos in cœlum præsumebat attollere, existimans se indignum iis obtutibus DEUM, aut aram ipsius intueri; quibus ad conspiciendum illicita plurima fuerat abusus; sed percutiebat pectus suum, dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori.*

Quid factum? Quemadmodum Goliath fastuosissimus, prosumptuosissimusque ab humili Davide fundâ prostratus; ita & arrogantissimus Pharisæus à pœnitente Publicano pugno detriumphatus: *Descendit hic justificatus in domum suam ab illo.*

Receptissimus hic est in tota Christianitate cum Sathana confligendi modus. Nemo in primitiva Ecclesia, teste Hipponensi Præsule, sacris intererat, quin tundendo pectori fructuosè vacaret. Viget etiamnum hæc pia consuetudo, nec facile quispiam tam pervicacis est pectoris, qui illud identidem cum hodierno Publicano non flagellet, ac flagellando ingeminet: *DEVS propitius esto mihi peccatori.* Verum non omnes hoc armorum genere vincunt cum Publicano, nec omnes justificati in domum suam repedant. Dicite quæso undenam id eveniat, aut quo fine & intentione hæc percussio fieri debeat, aut facta credatur à Publicano, ut triumpharet. Quotquot hic adestis Auditores, totidem Ecclesiastas expeto; ut me obmutescente, à vobis hujus facti rationes audire liceat.

§. I.

Sensus Iurisperitorum indagatur.

II. ATque imprimis vobis hic campum dicendi patere arbitror Excellentissimi Domini Jurisperiti, quorum officium est de benè & malè factis

factis sententiam proferre, ac decernere; Dicite itaque quidnam hoc facto præfatus Publicanus demonstrare intendit?

Si piè mentem illius interpretari velimus, rege ritis, dicendum esset, quod latentes in animo Numinis hostes hoc stratagemate publicaverit. Etenim jure Cæsareo sanctum est, ut patres familias, ac fideles subditi deprehensos domi suæ malefactores, proditores, exploratores, similisque farinæ perperam fermentata capita magistratui deferant; ne tanquam perduellionis complices, iisdem obnoxii maneant pœnis, quibus proditores illi multandi fuerant. Et credimus futurum fuisse, ut gravissimis subiiceretur tormentis pia illa in exploratores populi Israelitici mulier Rahab, nisi ementitâ excusationis spongiâ facinus suum diluisset. Dicebat enim: *Fateor venerunt ad me, sed nesciebam unde essent, cumque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt, nescio qua abierunt, persequimini cito, & comprehendite eos.*

Tunsio pectoris quid signet.

Ios. 2. 4.

Firmatum itidem divinis Pandectis, quatenus unusquisque hostes prodat Numinis, & confiteatur scelera sua; quæ adversus eum in corde peccatoris Babylonem, seu arcem tyrannidis architectantur, in eo sua extruunt propugnacula, firmant præsidia, recondunt arma. Ita enim illa loquuntur apud S. Jacobum Apostolum *Confitemini alterutrum peccata vestra.* id est: Confitemini homines hominibus vobis similibus; puta illis, quibus à Christo cura, & potestas absolvendi demandata est, & non Angelis.

Iac. 5. 16.

Huic legi obsecundaturus Publicanus, & gestu, & linguâ inimicos Domini sui evulgabat. *Gestu*, quando percutiebat pectus suum. Nam ut scribit D. Augustinus: *Tundere pectus est arguere quod latet in pectore.* Usitatissimum enim est digitum in id intendere, quod demonstrare gestimus. Linguâ autem dicendo: *Deus propitius esto mihi peccatori.* q. d. Admisi in domum meam latrunculos, qui deprædantur animam meam, regnum, ac possessionem tuam. Recepi illum, qui fuit homicida ab initio, hic domi meæ residet, inibi consilia contra te Domine perversis suggestionibus agitat, in ea tanquam in arce munitissima propugnacula disponit, & aggere quodam inveteratæ consuetudinis, obstinatæque mentis communire satagit. Colluси eidem hactenus, sed jam ignosce, indulge, miserere prostrato, & veniam exoranti: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Abrenuntio Sathanæ, ac pompis ejus, & tibi Domino DEO meo totis præcordiis adhærere concupio. Hæc credimus mens ejus extitit, dum pectus suum propalam pulsavit.

S. Aug. l. 8. de verb. Dom.

III. Perbelle sapitis, & decernitis Excellentissimi Domini, neque enim quod aliis familiare est, pectus alienum tundebat, sed proprium; non regessit in Pharisæum contumeliam; aut reciprocum intulit convitium; sed sibimet culpam imputavit. Non protulit vulgatia rixantium proverbia: Tune audes me proscindere, qui profundiore infixus es luto, & acriori indiges novaculâ, ac lixivio? Cur non unguem tuo ponis in ulcere? Cur non respicis Manticæ quid in tergo sit? Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem

in oculo tuo non consideras? Non item proximo, aut Sathanæ sua imputabat scelera, sed sibimet: *Percutiebat pectus suum.*

Heu quanta hac in parte imitantium eum paucitas? Quam ex adversum copiosa Pharisæorum multitudo plenis buccis crepantium opera sua, & prætexentium pravitatem suam! Malumus nimirum petire, quam vel vulnera indicare, vel crimen fateri. Malumus cum vitiis nostris damnari, quam cum manifestatione justificari. Malumus cum Adamo aliis affricare, & paradiso carere, quam cum præsente publicano pectus quatere, & peccatum nobis imputare.

Sed quid insuper arbitramini?

IV. Forsitan in se desæviit, ut de seipso pœnas exigeret. Noverat probe illud Apostoli: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Noverat ad malè patrata, esse atra theatra parata. Noverat, quod indissolubilis esset cognatio culpæ, & pœnæ. Noverat, quod rarò, aut nunquam sceleftum deseruit pede pœna claudo. Eapropter ne præveniatur, ipse præoccupat judicium, & in se plectit, ne severiùs Nemesis divina ulciscatur. Et idipsum etiam opinatur Augustissimus Pater Augustinus dum dicit: *Percutiebat pectus suum pœnam de se ipso exigebat, ideo Dominus confitenti parcebat.*

Heb. 10. 31.

Aug ser. 36. de verb. D.

Rectè & istud, siquidem vera pœnitentia neutiquam præcordiis stringitur, sed ad ultionem foras erumpit, carnem blandissimam quondam sirenem divexat, spiritum extenuat, & quibus pollet adminiculis, iram divinam placare, & avertere adnititur.

Suppari ratione à nobis ipsis ultionem sumere par est, si Deum severum Judicem & vindicem propitium nanciscì præoptamus. Castigetur hic corpus pœnis mediocribus, ac tolerabilibus, ne per insolentiam efferatum pœnis obnoxium evadat sempiternis. Tantundem juris detrahitur Rhadamantis, quantum quisque sibi assumpserit supplicii. Neque etiam geminatis fascibus ferit Numen; sed quod hic censurâ, ac disciplinâ seriâ expiatum est; idipsum illius absolvitur scrutinio.

§. II.

Consilium Medicorum inquiritur.

V. VOs autem expertissimi Domini Medici, quid de hoc facinore statuitis?

Si ex professione nostra buccinandum nobis est, opinamur vulnus præcordiis suis infixum hac ratione cœlesti indicasse medico. Agnatum enim omnibus ægrotantibus est, eò manum inclinare, quò dolor abripit, languoremque præsenti exhibere Hippocrati. Eapropter Publicanus hic coram Domino, perinde ac summo, maximoque ægrimoniæ suæ Æsculapio (quantumvis omnia scienti) vulnera sua detegit, remorsum explanat, & quasi muto loquitur idiomate: O Domine mi, medice animæ meæ, ecce vulnera mea quibus conficior; plagas, quibus excrucior; saniem criminis mei, quâ inficior. Hic ira incendit, invidia livorem facit, avaritia hydropem auget, acedia debilitat, superbia inflat; hic conscientiæ colica pungit, & virus suum scelus omne meum diffundit. Tu itaque unguen-

guentum miserationum tuarum sufficce, tu instilla clementiæ liquorem, tu gratiæ oleum infunde, quatenus cor meum exulceratum sanitati redonetur, tibique perpetim vivat, ac deserviat: Id ex Aphorismis nostris mutuatus est D. Chrysostomus cum scriberet: *Valnus qui detegit, medicinam quærit.* Detexit Publicanus, & Panchrestum efflagitabat. Vel etiam quia in se Apostema peccati senserat, pus expressurus, tundit pectus; & per oculos lachrymas, tanquam saniem stillare facit.

D. Chrysost.

VI. Sapientissimè profectò. Magna enim pars sanitatis est languorem manifestasse; nec certior est spes vitæ, quam ubi pus eliquatur penitissimè. Quantò malum abstrusum est altiùs, tantò invalescit amplius, & Libitinam accelerat maturiùs. Sanari refugit, quisquis ulcus dissimulat; & tanto magis asperat medelam, quantò studiosiùs obnubit venenum. Ab ægrotantibus experimentum capere fas est, quorum languorem exaggerant tenebræ, quam lucis radii mitigant, & abstergunt. Cum maleficis nimirum id commune habent mala nostra, ut ad aspectum hominum expalleant, & ad eorum notitiam verecundentur; in caligine verò licentiosiùs grassentur, & invalescant. Actum de utrisque est ubi ad Judicis tribunal attracti convincuntur.

§. III.

Sententia Ethicorum.

VII. Liceat tamen ultra progredi, & ex vobis Domini morum Plastæ scitari, quod sentitis, cur quæso pectus suum arietasse arbitramini?

Dormiebat, reponitis, profundiùs cor ipsius, ut itaque ad pœnitentiæ excitaret vigilias, & periculorum cautelam, repetitis ictibus castigat, & quasi tacitus submussat illi: *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Surge peccatrix anima, quæ vitiosæ consuetudinis laboras lethargo, & prope peccato mortua es; propripe te ocius, evigila, & exurge. *Eph. 5. 14.*

VIII. Ingeniosè & istud, & quidem ad mentem Theophilacti Ita enim loquitur ille: *Percutit cor Publicanus, ut excitet quod dormierat.* Indormit enim peccator saluti suæ, & vacat omni actione honestâ, nec percipit ea quæ sunt spiritus, æquè ut dormiens; sed somniis illuditur, & phantasiis suis abstrahitur. Ubi nocte concubia, solutis alte sensibus hæc aberrare cœperit, fingit sibi imperia, sceptra, coronas, opes, gazas regias, mensas solis; at ubi ad noctis unius imaginem, & varia somniorum deliria ita lusit animus, & sibi illusit; orto sole, excusso sopore, vigili sensu, ac mente, videt inanes fuisse sopitæ mentis typos, ludicra commenta, insana deliria. Ita cum aliquando vitæ somnum mors discusserit, cum à nocte hujus ævi mortalis altioti surget impius æternitati tunc videbit meras fuisse illusiones, & vanissima simulachra, tũ cognoscet, quam ex oraculo verè cecinerit David: *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Quatiendum igitur est cor cum præsente Publicano, quatenus è veterno expergefiat, oculos adaperiat, hostes quibus vallatum est cernat

Peccatoris somnus Theophil.

Psal. 75. 6.

nat, ad novam vitam se proripiat ; & tanquam novus homo ambulans in novitate vitæ, & lucis operibus novis, ac sanctis insistat. *Percutiebat pectus suum.*

§. IV.

Mens Sophorum inquiritur.

IX. JAm ad vos honestissimarum disciplinarum ornatissimi cultores Philosophi me converto, vos scitor, quid censetis? quid ex ipsis naturæ principiis hac super re eviscceratis?

Placuit, decernitis, hoc manifesto signo se indicare vas vacuum: Vasa quippe periclitamur pulsu, & sono illorum, ex iis aut plenitudinem, aut vacuitatem conjecturi. Vas quippe vacuum altiùs sonat pleno. Ergo cum Publicanus Evangelicus sua feriat præcordia, receptacula gratiarum ; opere ipso periclitatur, ac demonstrat se esse vas vacuum, compar illi cujus meminit Psaltes : *Effusus sum sicut aqua, factus sum tanquam vas perditum.* Olim eram vas electionis, vas gloriæ, jam mutatus sum in vas contumeliæ ; olim plenus oleo misericordiæ, jam nunc omni vacuus dulcedine gratiæ ; olim plenus Spiritu S. jam expers omnis vitæ, ac virtutis. *Factus sum tanquam vas perditum.*

Peccator vas vacuum.

Psal. 30. 13.

X. Concinne & istud ad eruditionem nostram, siquidem quamdiu in statu peccati est homo, nihil omnino capit gratiæ, sed quidquid habuit profundit. Hinc viri sancti non putarunt ineundam esse rationem illorum annorum, quos aliquando in sæculo, & in peccatis exegissent. Noverant quippe non fuisse illos dies anni vitæ, sed mortis ; non dies plenos, sed vacuos. Proinde qui à virtutis orbita exerrat, qui omnem vitam suam in sceleribus traducit, etsi centenos, & millenos calculet annos, non ideo tamen plenus dierum dicitur; sed qui ut puer rationis impos vixerat, ut puer morietur ; non ex humanâ, sed divinâ supputandi ratione. *Puer*, ait apud Isaiam Dominus, *centum annorum morietur.* Ex solis lunæque cursu centum exegit annos ; at quia meritis vacuus pueriles non exuit mores, & amores, *puer centum annorum morietur.*

Peccator in statu suo nihil meretur.

Merito & hic cum Publicano pectus tundentes, revocare nobis possumus priora tempora otiosè trita, aut in statu peccati evoluta, & exigere, quam vacuum sit cor nostrum, quantum ex eo gratiæ diffluxerit, & effluxerit. Merito cum Imperatore Tito exululare : Amici diem, immo & mensem, & annum perdidi, quo nihil boni feci, nihil meritus sum. Vel cum Davide : *Factus sum tanquam vas perditum*, tanquam cisterna dissipata, quæ continere non valet aquam.

XI. Libenter vos audio, proferte si quid ultra occurrit. Sensit hic Publicanus, dicitis, duritiem quampiam cordis sui, & quia aliunde didicerat, quia cor contritum, & humiliatum Deus non despiceret ; id geminatis ictibus in pulverem redigere satagebat. Videbatur sibi haud absimilis idolo illi Nabuchodonosoris per superbiam antea redditus ; aut vitulo Judaico ab Aarone conflato per avaritiam ; ut igitur illud de montis cacumine exciso lapillo comminutum, hic per Moysem in pulve-

pulverem redactus; ita seipsum gestiebat conterere, & in nihilum redigere.

Vel certe percutiebat pectus suum ferreum, lapideum, silicinum, & ex eo ignem divini amoris elicere tentabat. Cum enim tunsio illa ex vero dolore processerit, fieri non potuit, quin flamma divini incendii exorta fuerit. Dextrè profectò.

Dion. pag. 367. XII. Dion. in Antonino Philosopho de hostibus Barbaris igne fulmineo flagrantibus loquens ait: *Infligebant sibi vulnera quo ignem sanguine restinguerent.* Verius de peccatoris contritione dicitur, quod se ipsum feriat, quatenus ignem inferni sopiat & extinguat, & flammas puri amoris succendat. Utinam, utinam ex hoc unico, vel præcipuo motivo, quod Deum summum bonum sceleribus nostris lacessiverimus pectus pulsaremus, profecto hic ignis emicaret, & depasceretur, quidquid in nobis venenatum, quidquid fœtidum, quidquid perversũ est.

§ V.

Theologiæ sensus investigatur.

XIII. NE ultra exorbitem, dicite quænam tandem est vestra sententia eximii Domini Theologi? Quid arbitramini?

Nihil aliud, quam mentem illius in eo fixam fuisse, quatenus dignum pœnitentiæ fructum proferret. Non fert autem illos caro nostra, nisi putetur, vulneretur, eruncetur. Arboris nuceæ genium sapit, quæ sine verbere sterilescit, ad bonorum operum fructum copiosè egerminandum. Proinde percutiendo pectus sibimet insusurrare videtur illas minas ore Dominico intentatas. O arbor infrugifera, ecce jam tres anni sunt, immo triginta ex quo cœlestis Paterfamilias venit quærens fructum in te, & non invenit; quid agis? Curte non exeris? Cur securim appositam non expallescis? Cur ignem tibi paratum non perhorrescis? Eja age, assume vires, redintegra animum, & ad optatos fructus efflorescе. Ego deinceps fodiam circa te afflictionibus, ac jejuniis; & ponam circa te stercora mortalitatis tuæ.

Tunsio pectoris signat pœnit. Hugo Card. lib. 1:

XIV. Divinè, ac præclarè. Ad vestrum opinor sensum hanc tunsionem interpretatus est Eminentissimus Cardinalis Hugo, quando tria in tunsione animadvertit intervenire præcordiorum. Nimirum læsionem, seu dolorem illatum, tum sonum ex illa tunsione procreatum, tandem vibrationem ipsius manus, seu applicationem ad feriendum. Per læsionem, seu dolorem præcordiorum intelligit contritionem; per sonum Confessionem, per manus applicationem satisfactionem. Ita enim ille: *Est ibi læsio, per quam significatur contritio; & sonus, per quem significatur Confessio; & manus appositio, per quam significatur satisfactio.* Vult itaque Publicani istius tunsione pectoris significari pœnitentiam ipsius fuisse omnibus numeris absolutam, ac perfectam; nimirum & doluisse de peccatis suis ex intimo corde, & eadem manifestasse, & pro iis satisfeciisse; sicque fructum exoptatum Pœnitentiæ tulisse. Vult in hoc præcordiorum pulsu, & hostes esse profligatos, & Numen optimum reconciliatum. *Percutiebat pectus suum.*

XV. O

Affectus. XV. O quantarum itaque virium fuisse hanc dexteram deprædicem? Quibus eam pugnis, & brachiis pro merito conferam? Plusquam Herculeæ fortitudinis erat dextera Samsonis, quâ delevit in maxilla asini adversarios suos, & percussit mille viros Philisthinorum; at multò fortior hujus Publicani, qui solo pugno Tartareas in fugam egit legiones.

XVI. Glorioſissima iridem dextera Davidis, quâ prostravit Gigantem Philisthæum, & abstulit opprobrium ex Israel; at quantò glorioſior mei Publicani, qui longè validiores Gigantes, Centimanosque Briareos non in funda & lapide, sed pugno disjecit, & opprobrium gravius ac servitutem multò miseriorem ex anima sua sustulit. *Descendit hic justificatus in domum suam ab illo.*

XVII. Institit quondam David apud Dominum, quatenus corpus, ac carnem suam clavis quibusdam transverberaret: *Confige timore tuo carnes meas, à mandatis tuis timui.* Configitur autem caro nostra, cum aut timore compungitur; aut ne deficiat in bonis propositis stabilitur. At verò Publicanus noster iisdem confixus clavis, profundius eos adegit pulsando pectus, ne unquam exciderent, & ipse Deo suo tantò firmius, & nunquam avellendus ab eo, adhæresceret.

Psal. 118.

XVIII. Fulminum ea vis ac natura, ut vaginâ aut crumena intacta, ipsum ferrum, & æs absumant, liquefaciant, annihilent. Prodigium idipsum manus pœnitentis patrare visa, quum inviolato pectore, & corpore cor intus, Sathanamque cum sua cohorte in eo commorantem contrivit, & ad nihilum redegit.

XIX. Hi quibus est animus atram bilem, & melancholicos disturbare spiritus, tympana quatere, tubas inflare, citharas tangere, fidibus concinnare voces, & omnem ad lætitiam cogere Heliconem imperant; quatenus hac ratione furvum proturbent spiritum, & ad amœnitatem, ac quietem componant conscientiam.

Rex Saul pressus hoc spiritu Davidem accersiit, cujus modulis ille abigebatur, & menti malè quassatæ tranquillitas redire videbatur. Sed quid inde? Paulò post bile, ac cholerâ se rursum effundente ingravescebat tempestas, & malus Genius suam in eo reciprocabat lanienam. Publicanus noster exacturus malum hospitem, non jam tympana quatit, sed cordis ferit arcana, eoque abegit, ut nunquam crediderim repedasse.

XX. Dicebat quondam magis ad jactantiam, quam ad veritatem Philosophus: *Tunde, tunde Tyranne Anaxarchi follem, Anaxarchum enim non tundis.* Vasculum conterere poteris, non animum. Non valuit Tyranni truculenta dextera altum sapientis contingere animum, & multò minus affligere, ac emaceraro. Profundissimum erat cor Publicani, & prope ponderibus peccatorum ad ima inferni demersum; nihilominus attigit illud Publicanus pugno suo, & in pulverem suæ vilipensionis contrivit. *Val. Max.*

Non ergo solos Levitas suos deprædicet Moyses ob cædem hostium Numinis: *Consecrastis manus vestras Domino unusquisque in filio suo, & in fratre suo,* *Exod. 32. 29.*

ut

ut detur vobis benedictio. Sacrificium Omnipotenti multò gratissimum obtulistis; quando interemptis ejus perduellibus idolomaniæ scelus in sanguine ipsorum expiastis. *Consecrastis manus vestras Domino.*

Rectius hoc encomium Publicanus meretur, qui non in alieno cadavere, sed in suomet corpore holocaustum obtulit, manusque suas Domino dicavit: *Descendit hic justificatus.* Rectiùs illi, qui eundem æmulantur, & æquè animosè cum eodem contra scelus confligunt; non ex consuetudine quapiam, sed ex virtute, & zelo vindictæ pectus quatiunt.

EPILOGVS.

XXI. Verum enimvero eheu quam paucos ejusmodi est invenire! Habent illi pectora æquè ac hic Publicanus indurata, nec desunt illis manus & brachia; at non æquâ virtute cum illo evibrant, aut hostes elidunt. Ah quàm vereor, ne id de nobis dici queat, quod Georgius Castriottus Scanderbegus Dux Epirotarum Imperatori Turcarum petenti à se gladium renuntiari jussit: *Mitto tibi gladium non brachium.* Verba quippe tenemus Evangelici Publicani, sed brachio ipsius destituimur; ingeminamus identidem verba illius: *DEVS propitius esto mihi peccatori*, & præcordia ferimus, sed leviter & citra sensum doloris, seu sinceræ contritionis, emendationisque proposito; ita ut ad cor ictus minimè penetrent, nec pares sint peccato, & Sathanæ proturbando.

Quin etiam percutimus pectus subinde (ut notat Simon de Cassia) ad firmandum delicta, non ad conterenda; infigimus pulsando tanquam clavos profundiùs, non extrahimus. *Veruntamen,* ait, *multi peccatores tundentes confirmant peccata tunsionibus non removent.* Nam ut scribit S. Augustinus, *Qui pectus tundit, nec se corrigit, peccata solidat non tollit.* Ferimus præcordia magis palpando, quam conterendo; magis ludendo, quam collidendo; magis callum obdurando, quam emolliendo. Tantum abest ut in nos ipsos descendamus, nostra vulnera cœlesti medico committamus, ignem divini amoris eliciamus, ut non tam Publicanum, quam Pharisæum æmulari videamur. Ita, ita pectus tundamus, ne in nobis divina Nemesis inveniat, quod plectat; ita feriamus, ut non alios sed nos ipsos respiciamus; ita pulsemus, ut cor in pulverem conteramus; quatenus à torpore, ac veterno excitemus, divinum in nobis ignem succendamus, & gratiæ redonati, in domum nostram justificati descendamus. *Simon Cass.*

In hunc finem iteremus lessum ipsius ex intimis medullis: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Deus cujus misericordiæ non est numerus, cujus natura est bonitas ipsa, cujus voluntas potestas, qui non vis mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat, propitius esto, & relaxa facinora servi tui; propitiare peccatori prostrato, ac veniam demisse exoranti. O si tota abyssus inexhaustarum lympharum redundaret in sinum meum, seu verius in Petram cordis mei, & hoc verbere tanquam virgâ Moysis aquæ salutares in signum doloris elicerentur. O si vastissimus mihi in lachrymas vertatur

Oceanus, & totus per fontes oculorum irriguos exundet! O utinam fiat tanquam mare contritio mea, quia te DEUM meum, summum bonum meum irritavi; quem toto corde diligere obstrictus eram. *Deus propitius esto mihi peccatori*, libera me eripe me vindica me. Meritus sum fateor millies infernum, sed Filius tuus, in quo tibi complacuisti, ipse suomet mihi cruore cœlum præstinavit. Contraxi debitum supplicii infiniti, quod ille ipse in se misericorditer suscipiens abunde exolvit. Non sum dignus tuâ gratiâ ob mea demerita, sed præstandam confido ex immensis ipsius meritis. Deus propitius esto mihi peccatori, & ignosce veniam, ac misericordiam enixe exoranti. Fiat.

CONCIO XL.

IN DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

Loquebatur rectè. Marci 7.

ARGUMENTUM.

IANUA RHETORICÆ COELESTIS RESERATUR.

I. ALias inter artes difficillima propemodum est Eloquentia. A. Quot mensium Kalendæ? quot annorum evolvuntur periodi, quoad quispiam illius fontibus labra vel modicè proluat? Quot lustra Parcæ deproperant, dum alter in aulæ vestibulo palatinæ assentationis, ac dicacitatis ponat rudimenta? Demosthenem denos omnino annos, Lysiam tricenos, Periclem totam eidem ætatem consecrasse ferunt. Nos ipsi quibus studiis, ac conatu ad ejus perfectionem non contendimus, cumque facundissimos arbitramur, graviores soloecismos (quos ipsi superi execrentur) identidem committimus. *In multiloquio enim non deerit peccatum.* Prov. 10. 19

Insinuant sese vanitatis Pleonasmi, hyperbolæ jactantiæ, & ambitionis; catachreses mendacii aliavè peregrinæ orationis dehonestamenta.

Hodiernus surdus, ac mutus momento temporis, non in profanum duntaxat Oratorem; sed & in sacrum evasit Ecclesiasten. *Loquebatur rectè.*

Quâ viâ quæso, quibus artibus, ac industriâ hanc facundiæ dexteritatem consecutus? Id discutiendum mihi erit, tum ad majorem Evangelii lucem tum morum nostrorum emendationē.

NAR-

II. Profanæ ars eloquentiæ ſuis alumnis duplicem, ut plurimum; ad ritè efformandam linguam ſuggerit methodum. Unam, ut multos, & quantum fieri poteſt, diſertiſſimos, excellentiſſimoſque audiat Oratores; alteram ut & ipſimet jugi exercitio efforment ſeſe, multa elucubrent, proloquantur, declament. Ut enim fabricando fabri; ita & loquendo, perorando oratores evadimus.

Nullam harum artium hodiernum Oratorem exercuiſſe comperio; utpote cujus & aures obſeratæ erant, ne quidpiam audiret, & lingua oppilata, ne quicquam proloqueretur. Nihilominus prout innui, momento prope temporis viſus, & auditus eſt Atticâ pluſquam eloquentiâ imbutus; nec tam ingenii, quam divinioris ſvadæ ſcalpello efformatus. *Loquebatur rectè* magnificando Numen O. M. quod dignus inventus, ac habitus ſit, in quo ſemina gloriæ ſuæ reconderet. *Loquebatur rectè*, ſe indignum reputando, beneficium acceptum extollendo, pro eodem gratias agendo. *Loquebatur rectè*, verba non quævis de trivio, ſed ſacra Eccleſiaſtica, ſapientiſſima.

Quo magiſterio? An fortaſſis eloquentia profana, non minus Chriſtianæ adverſatur præceptis, quam aliæ politicæ artes ejuſdem divinæ inſtitutioni? Ita eſt Audit. Quemadmodum praxis Rhetoricæ mundanæ conſiſtit in multo auditu, & garritu; ita Chriſtianæ ſvadæ methodus fundatur in taciturnitate, ac ſurditate.

§. I.

Eloquentiæ ſacræ fundata in taciturnitate.

Medium primum indipiſcendæ eloquentiæ myſticæ ſilentium.

III. ID omnino perſuaſum habeo, & primum ex eo vel maximè deſumo, quod omnes, quotquot in Oratores, ac Legatos ſuos ſupremus Arbiter accerſere dignatus eſt, aſſumpſerit, vel mutos, vel certè ad perorandum minus habiles.

In libro Exodi reſpexit ille oculis miſericordiæ ſuæ afflictionem populi Iſraelitici, & motus infinitæ bonitatis ſuæ clementia deſtinavit Pleni-potentem ſuum Moyſen ad Pharaonem, in negotio vindicandi ipſum à ſeveriſſima illius, cruentaque tyrannide. In hunc finem tradidit ei caduceum, ſceptrum quoddam omnipotentiæ, ac prodigiorum ſuorum. Quid verò ad hæc Moyſes? *Obſecro Domine non ſum eloquens, & ex quo locutus es ad ſervum tuum impeditioris ſum linguæ.* Mitte quæſo alium facundiorem, ac digniorem me, qui cor regis chalybeum efficaciore verborum pondere infringat, aut flexanimi eloquio ad tuum cogat imperium. Ego hæſitante, ac balbutiente linguâ mea, nihil aliud evincam, quam ut meum, ac quod maximum eſt, tuum ſanctiſſimum nomen proſtituam. *Obſecro Domine non ſum eloquens.* *Exod. 4. 10.*

Cui Dominus: *Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus eſt ſurdum, & mutum?* Ignoras in mea poteſtate eſſe flumina eloquiorum, qui fontes ſcaturire feci orbis terrarum? Latet te forſitan opificium dexteræ meæ eſſe, tam formare, quam reformare linguam? Scito illum *Ibid.*

lum mihi fore disertissimum, qui minus hausit de terrenæ loquacitatis profluvio. Scito illum ad cœlestia oracula habilissimum, qui diu tacere, vel pauca loqui, & multa ruminari, sub optimo magisterio silentii edidicit. Scito germanos eloquentiæ fontes tantò assurgere sublimiùs, quantò minus per sæcularia latifundia verborum ampullantium, vorticosâ eluvione diffunduntur. Aptissimum, exquisitissimumque sublimioris facundiæ instrumentum, semper mihi est habitum silentium.

IV. Rursum populo Israelitico rebellionem in Dominum movente, alterum mittere induxit Internuntium Jeremiam nomine; seque ipsum ad id officii ex utero matris elegisse asseverat: *Priusquam te formarem in utero novi te, & antequam exires de vulva, sanctificavi te, & Prophetam in gentibus dedi te.* Tu futurus es meus Legatus, non ad populum tuum duntaxat, sed ad exteras etiam dissitasque nationes.

Jer. 1. 5.

Quid hic Jeremias? Extemplò suam infantiam, ac inscitiam prætendit balbutiens: *A, a, a, Domine Deus ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Quid agis Domine, nonne vides infantiam meam? nonne audis blæsitatem meam? nonne perspectam habes insufficientiam meam. *A, a, a, Domine Deus nescio loqui.* Si quæris, quem mittas, invenies Nestores facundissimos, Ciceronesque ac Demosthenes disertissimos, politicos alios hoc in genere versatissimos. Non sic erit, replicat Dominus, sed tu temet accinge, tu iturus es. *Noli dicere puer sum, quoniam ad omnia quò mittam te ibis, & universa quæcunque mandavero tibi loqueris.* Sectentur mundani Ægyptiorum sphynges, Græcorum flexanimes Pithones, Mercurios Gallorum, qui eorum verba deferant; tu meus futurus es Tullius, eò habilior, quò infirmior. Non enim quod tuum, sed quod meum est loqueris, nec tam tuo, quam meo ore perorabis. *Ecce dedi verba mea in ore tuo,* ecce *constitui te hodie super gentes, & super regna, ut evellas, & destruas, & dispердas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Quia nimirum lingua ipsius ignoravit vaniloquentiam, obtinere meruit cœlestem facundiam, ac sapientiam. *A, a, a, nescio loqui.*

Ibid.

Ibid.

Ibid. v. 10.

V. In Novo itidem testamento summa legationis suæ capita, Verbum Patris æternum non nisi simplices, ac rudes piscatores jussit. Scitor cur Philosophos, Institores, Venatores aliosque opifices sequestravit? Numquid hoc citra mysterium factum esse arbitramini? An non faciliùs, strictiusque sapientes quique, ab eo vocati in sortem ministerii hujus alios authoritate sua, rationum, argumentationumque dilemmate inodarent? Nonne ingeniosiùs venatores in sua retia attraherent? Nonne institores solertiùs æstimare æterna, spernere caduca edocerent? Nonne opifices alii conversatione sua alios itidem in ovile Christi pellicerent? Ita revera est. Sed est quod latet arcanum, nec altius meo judicio, quam quod Philosophi semper disceptent, institores licitentur, vel ad emendum invigilent, venatores cornua inflent, & suum K S. ingeminent, sutores suum *hecbt* inclament, sartores vel cantent, vel deblaterent aliquid, soli piscatores, ne fortè deterreantur pisces, altum

Christus cur elegerit piscatores.

tum obſervant ſilentium, & vel ipsâ nocte intempeſtâ retia ſua jaciant.

Nimirum incapax omnino cœleſtis eſt eloquentiæ, quiſquis mundanæ nimiùm gnarus habetur. *Nec*, juxta vulgarem Plauti parœmiam, *belle novit loqui, qui nequit tacere.* Silentium diuturnum vel mater, vel obſtetrix eſt facundiæ. Vel ut D. Gregorius ſcribit: *Quaſi quoddam nutrimentum verbis, eſt cenſura ſilentii; & recte quandoque excreſcentiam ſermonis accipit, qui prius ordinatè per humilitatem tacet.*

Plaut. in Perſ.

D. Greg. in Ezech.

Sidon. Ep. l. 7.

VI. Hoc itidem præſcripſiſſe ſuis alumnis perhibent ſapientiſſimum Pythagoram, & prius tacendi patientiam illos edocuiſſe, quam loquendi demonſtraſſe doctrinam. Totum ſiquidem quinquennium, vel ut alii volunt ſeptennium inter diſputantium coætaneorum cathedras illos ſigiliones habere voluit, priuſquam elaboratos proponeret orbi Mercurios.

Hoc vel in ipſis avibus mihi viſum eſt, gratioris concentus argumentum. Hoc Luſciniæ, ac Cygni unicum magiſterium. Nam licet Anatomici cauſam in iſto referant eſſe ſanguinem puriorem ad cor in mortis confinio confluentem; in illa gutturis ſubtiliori arteriæ, & ipſi roſtro, quo modulatur adſcribant; ego tamen ominor rationem haud validiorem eſſe, quam quod diu conticeſcat. Cygnus quippe totius vitæ ſuæ decurſu obmutit; & non niſi inſtante morte Epicedion ſibi occinere dicitur. De Luſcinia item populari fertur adagio. A. S. Witt. Philomela St. Et ſubſcripſiſſe videtur cauſæ meæ Horatius dum occinit:

Cygnus cur cantet in morte.

Nunc cuncta veris frondibus annuis *Horat. l. 2.*
Crinitur arbor, nunc volucrum novi
Quæſtus inexpertumque carmen
Quod tacitâ ſtatuere brumâ.

Hoc innuiſſe exiſtimandus eſt D. Lucas, dum mutum hodiernum vocat μογιλαλον, id eſt vix, aut ægrè loquentem. Siquidem ut diſertè aureus Eccleſiaſtes Chryſologus interpretatur: *Antea loquebatur, ſed verbis ſilentii.* Hoc ipſum aptabat ad ſacratiorem eloquentiam, & ut hujus divini magiſtri rectæ loquelæ antiſtitio gauderet. *Chryſol. ſer. 61.*

Hæc eadem methodus nobis imprimis ante orationem ſervanda eſt. Nam ut ſcitè obſervat Melliſluus Pater, nunquam magis muti inveniemur in oratione, quam ubi ante nimium garruli, atque effuſi extitimus; nec unquam magis diſerti, quam ſi antea taciturnitati litavimus. Verba ejus ſunt: *Multorum mihi inter vos conſcientias arbitror conteſtari, quod poſt longas confabulationes inventa ſit mens quodammodo vacua, meditatio minus devota, ſicca magis affectio, & holocauſtum orationis non adeò pingue, propter verba, ſive quæ diximus, ſive quæ audivimus, verba tamen.* Idcirco ſi intendimus diſertè loqui in oratione cum Domino, prius feras ori apponamus, & confidamus, ſic primum eloquentiæ gradum cum hodierno muto nos conſcenſuros. *S. Bern. in Cans.*

§. II.

Medium alterum obtinendæ cæleſtis Eloquentiæ ſurditas.

VII. QUod item ad obtinendam Svadam cœleſtem opus ſit ſurditate, ex typo duplicis ſtructuræ aſ- *Orationi conducit ſurditas.*

sequi poteritis; nimirum turris Babylonis, & Basilicæ Syonis. Ædificabatur illa ingenti cum molimine, clamore, tumultu, confusione demum idiomatum. *Confusum est labium universæ terræ.* Et quidem sub primis auspiciis, cum opus minore procederet tumultu, assurgebat moles; ubi verò variis inter se sermocinari linguis, confabulari, rixari occœpere, prorsus ab inchoata mole desistendum erat; & *dispersi sunt in universam terram.* Exadversum excelsa illa Basilica Salomonis struebatur, assurgebatque altissimo silentio. Quippe: *Malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo Domini.*

Gen. 11. 9.

Ibid.

3. Reg. 6. 7.

Formate hic vobis, quos lubet conceptus literales, anagogicos, tropologicos, allegoricos, ego statuo necquicquam impensius, ac evidentius divinissimum Pneuma adumbrare voluisse, quam ex garrulitate, ac multiloquio confusionem Babylonicam in orationibus nostris redundare. Templum verò præcordiorum nostrorum, in quo divinam exoramus clementiam silentio crescere, & in solitudine consummari. Exinde S. Petrus Damiani. S. R. E. Cardinalis alludens ad præfatum ædificium ad Agnetem Imperatricem ita scribit: *Dum strepitus humani cessat colloquii construitur in te per silentium templum Spiritus S.* Tum ille te facit orare gemitibus inenarrabilibus, cum tranquilla, pacata, surda sunt omnia. Tunc mens in contemplatione altius assurgit, cum lingua strictiùs silentio infrœnatur, & aures ad omnem strepitum inutilem, ac tumultum obserantur.

Pet. Dam. Ep. 150.

VIII. Tuum id consilium Christe JESU Redemptor mi, quod calamo Cancellarii tui S. Matthæi excerptum deveneramur. *Tu autem cum oraveris intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito, & pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi.* Nam quid excellentiùs eo intendis docere, quam ut sincero animo, & citra ostentationem orationes nostras ad te, aliaque pia opera dirigamus? Neque enim eo fine nos intrare cubiculum præcipis; quasi ubique non sis; sed ut cor nostrum ab interpellantibus negotiorum curis avocemus; illud solitarii ingrediamur, & ex corde preces nostras sincera cum intentione & animi affectu effundamus. Nec alia de causa idipsum oppilari demandas, quam ne alienæ ab oratione cogitationes illud ingrediantur.

Oratio clanculana.

Matth. 6. 6.

Hunc eundem sensum accipite à Doctore Africano, Psalmum trigesimum quintum interpretante: *Cubile nostrum cor nostrum est, ibi tumultum patimur malæ conscientiæ, & ibi requiescimus, quando bona est conscientia.* Ibi est cubile, ubi nos Dominus JESUS Christus orare jubet. Tentator non cessat pulsare, si clausum invenerit *transit.* Si reseratum inveniat per effusionem animi ad extra, per colloquia politica, per nimias sollicitudines, per diffusionem sensuum, invadit, & occupat illud, seritque alias & alias cogitationes in phantasia, ut non tam orare, quam DEUM irritare videamur.

Aug. in Ps. 35.

IX. Reflectat se unusquisque supra psalmodias suas, hymnos suos, coronas suas, & sentiet quod dico. Unde enim supplicantes, velut alter Metius

suffe-

suffetius distrahimur, nisi quod confusâ negotiorum turbâ, garrulitatumque mole obruimur; nisi quod rumusculis pleni, nisi quod aliis imaginibus rerum forensium, mentem teneamus occupatam. Etenim Cassiano censore: *Quidquid ante orationis horam anima nostra conceperit, necesse est ut orantibus nobis, per ingestionem recordationis occurrat.* Et ideo quidquid orantibus nobis nolumus ut irrepat, ante orationem de abditis nostri pectoris extrudere studeamus. *Cassian. Coll. 9. cap. 3.*

Agnatum immo innatum phantasiæ nostræ est, ut quidquid à sensibus acceperit, idipsum necessitate quadam consequentiæ menti identidem speculandum proponat; ita ut si sanctis, piisque immorati fuerimus studiis, sancta & pia contemplantibus suggerat; si verò ludicris & inutilibus immersi ante fuerimus, ludicra & noxia in oratione ingerat, & obtrudat. *Necesse est ut orantibus* &c.

X. Compertum id oppidò erat Mellito Clarevallensium Patri; ideoque ante orationis exordium negotia quævis sequestrabat, dicens; *Manete hic cogitationes meæ*, facessite hinc ocius, nihil mihi vobiscum in oratorio est; si operâ vestrâ secundum preces meas indiguero, aures, & auditum præstolamini.

XI. Exploratum SS. illis Patribus in Ægypto, quorum hoc extat axioma: *Amans orationis homo, cœcus, mutus, & surdus sit.* Sepiat aures suas spinis: custodiam ori apponat, peplum oculis inducat, si exactus Orator ad thronum Divinæ Clementiæ inveniri exoptat. *Amans orationis homo mutus, & surdus sit.* *Cassian. in Coll. PP.*

Ego oculos auditoribus meis nequaquam expungo, quin in Christi Assertoris nostri sacram iconem, aliamve illos defigi queant. Mutum cælestem oratorem percupio, ut nihil præter Deum vel linguâ, vel mente in oratione volvat. Surdum denique, ut quidquid vel domi, vel foris forensis strepitus intervenerit, tanquam non audiendo transmittat.

Hæc sunt præliminaria Rhetoricæ cœlestis, quibus posthabitis, vix fieri potest, ut eamdem perfectè complectamur. Incumbite igitur ad ea exactè custodienda, & confidite vos brevi in eximios apud divinam Majestatem Oratores evasuros.

Fiat.

CON-

CONCIO XLI.

IN DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Luc. 10.

ARGUMENTUM.

HOMO EX NATURA SUA EFFORMATUS EST AD AMOREM PROXIMI.

Creatura quævis DEO ſubdita.

I. NUlla creaturarum omnium, in tantum refractaria, ac indomita reperitur, quin ad nutum nictumvè ſupremæ Majeſtatis flectatur lupato. A. Ab ipſis mundi cunabulis demandatum terræ eſt, ut germinaret herbam virentem, & facientem ſemen; *& lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum. Et factum eſt ita.* Sanctum itidem ut ſol & luna, cæteraque ſiderum agmina, irrequieto motu, cardines cœli obirent, diei, noctiſque inducias diſpenſarent, ac elementis ſibi ſubditis obſtetricarent. *Fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem, ac noctem. Et factum eſt ita.* Præceptum ipſis elementis, ut ſeſe mutuò foverent, mala profligarent, bona inducerent, homini ancillarentur. *Et factum eſt ita.* Unumquodque ſuo fungitur officio, aſtra lucent & gyrantur, aura putidam, noxiamque profligat mephytim; liquor lactat, lavatque, terra germinat & gemmat; nec vel latum unguem tantâ ſæculorum evolutorum intercapedine ab edictis cœleſtibus exorbitaſſe ſecluſo ſpeciali edicto compertiſſimum eſt. Nam ut verè de iis Pſaltes occinit: *ſtatuit ea in æternum & in ſæculũ ſæculi, præceptum poſuit & non præteribit.* Quod ſi inſuper Divinum Numen ediceret, ut graviſſima montium juga, ad cœleſtis harmoniæ concentum exilirent; vel depreſſa ponderibus ſuis ſaxa volucrum inſtar, aſſumpto alarum remigio per aëra ferrentur; flumina ad Oceani patriam maturantia iter retrorſum unde exierant, reflecterentur, beſtiæ efferatiſſimæ exuta omni crudelitate, ad humanitatis, ac clementiæ genium ſeſe componerent, &c. illico univerſa morem gererent, ſeque divinis ſubmitterent imperiis. Id quum ita ſit, quid eſt quod homo leve Domini ſui jugum proterve dedignetur ſubire? Quid eſt, quod temerario, ac perduelli auſu frœna illius excutiat? Quid eſt, quod cùm illi, (ut alia præteream) præcipitur ut diligat proximum ſuum, ipſe non modo non obſecundet, ſed inſuper calcatis Domini ſui edictis, eundem maledictis impetat, violentiâ infe-

Gen. 1. 11.

Ibid.

Pſal. 148.

infestet, prosequatur odio sæpius Vatiniano? Unde quæso hoc? Estne in homine radix, ex qua tam venenatum malum pullulet? Estne membrum unicum, in quo semen quodpiam dissensionum naturæ author reposuit? Estne arteria minima quæ iracundiæ fluctus despumet? Estne ossiculum aliquod, ex quo tanquam ab incude Vulcani cujusdam, scintillæ inimicitiarum prosiliant? Id paululum exactiùs perpendamus.

PARTITIO.

II. Ex probabiliore sapientum sententia, homo materiâ, seu corpore, anima, seu forma, & unione, tanquam partibus essentialibus constat. Ut enim ex anima, & corpore illum componi compertissimum est; ita insuper unionem denegare nemo saniore pollens judicio poterit. Restaret enim integer, atque incorruptus secundum fata sua homo, nisi pars ista interiret. &c. Has ego partes quum singillatim excutio, non modo non obluctantes, aut refractarias dilectionis Pandectis invenio, sed insuper summoperè ad eas propensas, ac deditissimas enuntiare cogor.

Homo unde componitur.

§. I.

Homo ratione materiæ propendet ad dilectionem.

NAm quod primam Hominis partem, seu materiam illius concernit, de ea sacer Chronologus in hunc modum meminit: *Formavit Dominus DEUS hominem de limo terræ.* Hebræa legunt: *Plasmavit DEUS pulverem, seu lutum de terra.* Id est quemadmodum plastæ fingunt homines luteos; ita DEUS hominis corpus in modum statuæ, vel per se, vel per Angelos suos, de limo terræ efformavit. Hic ego exurgo percunctorve, quid sit quod divina Bonitas hominem, cui omnia subdidit, non illustrioribus cunis cerisve decorarit? Cur non juxta mentem Platonis aurum, argentumve venis illius infudit? Cur non ad instar Deucalionis, non quidem ex rudi petra; sed gemmâ quapiam eduxit? Cur saltem alio ulus elemento superiore non est? Nonne si candicaret eboris instar, si radiaret ut ignis, fulguraret ut aurum, splendesceret ut adamas, augustiùs magnificentiam Opificis demonstrasset? Nonne natalitiis & minimè adscititiis splendoribus illustris esset? Qua de causâ elemento vilissimo agnatum reddidit? Attendite quæso, & stupescite profunditatem divini consilii. Omnibus aliis elementis citra terram, nescio quid vitii à natura ipsa inoculatum est. Ignis naturâ suâ avidissimus, rapacissimus, superbissimus, crudelissimus est. Rapacissimum dico, quia nunquam dicit, sufficit. Superbissimum, quia cæteris altiùs etiam cum interitu aliorum emicare contendit. Avidissimum, quia omnia depascitur. Crudelissimum, cò quod oppida, ac civitates integerrimas in favillam redigat, fulgura, ac tonitrua excitet, hominem ipsum sui juris factum atrocissimè excruciet. Aura itidem vertumnus unus est; jam Zephyro blanditur, jam flante Boreâ tecta, turresque cidari sua despoliat, arbores stirpitus evellit, onerarias in syrtes vel

Gen. 2. 7.

Homo cur ex limo conditus.

scopulos præcipitat, urbes, regnavè integerrima terræ motibus quatit insolitis. Aqua etiam insolens nimiùm, supere xundat licentiosiùs, caradupas & aggeres perrumpit, pecudes hominesque sepelit, urbes ac provincias diruit, & stillicidiis ipsis naufragium navibus, ruinam sæpius domibus accersit. Saxa, gemmæque per se crudæ, steriles, ac sæpenumero indomitæ sunt. Terra sola, ac unica nos universos, perinde ac Mater amabilissima, suis in vita succollat humeris, suo post fata suscipit gremio. Hæc nos pascit frugibus, ac fructibus, delectat floribus, & mille modis à nobis spreta, ac conculcata, læsa ac saucia, versa & eversa, nunquam, & nusquam beneficentiæ suæ in nos stitit cataractas. Noluit itaque sapientissimus rerum omnium Conditor exigne nos educere, ne forsan tonitruis, fulminibusque aliis obstreperemur. Nec exaëre, ne vanitatem ipsius, insolentiamque æmularemur, ne alios lue contagiosæ conversationis afficeremus, ne susurris, nescio quibus incesseremur. Nec item ex liquore originem, ac stirpem trahere voluit, ne effunderemur sicut aqua, & tumore decumano turgidi, aut tempestate affectuum agitati, naufragium nobis, oliisque acceleraremus. Nec denique ex lapide ullo, ne forsan marmoreas, immitesque traheremus fibras. Verùm ex terra, quæ cuncta sustinet, omnibus omnia elargitur, & nulli improperat, nos prosapiam ducere voluit; ut vel sic ab ipsius incunabulis nos ad omnis humanitatis amussim efformaret. Eam ob rem, ut suffragio suo sensum meum comprobavit Mediolanensis Antistes; ita suos Auditores ad hanc Genesim perpendendam adhortatus est: *Considera*, inquit, *ò homo unde nomen sumpseris, ab humo scilicet, quæ nihil à te accipit, sed omnia largitur omnibus, & diversos in omnium animantium usum fructus administrat. Inde appellata humanitas, specialis, ac domestica virtus hominis, quæ adjuvet consortem.* Expende inquam hæc seriò, & vel ea de causa te ex terra formatum esse tibi persuadeas, ut humanitatem charitatemque sectareris. Sororiæ enim telluris, ac Charitatis conditiones sunt, quod in mundo majore efficit tellus, id in minore Charitas. Nam ut *Charitas* oraculo Pauli, *patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum. Omnia sufert, omnia credit, omnia sustinet*; ita & tellus. Nec ista nec illa facit stipendium, nec illa nec ista vindictam meditatur læsa, nec illa nec ista cothurnum induit; nec illa nec ista Lari suo lacrificat &c. *Considera ô homo unde nomen sumpseris.* &c.

Terræ encomium.

Homo ex natura formatus ad charitatem.

Ambr. l. 3. offic. c. 3.

1. Cor. 13. 4.

III. Eluceseet id multò amplius ex arctissima membrorum omnium inter se necessitudine. Horum enim quodvis alteri ancillatur, & intentata in alterius pernitiem mala propulsat. Caput citra ambitionis fastum præest, pedes summa cum devotione eidem sese submittunt, venter sine ullius injuria dispensat oblata. Quod si verò unum in aliud membrum insurgat, si unum aliud destituat, si communione alterius privetur, totum corpus perire est necesse. Insigni hoc apologo Menenius Agrippa seditioso Romanorum popu-

Membrorum consensio esset charitatem

Liv. l. 2. c. 32. d. 1.

populo expoſuit. Tempore, inquit, quo in homine non ut nunc, omnia in unum conſentiebant, ſed ſingulis membris ſuum cuique conſilium, ſuus ſermo fuerat, indignatas reliquas partes, ſuâ curâ, ſuo labore, miniſterioque omnia ventri obvenire. Manus dicebant: Fratres amantiſſimi, in propatulo poſitum eſt, quam impigro ſtudio, ac labore incumbamus, abdominis noſtri orexim expleturæ. Nos fodimus, nos findimus, nos cudimus, nos pugnamus, nos teximus, nos alias operas exantlamus, ventre interim decumbente, oblatiſque voluptatibus ſeſe immergente. Nec ſe movet niſi ſellâ geſtatoriâ, bajulis pedibus deportatus, nec ſe erigit ad bolum ſumendum niſi meis digitis, perinde ac infanti offa ingeratur. Nec pericula perſpicit, aut proſpicit, niſi oculi, menſque pervigil pro eo excubias agat. Quid, numquid ſpurii ſumus, aut mancipia illius, ut tam impigrè eidem deſerviamus? An non æquo jure cum eo gaudere poſſumus? Herculem juramus nullum nos deinceps dominium paſſuras, ſpartâ contentas futuras, & in ſinu pacatiſſimè quieturas. Sic eſt ſubtexuerunt pedes, nos Majeſtatem illius bajulamus, nos jam in hanc, jam in illam partem ſubvehimus, non alio ſtipendio, quam forte calculi, aut humoris ex barba defluentis. His uno ore acclamarunt oculi, aures, dentes, os, lingua: Nos à tabulis, nos nuntii, nos dapiferi, nos inciſores hujus deſpotici dictatoris eſſe cogimur; ſed jam ab hoc momento abrenuntiamus, & ejuramus tyrannidem ipſius. Dictum factum. Decernitur ne poſthac ullum membrum illum auſcultet, manumittuntur pedes, ne eum ferant, imperatur oculis ne ducant, manibus interdicitur ne ei ſtipem erogent, & æquâ ratione alia emancipantur membra. Quieſcunt interea libertini illi, gratulantur ſibi pileum, fibulamque inſultant petulantiſſimè ſtomacho. Cum ecce luce alterâ vel tertiâ, pedes manuſque languere, oculi hebeſcere, totum corpus fatiſcere occipit, quoad iterum datis dextris, & porco mactato reconciliarentur.

Menenii Agrippæ Apolog.

IV. Dilecti mei quid quæſo nos ſumus, ſi in Apologo Apoſtolum audimus, niſi *unum corpus in Chriſto, & alter alterius membra?* Si igitur membra corporis naturalis ſibi invicem operam locant; ſi ſe invicem vindicant, ſibi adminiculantur, an non æquum eſt, ut & membra corporis myſtici arctiore vinculo inter ſe catenentur? Audite quæſo præfatum Patrem idipſum inculcantem. *Hæc eſt*, ait ille, *lex naturæ, quæ nos ad omnem adſtringit humanitatem, ut tanquam unius corporis partes, alter alteri deferamus; nec detrahendum quidpiam unius corporis membro putemus, cum contra naturæ legem ſit proximum non juvare.* Finge hanc, & da oculo virtutem, ut poſſit detrahere auditum auribus, odoratum naribus, ori ſaporem, ac ſibi conferre; nonne omnem naturæ ſtatum diſſolvet? Finge item oculos nolle in medio pati naſum, aut naſum os, aut os dentes, aut dentes linguam, nonne de toto corpore actum erit? Sic enim naſcimur, ut conſentiant membra membris, & alterum alteri adhæreat, & obſequatur. *Non eſt*, ſcribit Apoſtolus, *ſchiſma in corpore*,

Rom. 12. 5.

Ambr. l. 3. offic.

pore, sed idipsum pro invicem solicita membra, & si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. Si verò tantus est nexus membrorum corporis, an non æquum est, ut eodem trahamur ad amorem proximi? si officit membris naturalibus seditio, an non multò gravius spiritualibus? Si illa fatiscunt, an non timendum, ne & nos perinde ac membra putrida, ac contagiosa, à capite nostro avellamur? Si injuria est corpori, quævis mutilatio; an non itidem futura est capiti nostro Christo?

Homo cur inermis. Greg. Naz. l. de Opif. h. c. 7.

V. S. Gregorius Nazianzenus roboraturus mentem meam, appositam propositioni meæ quæstionem movet percontaturque, qua de causa D. O. M hominem prorsus inermem condiderit? Neque enim aut fronti cornua indidit; aut plantas calcibus armavit, aut latera squammis loricavit, aut os dentium mucronibus inarmavit, aut linguæ aculeum aptavit; verùm omnino nudum, omniumque telis expositum prostituit. Nonne par erat, ut universitatis Princeps inter arma ac phalanges, velut Salomon sexaginta inter fortissimos resupinaretur? Nonne æquum, ut quâ viribus, quâ armis, cætera animantia antecelleret; eaque ratione & vim propulsaret illatam, & saluti suæ consuleret, dignitatique? Cui quæstioni ipsemet respondit, dicens: Ea de causa factum, ut homo non nisi amore, ac benevolentiâ munitus hac unicâ veluti armaturâ, & à reliquis bestiis feritate principatum aucupantibus discreparet, & alios sibi obstringere niteretur. *Si enim cornua, vel aculeos aliquos ungues que præseferret ultores, primum quidem bestiis existeret similis, & occursione ipsa difficilis appareret.* Prô quantum monstrum foret homo, si aut proboscide prolixâ Elephantum, aut torvo corneove taurorum vultu, aut dentibus aprorum prominentibus, aut alio feritatis simulachro deformatus esset. Quis eo rerum statu alteri cohabitaret? Quis vel obvio non percelleretur intuitu? Si hoc rerum articulo definivit sapiens: *Commorari leoni & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam.* Quid illo sanxisset, in quo omni horribilius Megæra, non anguibus duntaxat incingerentur; sed & cornu, & unguibus, & calce ferocirent? Si nunc effervescentes vehementiùs stomacho, viri non sustinent, quî prærabidas tolerarent? si nunc identidem ad laminam machæræ saltantes vix cicurantur, qua ratione tum mansuescerent, quum cornu semper præseferrent? Divino itaque factum consilio, ut & enermes eniterentur in lucem, & ex natura radice nullum ad offentionem genus armorum sit subministratum. *Eccl. 25. 18.*

§. II.

Forma Hominis haud dissuit, sed consuit amorem.

Homo cur ad imaginem DEI conditus.

IV. ALtera pars hominis anima est, eaque ad imaginem DEI condita. *Creavit DEVS hominem ad imaginem suam, ad imaginem DEI creavit illum*, ait sacer Historiographus. Non me latent altissimæ hujus divini consilii rationes. Teneo probè mentem Gregorii Nisseni, opinantis id ea de causa factum, ut quantò magis homo similitudine ad DEUM accederet, tanto majo- *Gen. 1. 27. Greg. Nyss. h. 2. in Gen.*

majore intervallo animum à creaturis avocaret. Comperta mihi est doctri-
Aug in Gen na magni Ecclesiæ Doctoris Augustini, interpretantis id eo consilio factum, ut homo imagine DEI sui, perinde ac sigillo munitus, se totum juris divini esse nosset, nec ulli rei creatæ sese manciparet. Exploratum mihi ex
Chrysol. Chrysologo est, intentionem Numinis eò collimasse, ut homo tanto accuratiore studio, nitorem animæ suæ conservaret, nevè luto, spurcitiisque peccati fœdaretur. Constat, ut alios mittam, S. Leonem obtendere, quatenus
Leo imitator esset sui Conditoris. Verùm
Franc. Salesius de Amo. div. proposito meo appositissimè ratiocinatur D. Franciscus Salesius, id intentum ad majorem erga proximum suum concipiendam benevolentiam. *Vt sicut DEVS creavit hominem ad imaginem, & similitudinem suam; ita etiam ordinavit amorem erga hominem ad imaginem, & similitudinem amoris, quæ debetur Trinitati.*

VII. Quod ut intelligatis, sciendum ex Theosophia est, quod Pater æternus producens Filium suum in similitudinem naturæ, videat in eo imaginem suam, eamque infinito amore, qui Spiritus S. est prosequatur, inque omne ævum complectatur. Ad extra verò veluti pelagus Bonitatis immensum in tempore exundans, cum hominem ad imaginem suam, seu ut Hebræa legit, ad umbram suam condidisset, eidem summè agglutinatus est; ut non creata duntaxat in bonum ipsius, & usum proximè retulerit, sed & Filium suum eidem donarit. *Sic DEVS dilexit mundum* &c. *Creavit Deus hominem ad imaginem suam; ita ut in eo ordinaret amorem erga proximum.* Ut sicut DEUS ab intra respiciens Filium suum, qui est imago ipsius invisibilis, eandem infinito amore complectitur; ita & tu in altero imaginem DEI coleres, & observares; tuumque amorem ad divini amoris ideam, quantum humanæ intentiones sufficiunt, in intimis effingeres medullis. Subinde verò, quemadmodum Bonitas divitias suas largissimè communicat; omnia conferendo in usum hominis, eundem lapsum erigendo, & gratiæ suæ donis præveniendo, concomitando, implendo; haud secus nobis incumbit amorem, quem intus concepimus, pro virili ad extra contestari; collaborando proximo, juvando consilio & auxilio, uno humero quasi, cùm privatum, tum publicum bonum promovendo. *Vt sicut DEVS creavit hominem ad imaginem.* &c. Itaque opera tua non sint duntaxat particularia, sed universalia, non respiciant emolumentum tantum propriũ, sed & proximi; non in corde, aut mente subsistant; sed in propatulum ad opus progrediantur.

VIII. Ne verò quispiam naturæ corruptæ vitium obtenderet, ipsemet, qui eam condidit, ad genuini amoris Id eam reformare dignatus est. Ipse tanquam Rex pacificus, regiè, magnificentissimèque *pacificans, quæ in terris & quæ in cœlis* sunt, lauream in sublime Triados Capitolium intulit. Ipse parietem qui divisus erat inter nos, ac DEUM, cruore suo compegit. Ipse à Patre suo exoravit, ut sicut ipse est unum in natura cum illo; ita & nos voluntatis conjunctione, in unum reduceremur. Pater mi, ait, unicum à te peto, nimirum: ut

Christus Rex pacificus.

Col. 1. 20.

Eph. 2. 14.

sicut tu in me es, & ego in te, ita & illi sint in nobis solide uniti, & perfecti.
22.23. *Vt sint consummati in unum, sicut tu in me, & ego in te.*

Hanc unionem mundus suspexit, cum illo sublimato cœperunt corda fidelium uniri, ac singulari voluntatum communione ad DEUM ferri. Nam
Act. 4. 32. ut S. Lucas contestatur: *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una.* Erant inter se charitate mutuâ, divinaque pace, perinde ac gemmeo vinculo copulati; Ad Christi corpus, divino odore perfusum, perinde ac Aquilæ congregabantur; ab eodem perinde ac magnete potentissimo ad se invicem corda eorum rapiebantur; ut non tam nomine; quam reipsa Fratres, & Germani haberentur. Fieri ne ergo potest, ut nos eadem matre geniti, eodem Patre cœlesti renati, iisdem gratiis constricti, iisdem trochleis SS. Crucis ad charitatem attracti, ab invicem dissensionibus avellamur? Fierine potest, ut natura non trahat ad sua jura, ut graculus graculo non assideat, ut upupa upupæ non applaudat, ut similis simili non congaudeat? Fierine potest, ut lapis non tendat deorsum, ignis non enitatur sursum, aura non moveatur Zephyro, liquor non diffundatur, homo non propendeat ad amorem, & benevolentiam? Fierine potest, ut sanguis JESU Christi nos non conglutinet, ut in eodem odium, ac livor non demergatur? Naufragati sunt in mari rubro Pharaonis Erynnides, Furiæque omnes; & natabunt iræ ac diræ nostræ in cruento Domini pelago, vivetque vindicta in funere Salvatoris?
Exod. 15. 25 Potuit lignum obvium in aquas amarissimas dejectum mulsam, ac nectaream reddere, & non poterit arbor SS. Crucis amaritudinem cordis nostri, felleum que animum in melleum temperare? Mansuescit deposita feritate taurus silvestris, ad fici arborem dulcissimam alligatus, & homo iræ facibus sufflamatus ad arborem Crucis eferabitur? Profectò quisquis turgescit iracundia, inque fermento atræ bilis totus jacet, is mihi semet suspectum reddit, vel à natura humana defecisse, vel sanguini Dominico neutiquam communicasse. *Diod. l. 1. c. 48. Isid. l. 17. Orig.*

§. III.

Tertia pars Hominis est ipsum charitatis vinculum seu unio.

IX. Essentialis pars tertia hominis est vinculum, seu unio, constringens in unum, fasciansque corpus & animam. Ipsius enim natura in eo consistit, ut corpus & animam, quantumvis inter se disparata conciliet, & adamantinis nodis fortiùs advinciat ad unitatem. Quod quàm sincerè, ac strictè præstet, ex divortio harum partium oppidò elucet. Prô quæ tum anxietas animum occupat? quanta tristitia mentem infestat? quanta debilitas enervat medullas? quantus sudor obsidet frontem? quantus terror concutit ossa? Despiciuntur opes, effunditur sanguis, detruncantur artus, exuruntur cauteria, dummodo filum hoc, animum, corpusque concatenans, non abrumpatur. Et licet quibusdam filum hoc tenuissimum, commento vatum è fuso Lachesis deproperatum, & forfice quavis intercidendum esse videatur; *Vnionis vis.*

tur; omni tamen nodo Gordio firmius adstringit; nec secus, quam aut ferro dissolvitur, aut grandi violentiâ rumpitur, aut ætatis vitio computrescit, aut irâ divum in floccos annihilatur. Hoc vinculo salvo frons in altitudinem erigitur, oculi crystallo palmam eripiunt, vultus purpurâ, niveque conspergitur, illigantur labiis lepores, decus collo affunditur, omnes artus ad decorem, ac delitias efformantur. Eodem verò dissuto, facies umbris obsidetur larvalibus, oculi in lacunas suas fœdissimè recedunt, gratiæ omnes exulant, totum corpus emoritur, ceditque putredini, ac vermibus. Hoc vinculo destituitur Angelus, quia est spiritus; saxa, quia purum corpus, & probabiliùs animalia; quia eorum anima educitur è materia, & in eadem indissolubiter sustentatur; solus verò homo eodem gaudet. O nos itaque malè luminatos! ô sideratos nimiùm, si non arbitramur, quantopere hac ex parte ad charitatem efformemur, inciteturque. Quid enim illa est aliud, quam unio, ac vinculum universi, à quo omnis symmetria, omnis decor, decusque universi dependet & qu â recisâ natura in cadaver abominandum transmutatur. Non sinit me errare, qui entheo prolocutus est spiritu: *Qui non diligit, manet in morte.* Cadaver est
1. Jo. 3. 15. vermibus scatens, nunquam morituris; morticinum Cerbero gehennali consecratum; lignum putridum, æternis deputatum incendiis. *Qui non diligit, manet in morte.* Sequestratur à consortio hominum, anathematizatur à Sanctis, fulminatur à DEO. Et ut corporis soluto vinculo homo moritur mundo; ita anima emoritur Numini, & sanctis ejus.

X. Quod si itaque tanto studio contenditis illæsum conservare illud corporis vinculum, an non justius est istud animæ accurare vigilantius? si ad illud retinendum amara quævis exhauriuntur; si opes profunduntur, si ferrum & ignes patimini, an non æquiùs est omnem substantiam profundere pro dilectione? adversa quævis perpeti, triste absynthium, succosq; peracerbos ligurire? Quod si pro illius integritate vota sanctè facitis, precesque funditis, an non sanctiùs pro hoc obtinendo supplices aris advolvemini?

Vereor tamen ne identidem nihilominus à plerisque fiat. Audire vel invitus cogor bene multos dissidia alere, lites serere, concordiam ejurare, obunicum quandoque verbum in furias abire, aliave machinari, quæ lex DEI, charitasque vetat. Inveniuntur qui quidem flent cum flentibus; gaudentibus autem aliis, livore ac invidiâ excæcati, ipsi luctu tabescunt, & pereunt. Nunquam iis bene, nisi aliis sit malè. Malunt mori, quam alios aut fortunæ muneribus ornatos, aut ad altiora subvectos subsellia conspicari. Et hoccine est Christianum? Quid dico, hoccine humanum? Minus dico, hoccine naturæ consentaneum? Tota hominis natura, imo universi ad conjunctionem propendet, & vinculis quibusdam adamantinis constringitur; elementa mutuis complexibus illigantur, omnesque mundi partes concinnâ, modulataque consensione harmoniam efficiunt longè pulchertimam. Hi soli cum Sathana turbant musicam, de-

tur-

turbandi, nisi se corrigant, cum eodem. Hos itaque per pretia redemptionis nostræ obtestor, ut memores sint, unde exciſi, revocent se ad imaginem DEI, imò ad amorem totos quantos efformatos: Et si quid etiamnum naturæ humanæ illis ineſt, ſi quæ arteria, ſi quæ fibræ hominis, venena exſpuant, ſibi dent dextras invicem, amplexentur in oſculo pacis: & DEUS pacis, & dilectionis erit cum ipſis. Amen.

CONCIO XLII.

IN DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

Non eſt inventus qui rediret & daret gloriam DEO, niſi hic alienigena. Luc. 17.

ARGUMENTUM.

CHARITES NOSTRAS SIBI VENDICANT FORMATIO, REFORMATIO, AC TRANSFORMATIO HOMINIS.

Beneficiorum ſemen cito exareſcat.

I. FAtalis hic naturæ humanę aborſus eſt, ut nihil rarius, aut ſeriùs ſemente beneficiorum excreſcat, aut faciliùs exareſcat. Auditores. Quàmplurimos revocare ad calculum eſt, qui copioſo ejuſmodi ſemine aliis concredito ſe litus araſſe, ſemen unà ac operam perdidiſſe, aut perraras in autumno neceſſitatis ex eo ſpicas legiſſe defleverint. Videre eſt (prout de ſua ſemente fatur Agricola cœleſtis) aliud cadere prope viam, & tranſeuntium viatorum pedibus conculcari, deſpici, atque ab iis perinde ac volucribus ſubitò avolantibus arripi, & concoqui. Aliud in ſaxum, pectus inquam obſtinatum, quod incaſſum muniis, vel muneribus emolliveris. Aliud inter ſpinas opulentorum ſuffocari, infatuari, obliterari. Quodque mirêre, multò maturius in Africa gentes inter barbaras, in leonum ac tygridum incunabilis, gratiarum demetes ſpicas, quàm in fœcundis, & ſanguine Agni incontaminati, & immaculati irrigatis Chriſtianitatis viſceribus unam, alteramve reperias. Ita ut nonniſi ſingularis, ac propemodum nimiùs (quo jacitur beneficiorum ſemen) affectuum calor, aut copioſior beneficiorum velut imbrium affluentia fertilitati telluris noſtræ officere, eamque infœcundare videatur. Sterilitatem hanc deflet hodier-

Luc. 8. 5. 6.

dierna luce Dominus eamque infœcundis improperat arvis dicens: *Nonne decem mundati sunt & novem ubi sunt? Non est inventus qui rediret, & daret gloriam* DEO *nisi hic alienigena.* Nonne hæc est summa sterilitas, summa ingratitudo, quod ex decem granis, non nisi unum excreverit idque non ex terra promissionis, sed Gentium, non ex benedictis Patriarcharum campis, sed ex fulminantis Esau glebis, non ex Evangelicæ perfectionis novalibus, sed ex dumetis Ethnicæ superstitionis: *Non est inventus, qui rediret &c.* Quod dum expendo subvereri cogor, ne ubi cœlestis Paterfamilias congregaturus est, triticum in horrea sua eâdem sterilitatis notâ laboremus, ne eodem criminationis telo tangamur, & inveniamur terra reproba, & maledicto proxima. Ea de causa induxi acceptum beneficiorum semen non nihilum expendere, ut perspiciendo quanta gratia collata sit, quantæ Largitori nostro reciprocæ referendæ sint concludamus. Tu ô fator omnis boni consilii divine spiritus præsta, ut cuncta cedant ad Sanctissimæ ac individuæ Triadis gloriam, & nostrarum emolumentum animarum.

Luc. 17. 17.

PARTITIO.

II. Quemadmodum Poetæ tres esse Gratias commenti sunt; ita Angelicus, quâ vitæ sanctimoniâ, quâ sublimitate scientiæ doctor Aquinas in tria veluti grana, seu missus universorum beneficiorum sementem collegit, ex qua messis grati animi excrescere deberet. Sic enim docet: *Tribus potissimum de causis gratiæ agendæ sunt, & amor* DEO *Optimo M. exhibendus à nobis, quia scilicet nos formavit ad bonum esse, reformavit ad melius esse, & transformabit ad optimum esse.* Formavit ad esse Temporale, seu Naturæ, reformavit ad esse spirituale, seu gratiæ; transformabit ad esse optimum supernaturale, & gloriæ. Formavit ad esse naturæ per creationem, reformavit ad esse gratiæ, per Redemptionem; transformabit ad esse gloriæ, per Glorificationem, seu visionem sui. Ex hac semente, ex his granis messis opulentissima gratitudinis exurgat necesse est.

S. Tho. lib. de amore DEI.

§ I.

Gratitudo ob formationem debita.

III. ET quidem primo gratitudinem pullulare erga divinam Majestatem par est ex fundo, & semine Naturæ rationalis acceptæ per Creationem. Ex hac enim beneficii semente, illud omne in nos derivatum est, quidquid vel in bonis corporis, vel animæ, vel fortunarum possidemus. Per bona autem corporis accipio elaboratam stupendo opificio compagem ipsam, structuramque corporei ædificii ex tot venis, arteriis, ossibus, membris, non verbo, ut cœtera elementa, ac ipsi superni spiritus ex ignobilis nihili incunabilis procreatam; sed altiore SS. Triados consilio omnipotenti illius dexterâ ex terra Damascena eductam. Intelligo non ad instar serpentium animalium, verùm excelso ad cœlestia laquearia vultu erectam. Quippe ut concinam Poetæ: *Pronaque cum spectent animantia cætera terram.*

Gratitudo ob creationem.

Ovid. 1. Met.

Os hon ini ſublime dedit, cœlumque tueri.

Intelligo attributa, ac dotes eminentiſſimæ totius ſtructuræ, ut fortitudinem ad audendum terribilia, & ad perferendum adverſa, ſanitatem inconcuſſam, membrorum omnium integritatem, perfectionem, ac ſymetriam, omnemque aliam ad eundem probè conſervandum aptatam ſupellectilem.

Bona anima.

IV. Per bona autem animi veniat tibi Chriſtiane ipſa Imago Divinitatis animæ tuæ inſculpta. Ad imaginem enim, & ſimilitudinem ſuam creavit te. Quà ipſa à tui conſortio excludis omnium aliorum animalium diverſitatem; concludis, quà vegetativorum, quà ſenſibilium, quà rationalium perfectionem; includis ſummum potentiæ memorativæ, intellectivæ ac volitivæ apparatum. Ut eam ob rem à Triſmegiſto, magnum orbis miraculum, à Platone DEUS immortalis, ab Ariſtotele finis omnium rerum creatarum, ab Areopagita Dominus univerſi, à Chryſoſtomo Rex operum altiſſimi, à Damaſceno opus ſingulare divinæ ſapientiæ, ab Auguſtino gloria Divinitatis, ab Ambroſio Præfectus, & gubernator viventium, alter Deus ab Ireneo ſis nuncupatus.

Bona fortuna.

V. Ad extremum per bona fortunæ occurrat tibi quidquid vel oculos oblectare, vel aures delinire vel guſtum ſatiare, vel tactui velificari, vel naribus blandiri poteſt. Veniat inquam in cenſum datorum quidquid vel tellus ſuis recondidit viſceribus; vel Neptunus conchiliatis inſeruit teſtis, vel aër, cœlumque complectitur ambitu, totum id quantum eſt, ab eodem Largitore bonorum omnium in te derivatum eſt: *Conſtituit* (ait Pſaltes) *te Dominus ſupra opera manuum ſuarum, & omnia ſubjecit ſub pedibus tuis, oves & boves univerſas inſuper & pecora campi.* Ipſe bellaria de ramis arborum, volatilia de nemoribus, natatilia de fluminibus, de Campis ſaginata ovium vellera ſubminiſtrat. Ipſe ut nos exhilaret in Luſcinia tam argutè modulatur, in Maſſico tam ſapidè dulceſcit, in floribus tam candidè ſplendet, tam blandè nitilat in ſtellis; tam fructuosè ancillatur in omnibus elementis, ut non tantum neceſſitatibus noſtris abundè proviſum ſit, ſed ad delicias uſque ab eo adamemur. Utinam, Utinam Eliſæus quiſpiam cœlitus impetraret, quatenus aperirentur oculi veſtri videretis currus DEI decem millibus jumentorum ad parandam vobis menſam oneratos; videretis omne pelagus, omnem hortum, omnem oculum pecudum eſſe in motu ad vos fovendos, recreandos, ſaginandos; videretis luminaria cœli majora & minora, propinqua & remota, præpotenti eos impellente dexterâ curſus ſuos perficere; videretis. Supremam Majeſtatem totam in rationibus veſtris promovendis intentam. *Pſ. 8.* *Providentia divina mira.*

VI. Proh quam ponderoſa ſunt iſta ad gratitudinis ubertatem in nobis ingenerandam argumenta; quam copioſam ex hac ſemente exurgere gratiarum meſſem par eſt! Etenim ſi plurimùm te obſtrictum profitereris Galeno cuipiam quum lumen oculorum tuorum in cœcitate tua, aut auditum in ſurditate, aut neceſſarium corporis motum in paraliſi, aut aliam quamcunque

cunque opem, arte ipsius medicâ percepisses; an minores litabis gratiarum hostias Deo tuo ob integritatem membrorum, ac sensuum omnium ab ipso conditorum. Si meminisse debes xenii cujuscunque à quovis mortalium oblati; dona innumera ab immortalibus collata pudendâ oblivione obliterabis? Vel si religione tangereris ne inter homines deprehendaris ingratus, apud cælites hac notâ laborare non erubesces? Exurge, exurge hic vir in camino tribulationis à DEO probate Tobia, exurge & vel è sandapila, tanquam ab exedra, edoce nos hujus eximiæ virtutis perfectionem. Audio ego te post accepta nonnulla per Angelum beneficia, post recuperatam Gabelo concreditam pecuniæ summam, post initos ejus consilio, & auxilio Hymeneos opulentissimos, post reditum filii tui in pace, etiamnum inscium, undenam ea messis beneficiorum proximè redundaverit, cum eodem disceptantem: *Quid possumus dare viro isti sancto, qui venit tecum?* Audio pariter respondentem tibi filium: *Pater quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus? me duxit & reduxit sanum, pecuniam à Gabelo ipse recepit, uxorem ipse me habere fecit & dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus ejus fecit, me ipsum à devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cœli, & bonis omnibus per eum repleti sumus, quid illi ad hæc poterimus dignum dare? Sed peto à te Pater mi ut roges eum, si fortè dignetur medietatem de omnibus, quæ allata sunt sibi assumere.* Et hæc conferebatis, ut dixi conjicientes duntaxat obtutum in beneficii accepti magnitudinem, non verò in Mœcenatis conferentis dignitatem. Quodnam verò, eo se manifestante esse Angelum Raphaelem, unum ex iis, qui adstant ante Dominum, in vobis certamen affectuum ortum fuerit, arduum mihi foret conjicere, ne dicam explanare, nisi me divina eloquia edocuissent. Ex quibus id accepi. *Cumque hæc audissent turbati sunt, & trementes ceciderunt in faciem suam super terram ac prostrati per horas tres, in faciem benedixerunt Deum, & exurgentes narraverunt omnia mirabilia ejus.* Tanta eos tenuit admiratio, tantoque pavore perculsi sunt, cum ob Divinæ bonitatis in se Clementiam, tum ob ipsiusmet personæ celsitudinem, per quam illis singulari ratione opitulari dignatus est, tum ob ipsius beneficii relati, & ob oculos positi magnitudinem; ut trium horarum intervallo attoniti, ac immoti permanserint, nec à Divinis laudibus cessare potuerint.

Tobiæ gratus animus.

Tob. 12. 1. 2. 3.

Ibid.

VII. Auditores mei per viscera misericordiæ DEI nostri vos obtestor, ut accuratiore mentis trutinâ beneficia vobis collata, vel in sola formatione cum his omnibus appendatis.

Dicite quid excellentius sit, an corpus vestrum animæ nobilissimæ copulari, aut hominem homini certis fœderibus sociari, minusne vobis videtur oculorum aciem inviolatam fuisse servatam; an prodigio redintegratam? An morte toties vindicatos, an à devoratione piscis liberatos? An minus totius orbis divitiis quàm certis quibusdam talentis ditatos? an minus, vos integerrimo vitæ fluentis cursu, quàm unius alteriusve mensis spatio custoditos? Si

itaq; Sanctissimis illis viris vires, ratioq; defecerat; quâ tantorum beneficiorum largitori satisfacere pollerent, eique dimidium bonorum suorum summam dedicabant; multumnè vobis videtur, si supremo salutis vestræ Authori, ac bonorum omnium dispensatori, totam vitam vestram consecretis? si sancti illi viri excellentiam personæ comitantis cognoscentes, in terram proni cecidêre, longo temporis spatio in oratione defixi, quomodò nos erectam cervicem non inflectim⁹ summo spirituum omnium principi Domino Deo Nostro? Eia provolvere, provolvere vel sero, hostiam Eucharisticam immota, anima mea, & cave ne unquam millenis titulis debitum gratitudinis censum eidem deponere intermittas. *Affectus gratitudinis* Dic identidem in corde tuo: O Domine nonne tu magnus ille figulus es, qui me omnipotentiæ tuæ dexterâ in rota hujus mundi ex nihilo formasti! An non tu supremus universi hujus Moderator, & essentiæ meæ Auctor, me ex Chao mei nihili extraxisti? Nonne tu cùm nihil promereri potoram, tam nobilem me Creaturam condidisti? Nonne tu cum in illis tenebris, in illis carceribus, & illis nihili cavernis versarer, bonitate, & misericordia tua infinita impulsus merissimâ gratiâ tuâ omnipotentiam, bonitatemque erga me tuam ostendere dignatus es, exornando me imagine tuâ? An non tu Domine sensus omnes, ac membra tanto artificio, prudentiaque composuisti; ut si penitius examinare intendam, miraculum quoddam sapientiæ, ac omnipotentiæ tuæ videar? Et interea tantum abfuit, ut debitum gratiarum vectigal deponerem; ut te etiam exacerbare non dubitaverim, regiam hanc effigiem conspurcaverim, beneficia in veneficia, tuam gratiam in ingratitudinem converterim, tua dona, gratiasque pudendo oblivionis sepulchro tumulaverim. O me infamem! ô me prostitutæ mentis homuncionem in tantum ab excelsis filiorum DEI cogitationibus deflectentem!

VIII. Quantò sapientius egit Job, qui hoc ipsum Creationis beneficium agnoscens id ipsum propalam professus est, seque totum in acceptis tibi retulit dicens: *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu. Memento quod sicut lutum feceris me & in pulverem reduces me. Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & nervis compegisti me. Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodivit spiritum meum.* Hoc scilicet erat beneficia divina recognoscere, & obsequii pignora confiteri; non verò mei instar eorum oblivisci, & quod extremæ dementiæ est ipsum Benefactorem offendere, & remunerationis loco, summas ei injurias irrogare. Sed jam ô Domine retexo vitam meam, retracto ingratitudinem, recoquo quod perperam digessi, me totum quantum in hecatomben offero, futurus deinceps totus quantus tuus, victima, ac vespertinum minimum sacrificium Eucharisticum. *Job. 10, 8.*

§. II.

Gratitudo ob reformationem.

Gratitudo Deo debita ob reformationem.

IX. FUndus ac semen aliud ex quo segetem grati animi excrescere par

Eccli. 15. 14. par est, juxta eundem S. Doctorem est: *Reformatio hominis ad melius esse.* Constat nobis conditum *hominem initio rectum, & relictum in manu consilii sui*, indutum justitiæ Originalis paludamento, exornatum unionibus gratiæ, vallatum auxiliis opportunis. Verùm subinde partim ex fragilitate sua hallucinatum, partim dæmonis instinctu illusum pessum dedisse perfidè hunc animæ Ornatum, deformatum ab Imagine DEI in monstrum Diabolicum, factum ex filio DEI Mancipium peccati, ex cive cœli incolam inferni, ex hærede vitæ subditum mortis temporaneæ, ac æternæ. Hanc extremam hominis cataströphen videns inexhaustæ bonitatis Deitas, decrevit in inscrutabili SS. Trinitatis consistorio, ut ad reformationem lapsæ, ac deformatæ humanæ naturæ sapientia increata, Verbum Patris æterni, carnem nostram assumeret, ac in ea hominem multò nobiliùs recrearet, quam formaverat, Quod ut efficeret, proh quã graves afflictiones, semoto omni consolationis terrenæ temperamento sustinuit in corpore, honore, anima! In hac tœdia, mœrores, pavores, anxietates ad Matth. 26. 38. mortem usque. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* In honore infanda tam Mar. 14. 34 vilis plebeculæ, quam ipsorum Pontificum improperia, usque ad sui conculcationem, ac maledictionem. In corpore dolores prope immensos, ex catenis, & funibus, quibus compeditus, ex alapa & flagellis, quibus usque & usque concisus; ex spinis, quibus dirissimè coronatus, ex clavis trabalibus, quibus ad summam Lanienam affixus fuerat, tandem per mortem ipsam, immensos inter cruciatus, obitam.

X. Eia peccatores alto ingratitudinis veterno consopiti evigilate, erigite aures, atque animum; est quod inquiram, respondete quæso. Nos qui tantis à Christo servatore nostro præventi sumus beneficiis, nulla ne nomina contraximus? nullamne grati animi tesseram ei deferemus, nonne nos totos eidem in mancipia perpetua devovere obstringimur? Age dic Melliflue, Bern. quid sentis? *Si totum me debeo*, inquit, *pro me facto*, quid addam *jam pro refecto, & refecto hoc modo? Neque enim tam facile refectus, ac factus, siquidem non solùm de me, sed de omni quod factum est, scripsit: dixit & facta sunt; At verò qui me semel tantum dicendo fecit, in reficiendo profectò, & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura, nec tantum dura, sed & indigna.* A- Ambr. ge dic & te compello S. Ambrosi edisse re, quid opinaris: *Nihil est, quod dignum referre possumus pro suscepta carne in Maria. Quid pro verberibus? quid pro cruce obita, & sepultura reddemus?* Licet Crucem pro Cruce, funus pro funere demus, nunquam reddimus, quod ex ipso, & per ipsum, & in ipso habemus. Tantum est hoc beneficium, ut nec æstimari, multò minùs refundi queat, si enim ipsemet se totum quantum, pro te exposuit; an non te totum reciprocè millies & millies sibi mancipabit? Si sacratissimum verticem dedit fodiendum spinis, an non pro merito quidquid in tuo capite cerebri, judicii, æstimationis, memoriæ sibi vendicabit? si oculos suos devovit ad lachrymas amarissimas pro peccatis tuis fundendas, aures ad contumelias, & blasphemias audiendas, nares ad fœtores sustinen-

nendos, faciem ad alapas, collum ad colaphos, humeros ad crucem portandum, os & guttur aceto, felleque potandum, manus ac pedes ad perforandum, bajulandum, crucifigendum; & sic se toto exposito te necdum ex asse suum reddidit? Profectò indignus est vitâ, indignus meritorum Servatoris sui fieri particeps; qui eidem recusat vivere, indignissimus, qui nec censum gratitudinis connititur deponere.

Exod. 13. 3. 4 5. XI. Vindicato ex Pharaonis ferreo jugo populo Israelitico, hanc ei legem benignissimum numen statuit: *Memento diei hujus in qua egressi estis ex Ægypto & de domo servitutis. Celebrabitis hunc morem sacrorum mense isto, narrabisque filio tuo in illa die dicens: hoc est quod fecit mihi Dominus, quando egressus sum de Ægypto. Et erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos, & ut Lex Domini semper sit in ore tuo. In manu enim forti eduxit te Dominus de Ægypto.* q. d. Cogita terminum miserrimum, ex quo te eduxi, perpende modum, quo te perduxi; reflecte te ad locum, in quem introduxi; terminum à quo, plenum calamitatis & miseriæ; modum plenum prodigiis; locum ad quem, plenissimum quietis, abundantiæ, & pacis reperies. Conare itaque, ut & corde geras, & ore proferas, & calamo consignes, tanti beneficii monumentum, neque unquam obliteres. Quod si jure divina Majestas pro corporalibus beneficiis, ac libertate corporis tantam gratiarum segetem efflagitavit, quantam æquiore pacto exposcet à nobis pro spiritualibus bonis, veraque libertate animæ asserta? O quantò vehementiùs urget nos, quam Judæos lege sua: *Memento diei hujus.* Vide ne undis præterfluentibus, aut ventis committas. *Memento diei hujus in qua egressus es ex Ægypto,* ex ferrea Diabolica servitute vindicatus. Quantò item justiùs instat per Ecclesiasticum: *Gratiam Fidejussoris tui ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam.* Quam merito per Apostolum suum commonet: *Empti estis pretio magno, glorificate, & portate DEVM in cordibus vestris.* Nempe cassum illud servando in obsequium spiritus, spiritum verò in gloriam, & gratiarum actionem DEO vestro excitando. Eccle. 29. 20.

XII. Compertum id erat Sanctis Dei, ideoque gemitibus inenarabilibus ululabant, videntes se, non posse vicem rependere Servatori suo Crucifixo. Admirabantur illum amoris excessum, quo proposito sibi gaudio, ex electis suis concipiendo, sustinuit Crucem, confusione contempta; & vicem se nullâ ratione posse rependere confundebantur. Passionis ejus ludibriis, flagellis, ac spinis in tantum incitabantur, ut veluti sui impotes in profundum demissionis, ac amoris ipsius abyssum immergerent; id unum quæritantes: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi.* Quid retribuam pro structura corporis mei? quid pro reformatione animæ meæ? quid pro tot gratiis? quid imprimis pro sanguine, pro vita DEI mei? *quid retribuam Domino pro omnibus?* Benedico, laudo, atque adoro immensum amorem tuum, quo te mi IESU tam intolerandis laboribus obtulisti, meiis sublevatur?, ô adoro orationes, quas pro me fudisti, adoro famem, frigus, æstum, quem Psal. 115. 12.

pro

pro me sustinuisti; Adoro omnem austeritatem vitæ, pœnitentias, opera pœnalia, ac instrumenta sacratissimæ Passionis, quæ pro meis peccatis suscepisti; Adoro sensum, quo eadem deploraſti; desiderium quo te pro iis obtulisti; anxietatem, dolorem, & amorem quo satisfeciſti, gratiam, & veniam, quam per eadem impetraſti; Tu solum, qui pro me passus es, miserere mei.

§. III.

Transformatio hominis.

XIII. TErtium semen, & fundus, seu fundamentum gratitudinis germinandæ, ac maturandæ est, juxta eundem D. Thomam, *Transformatio ad optimum esse gloriæ.* Non enim lepram duntaxat peccati aufert sanguine suo; sed insuper novam inducit gloriæ, ac immortalitatis splendorem. De hac Transformatione scripsit Doctor Gentium: *Nos vero omnes revelatâ facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à Claritate in Claritatem tanquam à Domini spiritu.* q. d. Gloriosam Domini DEI Nostri Divinitatem, opusque summè admirandum redemptionis nostræ, fide, ac meditatione seriâ expendentes, quasi per reflexum radiorum lucis Christi, speculi, sine macula, lucidi efficimur, & eidem conformamur. *Quos enim præservit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.*

Gratitudinis obiectionem.

2. Cor. 3. v. 18.

XIV. Ad hanc transformationem elaborandam divina bonitas hominem, peccati pondere prostratum, conquassatum, conspurcatum, identidem sublevat, abstergit sanat; nec secus ac prodigum illum revertentem complectitur, annulo fidei subarrhat, stolâ gratiæ circumdat, quoad cyclade gloriæ cooperiat, & semetipsum eidem intuendum, possidendum, ut hæreditatem præclarissimam tribuat: Et poterit homo tam excessivam DEI sui in se amorem propudiosâ oblivione conterere? Cogitate terrarum maximarum Principem eò vel humanitatis processisse, vel amoris sui habenas laxasse, ut ignobilissimam, oculis atque auribus captam, vermibus, sordibusque scatentem, ulceribus, vulneribusque plenam, fœminam quampiam assumpserit, à sordibus abluerit sanguine proprio vulnera ipsius sanaverit, monilibus pretiosis exornaverit, in regni sociam erexerit, sibi copulaverit, innumerisque aliis beneficiis affecerit. Et poterit hæc dico turpissimâ ingratitudinis labe infici? poterit infando avelli adulterio? sub umbra hac unusquisque nostrum latet Aud. Nos æternùm miseri, cæci, infirmi, nihili futuri; à summo rerum omnium Domino, è terræ pulvere, è sordibus peccati extracti sumus; nos sanguine ipsius pretioso per lavacrum regenerationis, ac exomologeseos expiati; nos eidem fide & charitate desponsati, nos in hæredes regni evecti: (*hæredes enim DEI sumus, cohæredes autem Christi*) Et potest quispiam nostrum, hanc superexcessivam Charitatem extinguere? poterit ingrata oblivione tantarum gratiarum molem sepelire? stupete Cœli, deflete Marmora, factum est. Potuit, ah potuit, & ignorare.

Rom. 8. 17.

XV. Audeo dicere & proclamare, sce-

Ingratitudo summum scelus.

scelera sceleribus accumulando. O portentum! O scelus! jam non communi vocabulo; sed nescio quo novo Calapino initiandum? Amentiam impietatem, bestialitatem, infandum dicerem, sed nec sit assequor. Etenim amentia dicitur quum in dilectu negliguntur meliora ac saniora; hæc vero ingratitudo rejicit quandam honorum immensitatem, & obstruit fontem gratiarum in se fluenta derivantem. Impietas est quæ Parenti in necessitate constituto non subvenit, at hæc ingratitudo piissimum Archiparentem inhonorat, ac exulcerat.

Bestialitas est, quum perinde ac rationis impos, pecudum ritu quispiam vivit, libidini suæ fræna laxando; ingratus Deo, infra ipsas bestias desipit. Infandum est, quod etsi lingua ferri non mereatur, potest tamen aliorum sensuum benevolentiam non excludere. Quid de ingrato dicam? oportet illum à terra tolli, ne pondus inutile sustentet, ex aëre, sequestrare, ne eum halitu suo inficiat; ex oculis auferre ne videatur; nisi forte à Dæmonibus. An non ergo qui ejusmodi ingratitudinem amentiam, bestialitatem, impietatem, infandum dixerit, minus differentiam, ac proprietatem ingrati Deo attigisse videatur? Alio nomenclatore hic opus est; & verbo res tam nefaria exprimi nullo modo potest.

XVI. Sed quid ago cur in alios, & non in memet diras verto, quem novi tam multis gratuitis beneficiis in corpore æquè, ac anima cumulatum, tam clementer habitum, protectum, ac præservatum, è tot millibus in oceano hujus mundi naufragantibus ereptum, & nihilominus summè ingratum perstitisse, beneficia collata obliterasse, ne dicam spreviisse, aut susque deque habuisse. *Non est inventus qui rediret & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Nisi hic, qui non confidit in se, non se extollit ex subditis, aut talentis, qui se miserrimum putat, ac abjectum, *Nisi hic alienigena* qui se excluſum ex Patria Paradysi non habere hic manentem civitatem agnoscit, & ministrum, ac dispensatorem creditorum talentorum profitetur. *Nisi hic alienigena*, qui corde pensat beneficium, ore deprædicat, opere ipso provolutus ad pedes demonstrat. *Non est inventus qui rediret & daret gloriam Deo.* Quid igitur faciam? non occurrit medium sancti⁹, quam ut cum prodigo Filio ingemiscam. *Pater peccavi in cœlum & coram te jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Luc. 15. Pater cujus proprium est misereri & parcere, vincere hostes ipsos misericordiâ, & bonitate, peccavi in cœlum & coram te, abligurivi substantiam meam, dissui vestes versicolores à te acceptas, dereliqui te genitorem meum, fontem aquæ vivæ uberrimis donorum ac gratiarum *rivis scaturientem, & fodi mihi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas,* peccavi in cœlum & *coram te*, sed ecce jam redeo ad pedes tuos, dignare me oculis misericordiæ tuæ; nec avertas faciem tuam à puero tuo, fac me sicut unum de mercenariis tuis. Misericordiam tuam non auferas à me, & ego miserationes tuas in æternum cantabo. *fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Suscipe me in servum ac mancipi-

um

um perpetuum, nec me permittas ob ingratitudinem meam damnari, quem de nihilo creasti. Amen.

CONCIO XLIII.

IN DOMNICA XIV. POST PENTECOSTEN.

Nemo potest duobus Dominis servire. Matt. 6.

ARGUMENTUM.

DOMINIUM MONARCHICUM.

I. AXioma prædictum quantumvis æternæ sapientiæ oraculo prolatum, inconcussis SS. Patrum stet fixum testimoniis, evidentibus Doctorum haud vulgarium elucidatum demonstrationibus, & quotidianâ comprobatum experientiâ; nihilo minus bene multi idque haud vulgaris notæ, contra idipsum quà verbis, quà operibus loricantur, deprælianturve. A. De bicordibus illis Babyloniis in Samariam translatis sacræ testantur paginæ: *Et cum Dominum colerent, diis quoque suis juxta consuetudinem gentium serviebant.* 4. Reg. 17. 33. Cum veri Numinis offensiorem in se animum recolligere contenderent, unâ Deorum futilium pacem mactatis hostiis expetebant. Cum DEO cœli unam faculam incenderent, idolo suo plures inflammabant acerras; cum illum colerent Sabbatho, huic Solis, ac Lunæ lucem sacram habebant.

De ejusmodi itidem Claudianis Israelitis sub Rege Achabo, jam idolis in montibus, jam DEO vivo, & vero in Jerusalem offerentibus, queritur non sine sulphure Elias Vates: *Usquequò claudicatis in duas partes. Si Dominus est DEUS, sequimini eum; si autem Baal sequimini eum.* 3. Reg. 18. 21. Usquequo fissum est cor vestrum, & jam DEO cœli ac terræ, jam emortuis simulachris poplites arcuatis? Si ille est DEUS vester, eidem ingeniculamini, sin è contra hæc muta idola, illis vos ex asse ad contemptum, & ignominiam sempiternam dedicate. Ejusmodi Hirco-cervos etiamnum reperire est, qui Machiavellico imbuti genio, Religionis labarum ac popularis auræ Ethesias explicant, & ad oculum sese Orthodoxos, reipsa remotis arbitris Orco-doxos profitentur. In cute virtutem simulant, in animo vitia enutriunt; DEUM ore nonnunquam invocant, Atheismum intimis insitum medullis amplexantur, & promovent. Hæc illis ars artium videtur exhibere sese amphibios, utrique parti quan-

tumvis adversæ velificari, fidem labiis non moribus tenere, Numen oretenus advocare, Diabolum non lædere. Hanc illi vitam, doctrinamve ut tenent mordicus, ita identidem propugnant flagrantissimè. Quam futili verò illi nitantur fundamento, & quam stabili atque inconcussо Evangelicæ veritatis axioma; dum auspiciis tuis ô Christe Assertor propugnare intendo, mihi vires, ac facultatem, auditoribus meis cor docile elargitor.

§. I.

Servitus duorum Dominorum sibi subordinatorum non repugnat.

Servitus virorum Sanctorum.

II. ACademia mundana, ac Machiavellica dum nihil antiquius habet, quam ut contrarium evincat, citra alias suas fallacias, hisce, similibusque sophismatis utitur. Jacobus Patriarcha annis omninò viginti in frigore & æstu, in siti, & fame, diu, noctuque famulabatur Labano homini Ethnico, & idololatræ; & nihilo minus mansit incorruptus, juratissimusque DEI servus. Josephus itidem haud modico tempore Putiphari mancipatus erat, nec tamen à cultu, & observantia Domini DEI sui ad unguem recessisse auditus est unquam. David subinde Rex ancillabatur Saul, ac jam Cytharœdum, jam militem, jam ducem agebat, & tamen Numen supremum septies in diem minimùm in vota vocabat *septies in diem laudem dixi tibi.* *Psal. 118.*

In novo Testamento non pauci Christianorum apud Ethnicos summates stipendia merebant, illorum nutibus, ac nictibus obsecundantes. Et etiamnum bene multi à latere, à pedibus, aliisque servitiis sunt Dominis terrenis, quantumvis discolis, & flagitiosis, mundo ac carnimancipatis, qui neutiquam traduci poterunt, perinde ac si DEO suo non una deserviant. Ergò omninò non implicat servire mundo, & cœlo; homini, & Numini, vel quod idem est duobus Dominis.

Dominium plurium sibi subordinatorum non implicat.

Cui objectioni Christiana reponit Theosophia, hos aliosve innumeros non pluribus, sed uni Domino mancipatos fuisse. Etenim quid aliud servire est, præterquam alterius exequi voluntatem, ipsius imperiis præstò esse, desideria etiam si fieri potest prævenire? Hi verò cujus quæso voluntati morem gerebant præterquam divinæ, quum Dominos suos, perinde ac vicarios Numinis, suspicientes, ea, quæ illi erant placita exequebantur, quæ contraria aversabantur? Altè enim animo infixerant monitum D. Pauli Apostoli: *Servi subditi estote Dominis vestris carnalibus, cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes; sed ut servi Christi facientes voluntatem ipsius ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino, & non hominibus.* *Eph. 6, 6.* Profundè & illud Petri Apostolorum Antistitis: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter DEUM; sive Regi, quasi præcellenti; sive ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Liquidum item erat, quod non sit potestas, nisi à DEO; quæ autem sunt à DEO ordinata esse.* Est enim Princeps, & Dominus quisque viva Numinis imago, & quasi vicarius illius ab eo in terris constitutus, juxta illud sapien- *1. Petr. 2, 13.* *Dominio parendum.* *Rom. 13, 1.*

sapientis: *Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Et ea-
Prov. 8. 15. propter qui præcepta Domini sui carnalis justa & æqua transgreditur, DEI
Rom. 13. ipsius præcepta violat. *Qui resistit potestati* (ait idem Doctor gentium) *DEI ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Hinc servi illi morigeri in Dominio terreno, cœleste suspectabant, ac reverebantur; inque eorum authoritate esse, atque à nutu dependere allaborabant. Evidens itaque est non pluribus Dominis, sed uni DEO deserviisse, & in tantum summatibus suis obnoxios extitisse, in quantum imperia ipsorum voluntati divinæ non refragabantur.

III. Ut perspectam hanc veritatem Rex Babylonis habuit, ita contestatam venturis reddidit sæculis. Quippe quum malevolentiâ principum suorum, unus ex ephebio ipsius, Daniel nomine, in lacum leonum missus esset, primo diluculo properans ad os laci, in quem protrusus fuerat, non alio eum titulo, præterquam servi Dei dig-
Dan. 6. 20. natus est. *Daniel serve Dei viventis, Deus tuus, cui tu servis semper putâsne valuit te liberare à Leonibus?* In quem lo-
Theodor. h. l. cum Theodoretus: *Ipsius non suum vocat,* eò quod Daniel non tam hominem, quam Deum in omnibus functionibus suis propositum haberet, & domino suo terreno multò maxime ob cœlestis regni stipendium obsequeretur. Ea de causa indigitat eum servum non suum, aut hominis mortalis,
Servus Domino recalcitrans Deo recalcitrat. sed ipsius Dei viventis. *Daniel serve Dei viventis.* Ut vel hoc pacto ediscerent vernæ, suos revereri Dominos, & in iis non purum hominem, sed Deum, cujus personam referunt, respicere. Videant ergo cujus sceleris rea sint illa perduellia capita, collo contumaci edictis dominorum suorum obnitentia; quum non tam hominis, quam Dei ipsius voluntati, per vicarios manifestatæ, reluctentur. Videant quæ illos inferorum supplicia maneant, cum scriptum sit: *Servus sciens voluntatem Domini, & non faciens vapulabit multis.* Videant & morigeri, quæ illos
Luc. 12. 47. merces in cœlesti recipienda diribitorio maneat; quando in cunctis actionibus suis soli Deo placere studuerint, & illius voluntatem, à domino inferiore intimatam exequi.

§. II.

Servitus Dominorum sibi repugnantium omninò implicat.

IV. VErùm non eo collimant verba Assertoris nostri, nec Dominium invicem consentientium, aut subalternatorum, sed sibi è diametro repugnantium impugnat: Non enim aut Dominus: *Non potestis DEO servire, & homini;* aut Domino & Dominæ, sed: *Non potestis servire DEO & Mammo-*
Matt. 6. *næ.* Implicat unà vitio, & virtuti operam navare, cœlo deditum, & cœno immersum esse.

Quod ut planiùs evadat sublimiores facultates adire lubet, & ex iis repugnantiam, ac impossibilitatem ostendere. Quæso vos non tam passibus corporis, quam animi sequimini.

Et ecce prima sese pandit Philosophia, hanc in principio petamus, audiamusque quid dicat: *Contrariorum,* inquit, *hæc est ratio, ut dato uno tollatur al-*

terum. Dato frigore, tollitur calor, data luce fugantur tenebræ; posito odio, evacuatur amor, &c. Contrariorum hæc est ratio, ut se invicem internecino petant duello, ut unius interitu imperitet aliud, ut unà subsistere spectato vulgari naturæ cursu nequeant.

Quod si ita est, uti ratio, & experientia ipsa contestatur, quis repugnantiam diversorum dominiorum in Christo & Sathana non palpat? Quis luculentiorem oppositionem ac contrarietatē deprehendet, ac Christi, & Belial, spiritus & carnis, vitii ac virtutis? *Quæ*, inquit Apostolus Paulus, *conventio Christi ad Belial? Aut quæ participatio justitiæ cū iniquitate?* Quæ dicit conventio in natura, & qualitatibus? Ille benignus, & misericors; hic crudelis, & immitis. Ille justus ac rectus; hic iniquus, ac perversus; Ille ut castarum mentium amator inhibet fornicationes, immunditias, adulteria, odia &c. hic ad eadem sollicitat. Ille aquilæ instar superiora petit, in arduis nidulatur, eòq; provocat ad volandum pullos suos; hic cœlestia deserens serpentis in morem terrena sectatur, ad eaq; assectas suos attrahere, & illis implicare adnititur. *Mitte te deorsum. Quæ conventio Christi ad Belial in loco?* Nō conveniunt in cœlo; quia visus est Sathanas instar fulguris de cœlis præcipitatus. *Vidi Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Non conveniunt in mundo, quia ad adventum Christi, Diabolus, seu *Princeps hujus mundi ejectus est foras.* Non conveniunt in una domo: siquidē accinente Psalmista. *Non habitabit juxta eum malignus nec permanebunt injusti ante oculos ejus.* Intendebant Philistiim arcam DEI cum Idolo suo Dagon simul collocare, ac possidere; at DEUS aequaquam id passus, à consortio suo Dagonem ejecit, idque semel, ac iterum; Non enim bene conveniunt, nec in una sede morantur Deus & Idolum; veritas, ac mendacium; est, & non est. Multò minus conveniunt in throno, humano corde inquam, sed tum primùm ubi *Spiritus Domini recessit (à Saul) exagitavit eum spiritus nequam.* Unus alteri succedit, unà subsistere nequeunt. Si ibi est spiritus Domini, exulare spiritum nequam necesse est, & si spiritus nequam clavum obtinet, spiritum Domini avolare.

2. Cor. 6. *Diabolus in omnibus DEO contrarius.*

Luc. 20.

Ioan. 12.

Psal. 5. 6.

1. Reg. 5. 3.

1. Reg. 16.

Non conveniunt in habitu, eò quod ille demissionem, hic fastum & arrogantiam sapiat. Non in actione: *Ille venit quærere, & salvum facere, quod perierat; Hic non venit, nisi ut furetur, & macter.* Ille favonio cœlesti aspirat; hic Boreâ tentationum infestat. Ille vineam Domini plantat, & ædificat; hic excaudicat, & diruit. Non in passione: Ille audit vota precesq; fidelium, hic eadem odit, ac execratur. *Quæ conventio Christi ad Belial* in omnibus aliis, aut *quæ Luci ad tenebras?* Fierine potest, ut tam diversis dominorum votis obsecundes. Fierine potest, ut sursum deorsum unà feratis, gemmas & stercora amplexeris, &c. *Ne tu dixeris* (concionatur os aureum) *hoc esse possibile, quando te unus Dominus jubet propriis quodque exui, alter vero aliena diripere; quando ille tibi imperat castitatem, iste luxuriam; quando hic tibi castigationem ventris indicit, ille ebrietatem, atque delicias, quando te alter omnia ista jubet despicere, alter verò inhærere atque inhiare præsentibus; quomodo possibile est, tam contraria hæc pariter cōvenire?* Quid clariùs, quid evidentius dici, vel fingi potest? Sed tamen progrediamur paululum,

Luc. 19. 10.

Ioan. 10. 10.

Chrysost. homil. 6. Matt.

sulum, ad vicinam Philosophiæ classem Jurisprudentiam dico, & quibus illa argumentis, aut quo nervo impossibilitatem evincat videamus.

Dominium absolutum duorum in idem repugnat.

V. Ista ut idipsum acroama adstruat, propugnat fortiter non dari Dominium duorum in solidum. Impossibile enim est, ut æquè unus, ac alter plenum sibi jus vendicet in assem unum. Quippe si unius est; alterius esse non potest. Si unus illum dispensat, alteri ad dispensandum eundem nec quicquam supereſt. Quid verò homo? An non numisma signatum imagine ejus formatum manu illius. Si hoc in ærarium DEI inferatur, quid ad id habet Diabolus? si è contra is in marsupium suum per peccati versuram attraxit, quæ pars DEO manet in illo? Unius sit oportet aut istius, aut illius. *Non potestis DEO servire, & Mammonæ.* Etsi verò res aliqua materialis dividi queat, Numisma DEI, seu anima, quum spiritualis sit, dividi nullo modo potest, utpote partibus omnibus destituta. Ergo: *Nemo potest duobus Dominis servire.*

Auson.

VI. Adstipulatur huic Facultati Politica decertans regnum non posse capere duos. Nec unquam regni societas cum fide cœpit, aut sine perfidia, & cruore desiit. *Duo* inquit Ausonius *socios non recipiunt, amor & principatus, omnisque potestas impatiens consortii erit.* Roma ut primum condita duos habere Imperatores fratres haud potuit, quos unius uteri cepit hospitium. Alexandro Macedoni, quum dimidia pars regni à Dario oblata esset, reposuit: *Nec mundus duos soles nec Persia duos patitur reges.* In eandem sententiam Tragœdus. Nec regna socium ferre, nec tædæ queunt.

Guevarræ l. 3. Epist. 1. Sen.

Quin sæpius in una domo fratres inter, & sorores dominium altius, ne dicam bassum, ac supremum subsistere nequit. Meminit Bernardus Scardanus, quod duo fratres Paduenses antiqui generis, & stemmatis Familiæ Limineæ dictæ, obambulantes vesperi in villa ad auram captandam inter alia in admirationem stellarum prolapsi fuerint; & unus eorum sive joco, sive serio in hæc vota, & verba proruperit: O si haberem tot boves, quot sidera cerno. Alter jocum protrahendo, & votum subdit: O si habere tale pratum, quantum cœlum, quæso te frater ubi tu pasceres boves tuos? Respondit ille in tuo prato. Quid si ego non permitterem intulit alter. Replicat primus, ego per vim pascerem. Ego, rursus alter, vel mucrone hoc defenderem, sicque à verbis ad verba, à jocis ad ictus prolapsi se invicem interemerunt.

Bern. Scard. lib. 3.

Persimile quidpiam de duabus fertur sororibus, quæ unico gaudentes horto, pro suo quævis genio in eodem operabatur. Et una quidem oleribus intendebat, altera eluendis mappis, ac linteaminibus aliis. Cum ecce illa pluviam suspirat pro suis adaquandis oleribus, ista serenitatem efflagitat. Replicat illa quid petis, supplica pro serenitate, parum interest olerum tuorum. Suscepit ista: Imo vero parum refert linteaminum, postula una mecum pluviam congruentem. Atque in hunc modum jurgia protraxerunt, quoad sese invicem bene pulsassent. Ita nimirum nec regnum, nec domus, nec hortus capit duos.

Quod si hæc terrenorum connubiorum, dominiorumque; si fratrum, ac sororum, tum imprimis Domini DEI nostri conditio est, nec patitur, nec pati potest corrivalem: *Dominum Deum tuum*, mandat ipse, *adorabis, & illi soli servies.* Et iterū: *Videte quod ego sim solus, & non sit alius DEUS præter me.* Dii gentium, etsi ægrè, comparebantur corrivales, ac æmulos; DEUS noster nullo modo. Et utut gratias, ac dona sua libenter ac liberaliter dispensat, gloriam suam & nomen suum neutiquam concedit. *Hoc est* inquit *nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo & laudem meam sculptilibus.* Quodnam illud? *Ego Dominus nec est alius præter me.* Ego sum cui nutat cœlum, tellus & Orcus, cujus sceptrum adorat, quidquid uspiam est.

Deut. 6. *Deus. 32.* *Isa. 42. 8.*

VII. Evincit idipsum utraque facultas ex Iure gentium omnium. Receptissimum enim gentium fœdererarum pactum est: *Ero amicus amicorum tuorum; inimicus inimicorum tuorum.* Hunc in modum sanxit fœdus Josaphat Rex Juda cum Joram Rege Samariæ; *Qui meus est, tuus est; populus meus, populus tuus, & equi mei equi tui.* Tuus amicus, meus amicus; tuus hostis, meus hostis; quicunque te lacesserit me infestabit, quisquis tecum pacisci tur, mecum una pactum feriet,

4. Reg. 4. 7.

More ac ritu persimili firmaturus pacem Dominus cum populo suo, ait: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedet te, & est nomen meum in illo. Quod si audieris vocem ejus inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.* Ita homo cum homine, regnum cum regno, DEUS immortalis cum homine mortali pangit fœdera; & cur precor reciprocè non idem patret homo cum Domino DEO suo? Novit Sathanam juratissimum esse DEI hostem, cujus membra (cùm caput nequeat, interneçino odio consectetur; quâ ratione itaq; pacem cū Domino

Exod. 23.

DEO suo servabit, si cum ipsius inimico communicet, si eundem impugnare detrectet. O amicitia fucata, ac personata! ò servitium ementitum! Emancipat DEUS O. M. ejusmodi amphibios ex albo servorum suorum mavult nesciri, quam sic amari. Nisi sis inimicus inimicorum Domini, non eris amicus ipsius. *Nemo potest duobus Dominis servire &c.*

VIII. Concludamus, & ad Theosophiam nos postremò recipiamus. Hæc ex natura ipsius debiti & amoris efficacissimis argumentis impossibilitatem hujus dominii demonstrat. Et primò quidem ex eo, quod homo quidquid boni habet, acceperit à Deo ipsum amante, nihil vero à se ipso, vel ab ullo alio citra DEUM. Consequens itaque est, quod nulli obligetur, præterquam soli DEO. Neque enim sibi, vel ulli rei alteri obæratus est adserviendum. Ergo totum quantum impendere debet illi, à quo totum quantum possidet, & à nullo alio, partem quampiam mutuavit. Si verò partem alteri impendit jam iniquus est, & quod est DEI, subtrahit ipsi, mundoque, carni, aut Orco consecrat.

Deus solus amandus.

Subinde idipsum ex eo stabiliunt, quod Numen optimum prius dilexerit hominem, & super omnes creaturas alias ipsum complexus sit. Siquidem totum mundum, & quidquid ejus complexu continetur fecit propter hominem, omnia subiiciendo sub pedibus ejus. Quocirca quum totus mundus de voluntate, ac præcepto Domini subserviat homini, omnesque creaturæ impendant sese eidem eo modo quo possunt, æquum profecto est ut vel millies sese eidem Largitori suo consecret, ac illi soli immolet.

Hominis obligatio ad DEVM amandum.

Tertiò probant, quod cum DEUS sit summum bonum, nullumque aliud illi suppar inveniri queat: quin imò omne aliud ab eo mancum sit, ac defectuosum, fieri nequit, ut quis tantum bonum complectatur, & non in eo solo conquiescat. Ita enim amandum illud est, ut cætera quævis intuitu ipsius, susque deque habeantur; ita ad illud collimandum, ut alia omnia sequestrentur. Ergo nec amari illud potest cum alio dispari; nec posslideri cum alio multò inferiore.

IX. Tandem idem DEUS qui nos condidit ad imaginem suam, etiam perduellionis reos ab interitu vindicavit. Ipso teste Apostolo Paulo: *Factus est nobis à DEO sanctificatio & redemptio.* Non sufficiebat tantæ bonitati, quod hominem suis manibus formaverat; nisi etiam sanguine suo ablueret deformatum, restitueret in pristinum gratiæ statum deturbatum. Poterat sane homini alicui alteri in gratia condito, vel Angelo hæc redemptionis nostræ potestas communicari; qui non equidem ex rigore justitiæ (quia ad hoc exigebatur persona infinitæ divinitatis) verùm ex divina acceptatione satisfaceret, aut satis pateretur. Cur itaque idem factus est Creator, & Redemptor? Audite, ut nodum hunc perbelle dissuat D. Athanasius. *Conveniebat redemptionem fieri per eum, qui naturâ dominus erat, ne alium Dominum agnosceremus;* q. d. O homo ne duos paterere Dominos, ne duobus obstrictus fores, ne cor tuum divideres, idem qui te creavit, & recreavit. *Conveniebat redemptionem*

1. Cor. 1.

Christus nos redemit ne amor scinderetur.

D. Athan. Or. 3. contra Arian.

nem &c. si alter te creasset, alter vindicasset debito gratitudinis jure, jam huic, jam illi mancipatus fuisses; quod ne eveniret: *Conveniebat redemptionem fieri per eum* &c. si Angelus te redemisset, forsitan eidem tuo vindici plus, quàm Creatori detulisses, ideoque conveniebat redemptionem &c. Ita ille: At ego ajo! *Oportebat Redemptionem fieri per eum qui natura Dominus erat.* Siquidem imperium dividi potest, amor dividi non potest. Unus Dominus multos servos habere pollet, unus servus multos Dominos habere non potest. Quia Domini est, servum regere, non amare, servi autem Dominum non regere, sed amare; Imperium dividi potest in multos, amor non potest. Ergo *oportebat redemptionem fieri per eum.* &c

Bern. serm. 83. in Cant

Causam hujus assignat D. Bernardus, quod *Divinus amor ubi venerit, cæteros in se omnes traducat, & captivet affectus.* Unde qui profano incensus est amore, divino convincitur destitutus; qui si adesset, illum nullo negotio expelleret, & totum affectum uni soli manciparet. Idcirco rectè monet S. Augustinus: *si vis esse templum veritatis, frange idolum falsitatis. Tam in cor tuum si placet, intret arca Testamenti, & ruat dagon,* hoc est Christum intro in tuum pectus admitte, & foras exige Dagonem, cum nequeas utrumque pariter retinere. Hallucinantur itaque, & toto cœlo exerrant, qui suum in duos Dominos affectum partiuntur, aut partiri posse ominantur.

Divinus amor profanum expellit

Aug. ser. 14. c. 7. in festo SS. tom. 10.

X. Dicet hic quispiam: Contrarium in bene multis quotidianâ experientiâ colligimus; qui DEO, & mundo vel etiam Diabolo deserviunt. Mane eunt ad templum & DEO litant, sacrificio assistunt, preces decantant, mox ex templo redeuntes domum, nundinantur, jurant, pejerant, helluantur, &c. Ergo serviunt bene & DEO, & mundo, animæ, & corpori, seu duobus Dominis? Ajo hos similesque nisi rationes suas omnes ad DEUM referant, nequaquam DEO ex asse deditos esse. Servitium enim Domini stabile, cordiale atque incorruptum sit oportet; non vero personatum, ac merè coloratum, quale ut plurimum in ejusmodi mediastinis mundi deprehenditur. Vix enim alia intentione altaribus advolvuntur, quam ut lucrum illâ luce opulentius reportent, vel alios fallant, vel quidpiam aliud terreni obtineant; adeoque non tam DEUM suum, quam lucrum, fallaciam, felicitatem transitoriam invocant, & pro ultimo fine constitutam habent. Si enim verè, & exintimis medullis DEO deservirent, Numen optimum in omnibus respicerent, nec tam proclives ad vitia forent. Quod cum plerique negligant, quis eos dicat sincerè uni Domini, aut Deo vero deservire?

Restat itaque ut cum duobus dominis ancillari nequeamus, seriò statuamus, cuinam tandem studia deferamus. Quanquam quid dico? Pridem idipsum fecimus, cùm eidem nos in sacro baptismate authoravimus. Tum enim ejurato Sathana, ac operibus ejus nos ejdem totos quantos obstrinximus, totos quantos in servos perpetuos addiximus. Si ergo jugum ipsius excutimus perduellionis rei facto ipso arguimur; nec aliud quidpiam, quam supplicia in desertores ac transfugas

fugas constituta præstolari possumus. Non aliud inquam, quam ergastulum ipso Tulliano multò horribilius, quam forcipes ignitas, & flammam nullo ævo sopiendam; quam Ixionis rotam cruciatuum circulo nunquam non recurrentem, quam mortem in ipsis tormentis semper reviviscentē. Ea itaque ne nos tangant serviamus Domino DEO soli, omnia ad illius gloriam dirigentes; abrenuntiemus adversariis ejus, nosque totos cum corpore & anima eidem consecremus. Amen.

CONCIO XLIV.

IN DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

Ecce defunctus efferebatur. Luc. 7.

ARGUMENTUM.

MORS PÆDAGOGA.

I. EMmanuel Comenus Imperator Orientis in libello de ingenua Educatione, Cæsarea lucubratione divulgato, exibilat, & sugillat ternas, cæteras inter, aulæ Magistras A. Prima erat Pulcheriæ Augustæ talpæ sororia, & luminibus prorsus orbata. Altera Flaccillæ fœminæ consularis Romanæ, & hæc surdastra. Tertia Pelagiæ matronæ nobilissimæ, & ipsa muta.

Has ille à Iuventutis proba institutione eliminat, & centoculas, ac centolinguas succenturiat. Actum de puero credit; nisi Argum quempiam, qui mores ipsius observet nactus fuerit. Actum de eo in cujus avia, ac devia inquisitum non fuerit; actum de illo etiam, quem Chyron quispiam salutaribus monitis non instruxerit, & exorbitantem quà verbis, quà verberibus non castigaverit.

Ego nihil ominus, salvâ majestate Cæsareâ, censeo luscum etiam, ac surdum, mutumque, vel unà omnibus hisce sensibus privatum Pædagogi officio ritè fungi posse, immo nullum aptiorem eo inveniri. Et hunc si quispiam de nomine ipsum nosse exardescit, Mors est. Hanc ut cœcam ad formas, & colores dignoscendos, surdam ad preces exaudiendas, mutam ad præcavendum esse constat; ita optima præstantissimaque teste Isidoro Pelusiota est Magistra. *Mors*, ait ille, *est frœnatrix affectuum, custos morum, Pædagoga vitæ.* Cum itaque permulti licentius exorbitent, hisce ego, & imprimis studiosæ juventuti cursum suum auspicanti, eandem Pœ-

Mors Pædagoga vitæ.

Isid. Pelus. Ep. 113.

Pœdagogam, hodierna luce, vi præfectitii muneris mei dare constitui. Tu Christe IESU indulge gratiam, ac benedictionem.

§ I.

Mors à Deo præcipuis quibusque Filiis deputata est Pœdagoga.

II. DIvina Bonitas eruditura dilectos sibi filios, hanc illis præ cæteris Pœdagogam vitæ præfecit.

Ada Magistra mors.

Inter eos, quos sibi adoptaverat primus occurrit Adamus, cui quum universa subjecisset; ne luxu, proritante ad eum rerum omnium abundantia, diffluëret, illius ferulæ subjecit dicens: *De ligno Scientiæ boni, & mali, ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo morte morieris.* Hoc dedit Pater filio mandatum, quatenus periclitaretur filii obsequium; imposuit legem, probaturus hominis voluntatem; ostendit æquitatem, cui se subjiceret, à quo ipsi subdita forent universa. Ne verò potius diabolum blandientem, quam semet comminantem audiret, aut periculorum instantium insçius, ad ultimi usque judicii diluculum, securus suis voluptatibus indormiret mortem eidem Inspectorem ob oculos statuit. *Quocunque die comederis morte morieris.* Primum quidem in anima, tum & in corpore. In anima absolutè, in corpore inchoativè; in illa gratiæ, in hac usuræ vitæ. *Morte morieris.*

Gen. 2. 17.

Quum autem Adam utpote infans unius diei eandem Magistram, vel ut par erat non suspexisset, vel cognitam explosisset, & mandatum Domini nequiter transgressus fuisset; rursus eandem illi multò evidentius deputavit, manifesto enuntiando: *Pulvis es, & in Ibid. pulverem reverteris.* Quemadmodum ex limo formatus es: ita in eundem brevi resolveris; Vita hæc te destituet, & Mors depascet.

III. Expendunt hoc loco mysterium sacri Interpretes, qua de causa Dominus solius mortis mentionem fecerit, non item judicii, aut gehennæ, vel alio quopiam terriculo perculerit? Certum enim est potuisse vel Cherubim aliquem, cum gladio flammeo in Pœdagogum illi sufficere; vel etiam inferni abyssum oculis objicere; vel alio fulmine exanimare.

Amaricaturus Balthasaris delitias literis non tam prudentibus, quam obtegentibus mortis necessitatem decreti sententiam evulgavit; & confestim commutata epulanti coturnix in vulturem est; vittatique cor Promethei immani morsu discerpsit, vasa sanctuaria aurea dehiscere visa sunt in Mœotim, seu stygem propinanti; Pellices degenerarunt in Præficas; & scena luxuriæ in catastrophen abiit Furiarum. *Compages renum ejus solvebantur, & genua ejus ad se invicem collidebantur.* Dan. 5. 5.

Inflexurus Pharaonem in sua vota Moysen cum portentis ad eum legavit, ac tandem contumacem ac rebellem cum toto exercitu pelagi fluctibus obruit. Inhibiturus reditum eidem Adamo exturbato ad lignum vitæ in paradyso Cherubim stricto formidandum gladio custodem constituit; Eccus eundem illi, aut aliam præter mortem Lamiam non deputavit?

Non aliam ob causam ex mente Petrii, quam ut præstantissimum

omnium eidem Pœdogum decuriaret;

Perer. l. 1. in Gen. *Licet enim*, ait ille, *pœna infernire ipsa gravior sit, quam mors, cogitatio tamen mortis acrior, ac vehementior est ad peccatores deterrendos.* Quo propius illa subit oculos, eò animum reverberat potentius, lupatoque suo inhibet, ne ad illicita feramur.

Item Abrahæ. IV. Alter, quem de Vr Chaldœorum, speciali privilegio sibi adoptaverat erat Abrahamus. Hunc ipsemet informare dignatus est; huic peregrinationem in exteras, ne domi desidiosus

Gen. 12. 1. delitescerat indixit: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi.* Ipsum in dubiis, ac periculosis erexit: *Noli timere Abraham, ego protect-*

Gen. 15. 1. *or tuus sum, & merces tua magna nimis.* Eidem consilio aderat in turbidis, & titubanti, an Ismaelem proturbare domo sua ad urgentissimas Saræ uxo-

Gen. 21. 12. ris propriæ preces deberet, ait: *Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua; omnia* quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus. Ipsum ad pietatem, ac perfectionem summam manuduxit: *Ambula coram me, & esto perfectus.* &c. Defuncta subinde uxore illius Sarâ, nunquam, & nusquam legitur ejdem Patriarchæ aut apparuisse, aut in aliquo informasse Dominus. Quid causæ? Rupertus Abbas quâ eruditione, quâ sanctimoniâ vitæ inclitus opinatur Libithinam vicarios Numinis vices in eo informando, atque in officio continendo obiisse: *Solicita cogitatio de sepulchro, & morte, vices gerit divinæ pro-*

Rup. in Gen. *tectionis.* Ipsa in Numinis locum cooptata intra æqui, redique fines eundem coërcuit. Tantæ nimirum Mors in instituendo est authoritatis, ut secundum Deum nec quicquam præstantius inveniatur.

Eapropter Abulensis exponens sepulturam Consortis ipsius in spelunca duplici, arbitratur unam partem pro corpore, aliam pro cruribus erutam fuisse; ita ut cadaver illud sepultum fuerit instar sedentis in cathedra. Hoc situ demunstraturus magistram optimam, sibi deinceps, aliisque futuram uxorem emortuam; cujus prælectiones omnem aliam Academiæ professionem exuperarent. *Sollicita cogitatio &c.* Sub hujus disciplina, in fide, spe, charitate, hospitalitate, aliisque virtutibus in tantum provectus est Abrahamus, ac si ipso Deo directore, ac Præceptore usus fuisset. *Sollicita cogitatio* &c.

Gen 23. 15. Abul. l. 1.

Iobi Magistrum. V. Tertius in mentem mihi venit puer simplex, ac rectus, & timens Deum, Jobus nomine. Cujus ea extitit in adversis constantia, ut totius Tartari viribus concuti nequiverit; Ea sanctitas, ut perinde ac aurum obryzum, ex camino tribulationis purius evaserit. Ea puritas, ac innocentia, ut ne quidem cogitationem ullam malè probam in animum admiserit; Ea virtus ut ipsius Numinis sententiâ illi par sub convexo non fuerit: *Numquid considerasti*, loquitur ipse Dominus ad Sathan, servum meum Job, quod non sit ei similis in terra.

Verùm quemnam quæso Anacharsem Magistrum nactus est, qui eum in tantum firmavit? Quis illum tam generosos edocuit mores? Quis ad tam considerata eloquia linguam ipsius erudiit? Quis intentiones cordis direxit?

xit? Quis in medio cœcæ gentilitatis tanto lumine sapientiæ illustravit? Profecto alios inter Doctores Mors primipila, ac princeps extitit. Hæc illum erga DEUM religiosum, erga proximum benevolum, erga se ipsum austerum, in conversatione exemplarem, in precibus devotum, in vita irreprehensibilem reddidit; hæc passiones lupato coërcuit, carnis blanditias subegit, sollicitudines anxias temperavit; hæc in umbilico superstitionis citra Vatum documenta, citra Evangelii lucem insontem servavit. *Dies mei*, eructat ipse, *breviabuntur*; *& solum mihi supereſt sepulchrum.* Quid inde? *Non peccavi.* Sepulchrum me à peccati lapsu vindicavit; saxum tumuli remoram injecit, ne ad petram scandali impingerem; ex cinere progerminavit quæcumque est virtus mea; contemplatio mortis vitæ mihi extitit aurora, & diluculum.

Placeat idipsum non tam ex ore meo, quam calamo Gregorii Pontificis Maximi excipere: *Perfecta vita est*, ait *ille mortis meditatio, quam dum justi sollicite peragunt, culparum laqueos evadunt.* In exemplum hujus ac robur illico subjungit præfatum Virum ita scribens: *Unde & B. Iob quia dies suos consideravit breviari, & solum sibi supereſſe sepulchrum pensavit, aptè subjunxit, non peccavi. Mors enim est frœnatrix affectuum, custos morum, Pædagoga vitæ.*

Greg. lib. 7. mor. c. 16.

VI. Et ne forsitan præteriisse sexum fœmineum Dominus videatur, eandem ipsam Inspectricem sponsæ suæ dilectissimæ posuit: *si ignoras te*, inquit, *ô pulcherrima inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum.* Ibi addisces, quæ sis, & qua origine nata.

Cant. 1. 7.

Sed quid quæso hoc suo consilio cœlestis indicare voluit sponsus? Num fortè ne caput erigeret; utpote cui tam humile pascendi gregis officium committeretur? Id luculenter expressisset sponsus, si indixisset, ut juxta receptum opilionum ritum gregem præcederet ducendo, grege illius sequente vestigia. Væ misero gregi, cujus pastoris distorta, ac obliqua sunt vestigia. *Væ, quia si cœcus cœco ducatum præstet, nonne ambo in foveam cadunt.* Quid ergo est mysterium, quod sequi gregem mandet, ad se cognoscendam?

Matth. 15. 14.

Id sanè, quatenus æstuante sole, & campis siccitate pressis progrediatur secundum gregem tumultuariè incedentem, cujus festino motu pulvis in sublime attollitur, & in nubem agglomeratur. Ex hoc inquit pulvere oculis insperso te cognosces, quæ sis, & quæ genealogia tua. Hoc enim es, quod intueris, hoc eris quod obtutum tuum confundit. Hoc es, quod pulvis iste, quem grex pedibus attollit; hoc es quod ostendit illud speculum, quod non fallit; hoc es, quod docet hic Pythagoras veritatis amantissimus. Ista tua pulchritudo pulvis est, dicet; iste decor, iste ornatus, pulvis est; ista cincinnitas, & elegantia pulvis est. Si te ignoras, exito ad campum, & sequitur vestigia gregum ibi te dignosces, pulvis ille exacuet ad discutiendum cunas tuas oculos, quos fallacia tibi præcluserat. Hoc magistro si usus fueris brevi altissimam sapientiam, quæ in suimet cognitione consistit imbibes.

§. II.

Mors omnium impiorum Magistra.

Mors magistra impiorum.

VI. VT vero his, aliisque magisterio Libitinæ probè consultum est; ita omnibus ac singulis, quantūvis impiis, ac sceleratis eandem commendat Sapiens: *Memorare*, ait, *novissima tua, & in æternum non peccabis.* Non peccabis concupiscentiâ oculorum; quoniam facilè contemnit omnia, qui se sperat moriturum. Nemo in funere congregat, raptoque vivit, quum non jam vivit, sed rapitur. Nemo aurum domui infert, quum effertur. Novit enim etsi multarum opum dives sit, plurimaque inclitus Parentela, nec quicquam secum, aut pecuniæ, aut supellectilis, aut cultus, præter linteolum, quo involvatur ablaturum. Novit quod disseruit Jobus: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Novit quod psallit David Rex: *Relinquent alienis divitias suas, & sepulchra eorum domus illorum in æternum.* Novit quod Doctor Gentium scripsit Timotheo suo; *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid possumus.*

Eccli. 7.

Iob. 1.

Psal. 48.

Non item peccabit concupiscentia carnis. Mortis enim recordatione perculsa libido in lilium, sola falcis intentione demutatur. Quoties recogitat, qualis post mortem caro futura sit, toties furens in medullis flamma restinguitur. Nihil quippe sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quam ut unusquisque hoc, quod vivum diligit, quale sit mortuum penset. Consideratâ quippe corruptione carnali, citius dignoscitur, quoniam cum illicitè caro concupiscitur, tabes desideratur.

Non delinquet etiam superbia vitæ; utpote memor quod unus omnium idemque squallor in umbra est; unius conditionis securis cum tripode, nec pedum à sceptro distinguitur. Memor quod unus sit hominum jumentorumque interitus, & in unum coalescent ossium fascem consul, & subulcus; sagum, prætexta uno eodemque situ involvetur. Memor Numen superbiæ nostræ cinerem, quo tumorem infringat, veluti exoneranti sese in aridam Oceano opposuisse arenam, & id ipsum nobis morituris, quod quondam Jobo insusurrare: *Circumdedi mare terminis meis, & posui vectem, & ostia, & dixi usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Quantumcunque enim sese in sublime attollant, tandem ad sepulchri pulverem detumescit, ac deficit. Hinc Aurelius Augustinus scite concludit: *Nihil sic revocat homines à peccato, quemadmodum imminentis mortis agitatio.* Quod si enim diem mortis suæ homines cogitare vellent, animum suum ab omni cupiditate infrænarent. Nec sensus hominis distraheretur vanitate sæculi, si mortis lupato inhiberetur; nec delectaret in cinere, sed cruciaret lascivia.

Iob. 38.

Aug. lib. 12 de Gen. contra Man. c. 28.

VII. In divina sua Apocalypsi testatur S. Ioannes à se visos quatuor equites per quam peregrinos. Primus insidebat equo candido, arcu, & diademate insignis. Alter rufo, & huic datum erat, quatenus sumeret pacem de terra,

Apoc. 6.

terra, & datus erat ei gladius, quo se invicem interficerent. Tertius atro vehebatur, habebatque stateram in manu sua. Postremus ibat in equo pallido, *& nomen illi Mors.*

Alber. M. ser. 47. Indagat mysterium Adalbertus M. quid sibi velint hi equites, & docet adumbratas esse in iis diversas formas, quibus Assertor noster ad reducendos perversos utitur. Primum quidem educit album, quum gratiis, ac beneficiis pellicit. Subinde rufo vehitur, quum mortem suam, ac sanguinem pretiosissimum ponit ob oculos. Furvo verò, flagella immittendo, ac castigando. His omnibus incassum tentatis mortem ipsam ad conterendum, percellendumq; peccatorem educit: *Et qui sedebat super eum; nomen illi Mors*: Verba illius sunt: *Christus, qui insidet Mors vocatur, & per pallidum equum intelliguntur illi, qui jejuniis, & vigiliis se pallidos efficiunt.* Quum Christus mortis formam assumit, eamque peccatori objicit, quantumvis ille perinde ac equus indomitus, & effrænatus Bucephalus sit, facile tamen edomat, eòque adducit, ut areat in patera luxus, palleat in purpura lascivia; ut ad crebras vigilias assuescat caro; tantumque sese voluntariis pœnitentiis emaceret, ut ex pallore quivis legere possit, quæ de se sumpsit supplicia, quantumque indomitam antehac licentiam detriumphaverit?

VIII. Compertissimum id credo evasisse fulminato illi Epuloni in altera vita, in qua irritis precibus lymphâ postulatâ, instabat apud Abrahamum, quatenus Lazarum vita functum destinaret in domum fratrum suorum: *Rogo ergo te Pater, ut mittas eum* (nempe Lazarum) *in domum Patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Vitam quippe per omnia licentiæ dedecora improbissimam ducunt, certoque certius in hoc perpetuæ damnationis barathrum devolventur, nisi salutari illius consilio è præcipitio revocentur. Cui cum Abraham, Moysen & Prophetas, id est divina oracula, cælestemque doctrinam, quam habebant, objecisset; reposuit infelix Helluo: *Non sic; sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.* Mortuorum oratio penetrabilior est omni gladio ancipiti, refrœnat libidinem, coercet avaritiam, adamantina infringit præcordia, & ad frugem inflectit. *Si quis ex mortuis ierit ad eos*, &c. Explodi viventes, & taxari tanquam minus è Tripode perorent, possunt; emortui, sano judicio, tanquam inconcussæ veritatis testes, neutiquam possunt. Credibilissimum habetur, quod hi oculis arbitrati sunt, quam quod alii calamo ex traditione, aut inspiratione complexi. *Si quis ex mortuis* &c. Ipse intuitus mortui mortificat lasciviam, & ad castimoniam vitæ, timoremque salutarem componit. Ita Dives iste (loquor cum S. Ambrosio) serus Magister esse incipit, cum jam nec discendi tempus haberet, nec docendi.

Luc. 16. v 17. 18.

Ibid. v. 20.

IX. Eodem sapientissimo consilio mederi conabatur impiis quibusq; patientissimus æquè, ac sapientissimus Iobus. Sedente eo pro Tribunali accessit uxor cujuspiam prostitutæ mentis viri, ignara quid cum eo ageret. Me miseram

exululat, quæ talem nacta sum maritum, qui nec DEUM timeat, nec homines revereatur. Multus in popina, rarissimus in templo est. Domus suæ nullam rationem habet, furit, sævit, fulminat, debacchatur, & jam memet, jam prolem jam familiam diris incessit. Foris cothurno strepit tragico, aliosque obliquato despicit obtutu, convitiatur, lacessit, nec *est qui arguat coram eo.* Job. 11. 32. Absente eo effutire audent multa, præsente autem eodem nec mutire. Quid agam? *Quis arguet coram eo viam ejus, & quæ fecit quis reddat ei?*

Eadem etiamnum agente accessit maritus alterius, & in Consortem suam multò acerbiùs invehi cœpit: Dei pœnam agnosco ô vir sapientissime in uxore mea. Leoni ac Draconi commorari placeret, quam illi. Truculenti equidem illi sunt, sed infra sævitiam uxoris meæ. Exuperat ingenium ipsius Leones, & Dracones; diu noctuque admordere me dente venenato non cessat; calumnias, quas in me evomit, non aliunde quam è spuma Cerberi Avernalis traxisse autumo. Vel illam ipsammet Furiam unam esse, & ex profundo Orci antro ad thorum meum proreptasse. Mallem profecto tot anguibus, quot crines nutrit in capite, impeti; quam morsibus ipsius laniari. Si verbum quodpiam egurgito, millena fulmina rependit &c. *Quis arguet coram ea viam ejus?* Me sensus, ratio, vires, viæ omnes destituunt.

Quid ad hæc Jobus noster? Quid consilii deprompsit? Unicum ait superest ô bone vir, ac uxor remedium, ut nimirum eis ob oculis statuatis Libitinam. *Ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum evigilabit.* Esto sit emancipatus ad quævis dedecora vir tuus, ut quodvis oblatum despuat consilium, sit sacri laticis immemor, sanguinis Christi inæstimabile pretium susque deque habeat, pedibus Evangelii legem proculcet, dorsum vertat Ecclesiæ in cujus gremio vivit; esto spem gloriæ, in quam vocatus, deposuerit, jamque ut sapiens loquitur, cum inferno pactum iniverit, *In congerie mortuorum evigilabit.* Esto sit ex cœtu illorum, qui in publicum prodire nequeunt citra scandalum, aut verbum proferre citra blasphemiam; aut tractare negotium citra injustitiam, aut obtutum figere citra lasciviam, aut ingredi templum sine sacrilegio, aut pedem movere sine Numinis offensa. *Ad sepulchra ducetur* &c. Solius Lachesis falce rescindentur vitia omnia; evigilabit ad tacitum illius silentium, qui inter stentoreos admonitionum ululatus obdormierat. In Pythagoram mortem accipiet, qui viventium despexit magisterium. Doceri se sinet in gymnasio sepulchri, qui disciplinam omnem explosit Academiæ. Informabitur ad pietatem intra tenebras, qui inter splendores Evangelii discere recusavit. Expugnabitur exesis cadaverum ossibus, qui nullius cedere noverat potestati. *Ad sepulchra* &c.

Impius mortis recordationem respiscit.

Utinam, ô utinam hanc scholam frequentarent illi, qui ignobile ævum per quævis enormia vitia emetiuntur, procul dubio ad meliorem sese frugem reciperent! Utinam illi qui horas integras ad crystallini sui Consiliarii aras excubant, hoc speculo uterentur, mores suos sanctiùs efformarent. Utinam

alii

alii usurarii, arrogantes, asotii idem consilium sequerentur meliori & ipsi vitæ redonarentur, & si vel Lemuribus inferni antehac persimiles extiterint rationes suas ac statum religiosiùs componerent.

Diaboli mores diversi.

X. Duorum Lemurum Avernalium sibi è diametro oppositorum alios inter fit mentio in sacris literis. Unius superbissimi, & arrogantissimi, qui ausus est tentare Reparatorem salutis nostræ in eremo; & sollicitare ad homagium sibi exhibendum: *Hæc omnia tibi dabo,* *Matth. 4.* *si cadens adoraveris me.* Alterius autem modesti, ac reverentis qui videns Christum à longè venientem ivit obviam illi, & proximus factus devotissimè ad- *Marci 5.* oravit: Videns *IESVM à longe cucurrit, & adoravit.*

Quis per Deũ hunc Diabolũ ad reverentiam faciendã filio Dei inflexit? quis informavit? quis Magister extitit? Liquet sane præfractissimos hos esse Genios. Compertũ æternis à Deo odiis esse divisos, & malle millies gehennam perpeti, quam tumorem deponere. Quis ergo hunc edocuit? quis edomuit obstinatam indolem? in qua schola mores tam urbanos, & Christo debitos profiteri didicit? Audiamus Evangelium: *Domicilium habebat in monumento.* Diu noctuque morabatur in sepulchris, & cum emortuis conversabatur. Ab his edoctus est tantam observantiam, ex imaginatione continua mortis tantus Politicus evasit. Ergo si tantum vel ipse Orcus sub hac Pœdagoga profecit, minusque sperandum erit ab homine, eoque Christiano, & fideli?

XI. Ego replicat hic quispiam sæpenumero de morte cogito, imo nemo est, cui non vel invito ingerantur horridæ illius imagines. Vix dies effluit, quo non pulsentur campanæ pro manibus; vix hora, quâ non auditur quispiam hic, aut alibi sublatus. Inter mortes, & mortibus vivimus, & tamen pluribus id parum ad correptionem conducit, nec ullum vivendi licentiæ convitium faciunt, nec è teporis sandapila una mecum exurgunt. Ergo præfata Magistra tanti neutiquam habenda, ut jactatur.

Ajo ita revera esse; verum non in Informatrice, sed in discipulis vitium est. Hi enim non nisi superficie tenus de morte cogitant, & perinde ac si ad illos nequaquam pertineret. Haud dispari ratione, quam si quispiam inscriptionem Epistolæ alteri credendæ legat, nec coperit, sed remittit; ipsi cum mortis icone procedunt. Vident vicinum mori, & dicunt Titius nobis valedixit: Requiescat in pace. Vel si forsitan bilem in eum coquant: Requiescat in pice; & in se nullatenus descendunt.

XII. Nabuchodonozor per somnium vidit arborem excindi, (in quo ipse adumbrabatur) *cujus aspectus ad ter-* *Dan. 4. 7.* *minos universæ terræ, folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius.* Vix autem evigilaverat, & somnus fugerat ab eo, in tantum, ut opus fuerit, somnium illius divinare. Æqua ratione permulti mortem veluti somniando respiciunt, & mox obliterant. Vel si forsitan ad cor demittunt, mox ingruente diversarum curarum turba ad alia deflectunt. Consilium autem Spiritus S. est, ut non obiter, aut in uno duntaxat opere memores illius simus, sed omnibus: *In*

omnibus

omnibus operibus tuis, ait, *memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.*
Eccl. 7.40. Una cogitatio modicum forsitan præstabit, at repetita profundiùs radices aget. Una calvaria non percellet, percellent multæ. *In omnibus* &c. Quotiescunque sese offert peccandi occasio, mortem, exitum animæ, instans districtissimum judicium occurrat, & desistes ab opere perverso. Mors sit nobis veluti clavus, quo navim animæ nostræ ne exorbitet, ad portum æternitatis dirigamus. Sit pœdagogus qui semper ob oculos versetur, agenda dirigat, male acta castiget, in lubrico fulciat, in omnibus manuducat. Sit Philosophia nostra mortis meditatio, quâ animum à terrenis avocemus, & ad futura ac cœlestia dirigamus. Cum respiramus, Consule Mercurio, in signum regressus animæ seu in memoriam exspirationis ejus, toties meminerimus mortis si fieri potest, quatenus per mortem ductricem vita potiamur æterna, Gratia tua Christe JESU. Amen.

CON-

CONCIO XLV.

IN DOMINICA XVI. POST PENT.

Et ipsi observabant eum.

Luc. 12.

ARGUMENTUM.

Pharisæi Observantes in ordinem redacti.

I. INter alios sacerrimos Ordines, in Ecclesia DEI, non est minùs nomine, quàm sanctimoniâ celeberrimus est Fratrum de Observantia nuncupatus. A. Horum finis specialis est, statuta Ordinis seu ad amussim observare, nec vel latum unguem ab iis discedere.

In hodierno Evangelio audivimus alios quosdam ejusdem agnominis, sed prioribus toto cælo diversos; nec tam servandis legibus, quàm convellendis, aut temerè carpendis intentos. *Et ipsi observabant eum.* Et illorum quidem definitus est numerus, horum autem plena sunt omnia. Vix enim quisquam est, qui hoc errore judicii non teneatur. Vix est, qui indiscretô zelô alios non notet, accuset, judicet, intra se condemnet. Servus conservum, immo & Dominum, filius patrem, filia matrem, maritus uxorem, uxor maritum, subditi principem, & magistratum, sæcularis spiritualem, spiritualis sæcularem, ad judicii sui tribunal, idque aut levitate ingenii, aut linguæ lasciviâ, aut nocendi libidine evocat. Nam quemadmodum vix fieri potest, quin identidem sensibus nostris ad vitæ commoda percipienda frænos laxemus; ita etiam evenit, ut per emancipatas oculorum, auriumque custodias, vel obluctanti animo alienæ vitæ sese ingerant imagines, quibus læva mens identidem atrum adjicere cõsuevit calculum. Ne itaq; ejusmodi Observantes, Pharisaico imbuti fascinô, nimiũ

licentiosè in proximorum taxandam ferantur vitam, aut crisi temeraria alios perstringant, in meliorem eos statutis firmissimis ordinem redigere decrevi. Verget id ad majorem Dei Optimi Maximi Gloriam, morúmque nostrorum emendationem.

PARTITIO.

QUum prima ordinis hujus labefactatio ab linguæ, judiciíque petulantia redundet, id unicè ab hujuscemodi Criticis concupio, ut cum Jeremia Vate, (quanquam aliô sensu,) dicere queant, A, A, A, nescio loqui. A nimirum Arioforum, A Araneorum, A Arithmeticorum. Elucido memet, & ajo: Vellem, ne sint in judiciis de aliis ferendis Arioli, Aranei, Arithmetici. Hoc trialpha illis bigis, trigísque vitandum moneo.

§. I.

Auguria in judiciis nostris cavenda.

II. PRimùm efflagito, ne in judiciis de aliorum moribus concipiendis inveniantur Arioli.

Iudicia nostra aliena sint ab auguriis.

Perhibent Historiographi, diversissimos apud Romanos extitisse Divinos, quorum alii ex ventis, tempestatibus, casibus fortuitis omina; alii ex avium inspectione, eorum motu, aut esu, auspicia; alii ex extis immolatorum pecudum auguria desumebant.

Quid verò aliud faciunt perversi Observantes? Numquid non & ipsi ex somniis suis, ex occursu proximi, ex eorum successibus vanissimo ariolantur Tripode? Numquid non item auspicia exercent ex eorum motu, incessu, vestitu? Numquid non ad extispicinam, gastromantiam, onychomantiam usque licentiosissimè progrediuntur, & cordis fibras rimantur, exenterant, eviscerant? Quidquid sibi imaginantur, aut phantasiâ suâ concipiunt, id definiunt reapse ita se habere, nullô habitô judicii sui stabili fundamento.

Iudex temerarius in Deum perduellis.

Quotquot ejusmodi sunt illi haud seeus, ac quondam filius peccati, ac perditionis, Tribunal Christi sibi arrogant; cum Lucipero jurisdictionem divinam invadunt, & assistente sibi livore, ac odio, alios etiam summè innoxios ad suum citant judicium, illorum nævos consona virgula perstringunt, aut etiam ferale theta in eos pronuntiant, & gehennæ addicunt incendiis. Nam cùm lethale crimen quempiam commisisse definiunt, idque ex solis cordium arcanis, & sapientiæ Dei immensæ reservatis, pronuntiant, quid aliud attentant, quàm quod Filio DEI, immò toti sacratissimæ Triadi proprium?

Ioan. Cluniac. serm. 43.

Notavit id Magnus Doctor, & Eccleśiastes Joannes Cluniacensis, cùm diceret: *In Deum peccant,* (qui temerè judicant,) *quia appropriant sanctissimæ Trinitati usurpant. Primò de temporibus, quæ Pater posuit in sua potestate. Regulariter enim faciunt, de præsenti præteritum vel futurum. Secundò sapientiam Filii Dei usurpant, cujus solius est, de occultis judicare. Tertiò contra clementiam DEI peccant, cùm judicant repro-*

reprobos, quos ille ſalvare decrevit. Temporum, inquam, notitiam ſibi arrogant, quum quempiam, vel nunc ſceleribus coinquinatum decernunt, qui illa veræ pœnitentiæ operibus jam obliteravit; vel poſthæc inquinandum ominantur, qui animum pluſquam adamantinô propoſitô contra omne peccatum obfirmavit. Filii ſapientiam ejusque munus invadunt, cùm de ſecretis, illi ſoli cognitis, ſententiam ferunt. Spiritus S. benignitatem imprimis violant, quum eos inter reprobos calculant, quos ille in libro vitæ inſcriptos habet.

Iudicans temerè. Dei providentia privatus. Lanc. Opuſc. 19. c. 1. n. 4.

III. Id quondam exprobraſſe accepimus Aſſertorem noſtrum cuidam veterano Eremicolæ. Hic cùm à fratre juniore viſitatus eſſet; inter alia de quopiam minùs probatæ virtutis ſciſcitari auſus eſt, num etiamnum more ſibi ſolito exorbitet, aut ceſpitet in via perfectionis? Quo aſſentiente, quum ſenex admirabundus exclamaſſet, Off; illico in extaſim raptus, vidit ſe coram Chriſto in monte Calvariæ, in medio latronum confixo conſiſtere; cùmque ad eum adorandum accedere vellet, vidit averſo vultu ad Angelum adſtantem converſum, audivitque imperantem illi: *Ejice hunc foràs, quia Anti-Chriſtus mihi eſt.* Indignus eſt lateri meo adſtare, qui mecum non eſt, immo contra me eſt. Illo autem hærente, undenam hi furores in caput ſuum devoluti, ſubjecit idem: *Priuſquam ego judicem, ipſe fratrem ſuum judicavit.* Ipſe me ſolio meo judiciario deturbat, ipſe faſces mihi extorquet, ipſe, quos ſalvare conſtitui, ſacrilego auſu fulminat. *Ejice hunc foràs, quia Anti-Chriſtus mihi eſt.* Deturbatus itaque ab Angelo, ſenſit pallium in janua hæſiſſe, illamque illico obſeratam, & ſe hac ratione divinâ protectione privatum. Evigilans itaque ex ſomno, & extaſi, & conſiderans, quæ contigerant, altùm ingemuit, dicens: *Infauſta mihi hæc dies.* Utinam priùs memet condemnaſſem, quàm in fratris mei mores taxandos deſcendiſſem. Ecce enim, quòd temeritate lapſus ſum, vidi Dominum, tanquam ab Anti-Chriſto ſuo averſum, & pallio meo, id eſt, protectione Dei ſingulari, qua fruebar, orbatum. Eapropter à conſortio omni mortalium ſequeſtratus, ſeptennium integrum in vaſta eremo, panem non guſtans, nec tectum ſubiens, tranſduxit in pœnitentia, quoad iterum Chriſtum in monte Calvariæ videre, palliúmque recipere mereretur. Eheu! quid nobis non timendum, qui non ſemel, nec in rebus prope notoriis, ſed identidem in occultis alios criſi noſtræ ſubjicimus! Quantò magis ſuam à nobis ſubtrahet protectionem, gratiarúmque ſuarum ſiſtet cataractas, niſi ex hoc tribunali devoluti, plantis ipſius adſternamur! Quantò acerbiùs in nos deſæviet, niſi temeritatem noſtram dignis expiare contenderimus ſingultibus!

IV. In hujuſmodi Obſervantes meritò detonat Doctor Gentium, quando eos non ſine ſulphure, & fulmine verborum alloquitur: *Tu, quis es, qui judicat alienum ſervum? Domino ſuo ſtat, aut cadit.* q. d. Quis es tu, ô homo, qui alium taxas? Nonne reus, & ipſemet judicandus? Nonne cœcus, & inhabilis ad diſcernen- *Rom. 14. 4*

ſcernendum colores in proximi fibris exaratis? Numquid Deum te facis, ad cujus tribunal omnes cauſæ, & perſonæ reducantur? Nonne vides tuo judicio te ſolum, tuaque facta ſubjacere? Quid ergo tui tuarumque rerum oblitus in alienis cauſis jus dicere non vereris? *Tu quis es, qui judicas alterum?* Dubitare de proximi virtute, citra evidens fundamentum iniquitas eſt, quanta jam cum definitivè in ipſum pronuntias? *Tu quis es?* Jura ligant manum, linguamve Judici, ne publicum homicidam extra ſuum tangat territorium; tu autem in Dei tui atrio invadere præſumis ſervum tibi cognatum? Non audet vir nobilis alienum ſervum judicio premere, minus autem ſibi æqualem quæſtionibus ſubjicere; & tu qua fronte hæredem cæli, cohæredem Chriſti, prædeſtinatum Dei filium iniquiſſima attentas damnare ſententia? *Tu quis es* &c. Si damnabitur, non per te damnabitur, aut cadet cauſa. Si abſolvetur, non utique per te abſolvetur, aut ſtabit erectus. Quid ergo ſiderate judicas, & in urnas Omnipotentis, quibus ipſe es obnoxius, involas? *Tu quis es, qui judicas* &c. Verè itaque ejuſmodi judicia Anti-Chriſtiana ac diabolica ſunt, timendumque ne ejuſmodi augures ut in culpa cum Lucipero; ita in pœna cum eodem participent.

***

§. II.

Aranearum virus in judiciis cavendum.

V. ALterum Obſervantibus declinandum eſt, ne Araneos imitentur. Hi quocunque ſe vertunt, venenum trahunt, ſit roſa, ſit lilium, ſit narciſſus, ſit quidvis aliud floridum, jucundum, odoriferum, ſit mel ipſum convertet illud in virorem, & fel amariſſimum. *Temerarii Judices araneiſimiles.*

Ingenium hoc araneorum plerique Obſervantes phariſaici æmulantur, quum non ea tantùm, quæ mali ſpeciem præſeferunt convitiantur; ſed in ea etiam, quæ benigniorem interpretationem vendicant, criſi iniquiſſima deſæviunt. Etenim ſi quiſpiam ſtudeat humilitati, dicunt hypocrita eſt; ſi recreatione ſeſe vegetet, diſſolutus, ſi patientiæ deditus, timidus eſt; ſi juſtitiæ, impatiens eſt; ſi ſimplicitati, fatuus eſt; ſi prudentiæ, malitioſus; ſi ſocietatis amans, ſæcularis; ſi religionis, ſingularis. Si inſtet virtutibus, & vigiliis, indiſcretus eſt, ſi dormit, ſomnolentus eſt &c.

Ejuſmodi araneus erat Heli ſummus Sacerdos Iſraëlitarum, qui obſervando afflictiſſimam illam Annam ſubinde Samuelis Vatis matrem ardentiſſimas preces lachrymis, immotis prope labiis, diſtinguentem, temulentam ſuſpicatus, corripuit: *Uſquequò tu ebria eris? digere pauliſper vinum, quo madet.* Digere ſenſim per ſoporem incubantem cerebro temulentiam, ut tibi reddita, ad orationem te recipias. 1. Reg. 1. v. 10.

Ita

Ita Judex temerarius, quum nec effusam in cachinnos, nec saltantem leviter, aut titubantem, aut vertigine concidentem vidisset, aut ullum verbum absonum audiisset, limphatam, & insanam habuit præ nimia crapula.

Ejusmodi aranei inventi amici Job (& utinam persimiles etiamnum proscripti sint) qui ut viderunt illum tantis exercitum ærumnis, omnibus bonis spoliatum, & plaga gravissima percussum à Deo, enormibus obnoxium peccatis esse judicarunt, ac de pauperum, viduarum, pupillorumque oppressione insimularunt, idque in faciem, ad incrementum doloris, eidem exprobrabant. Quos audiens ille meritò fabricatores mendaciorum esse denuntiavit: *Ostendam vos fabricatores mendacii, & cultores perversorum dogmatum.* Iob. 13. 4. Charissimi mei amici paralogismus vester, & discursus sophisticus est, & dolosus, ex quo tam absonam sequelam trahitis. Etsi enim non diffiteor me peccatorem, & acturus pœnitentiam in cinere sedeo, attamen non inde infertur, Deum alias ob causas non posse tentare alios, & eorum constantiam tanquam aurum in fornace periclitari. Deus enim omnem filium, quem recipit, castigat, & per aspera ac adversa suos ad palmas, ac coronas subvehit. *Ostendam vos fabricatores mendacii.*

Totila in judicando temeritas.

VI. Ejusmodi Araneus Totila Rex, qui cùm Cassium Narniensem Episcopum, facie rubicunda purpuratum, conspexisset, tanquam Libero Patri liberius litantem despexit; perinde ac si vel ex succenso hepate, vel aliunde purpura provocata faciem non insideret. Eapropter vindicante in servo Dominum, malignus spiritus spatharium ipsius invasit, nec ante vexare destitit, quoad sacro Præsuli oblatus, ejus precibus, & sanctimonia expulsus est, & rex saniora sapere edoctus.

Ejusmodi item Theodosius minor Arcadii frater., qui Eudoxiam Augustam consortem suam, ob pomum à se oblatum, & ab illa Paulino donatum, concepta de ea sinistra opinione, à societate thori semovit; Paulinum verò decumbentem eadem nocte, ut alii tradunt, occidit, aut ut nonnulli propugnant, in exilium deportari mandavit. *Item Theodosii.* *Causin. in Aula S. Theodosii.*

Ejusmodi uxor illa, quæ ex eo, quòd notaret maritum suum Psalmum *Miserere* sæpiuscule decurrere, intulit eum, perinde ac David adulterum esse, & toties thori fidem violasse; quoties ejusdem Psalmum, ad expiandum dignè adulterii crimen, ab eo concinnatum, iterasset.

Ejusmodi Aranei imprimis hodierni Pharisæi, qui haud secus ac ille Galilæus à Galilæis Florentinus in sole umbras, ac deliquia observasse se jactitant. Nam quamvis lux ille mundi ac Sol justitiæ insignibus, & inauditis ab orbe condito prodigiis sua dicta, factaque obfirmaret, tot illa tamen obfuscabant calumniis, tamque infamibus devenustabant nominibus; ut judicium, quod ex humili ejus statu formaverant; præponderaret his omnibus, quæ ab eo magnificè, ac gloriosè fiebant. Proinde sive dæmonia ejiceret, sive languores curaret, sive aliud quidpiam factitaret, non verebantur malitiosissimam appendicem attexere, aut non esse ex Deo, aut arte Necromantica patrata.

Ejusmodi omnes alii, qui ex uno intuitu, ex uno annutu, ex una visitatione, ex dubiis falsissimisque indiciis, consequentiam vitiosissimam deducunt; & non rarò cum iisdem iliadem malorum sibi accersunt.

VII. Et hoc venenum aliud non est, quàm diabolicum, quàm à serpente antiquo haustum. Hic quoquò se vertit, hoc virus effundit.

Iudicia temeraria diabolica.

Venit primùm ad Proto-Parentes nostros, & ut eos falleret, mandatum Domini de non mandendo pomo vetito malesana interpretatione subvertere est aggressus: Nam cùm audisset Evam dicentem: *De fructu ligni, quod est in medio paradysi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur.* Reposuit illico Serpens: *Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quòd in quocunque die comederitis, ex eo eritis, sicut Dii, scientes bonum, & malum.* q. d. Novi ego Dominum, novi intentiones ipsius. Corrivalem ille non patitur, ideo livore ductus, præcepit vobis, ne comederetis; ne forte ipsius esu illuminati, in apotheosim referamini. *Scit enim Deus* &c. Ita Deum ipsum, ipsiusque sanctissimas intentiones taxare non est veritus.

Gen. 2. 3.

Ibid. v. 4.

Comparuit rursus coram Domino, & jam hominem ipsum eumque sanctissimum traducere est aggressus. Quæsitus num nosset Job, quòd non esset ei similis in terra, homo justus, rectus, ac timens Deum; regessit extemplo: *Numquid Job frustra timet Deum?* Persuasum quis haberet, hunc sanctulum vera solidaque virtute niti; ex animo mandata tua exequi, sola spectare cælestia, nec ullis adversis à te Deo suo avertendum; sed extende quæso paululum manum tuam, nisi in faciem benedixerit tibi. Tunc deprehendes, quid lateat sub hoc peplo virtutis, quàm personata sint omnia, quàm futili nixa fundamento. Nec opus erit, ut eum seces, aut uras, tange duntaxat ea, quæ possidet, digito minimo, & illico coloratam ipsius comperies probitatem. Extende paululum. Quamdiu arridet æther, favent amici, blanditur fortuna, vigent sensus, exulat omne, quod vel cor exedat, vel mentem lancinet, vel corpus excruciat, facile est virtuosum, ac probum esse: *sed extende paululum,* detrahe larvam bonorum, & actutum apparebit, quantum sub illa lateat malorum. Videbis quòd neutiquam ad usum Domini substantiam possideat, sed ad usum substantiæ Dominum colat.

Iob. 1.

VIII. Verùm ut ille falsus est, & ex mero livore virtutem viri sanctissimi, ac fortissimi denigrare nitebatur, ita & ipsius sectatores hallucinantur, & piceatam, ac diabolicam mentem suam manifestam faciunt.

Iudicia temeraria cavenda.

Hos meritò, & prudentissimè corripit Mellifluus, quando in fratribus suis ad mella potius cum apibus, quàm ad toxica cum araneis colligenda invitat, dicens: *Cave alienæ conversationis esse, aut curiosus explorator, aut temerarius judex. Etsi perperam actum quid deprehendas, nec sic judices proximum, magis autem excusa.* Excusa intentionem, si opus non potes, putà ignorantiam, putà subreptionem, putà casum.

Bern. serm. in Cant.

Quòd

Quòd si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, & dicito apud temetipsum, vehemens fuit tentatio. Quid de me illa feciſſet, si in me similiter accepiſſet potestatem. Verbo esto apis, non araneus, mella non fella, non toxica legas. Elogium id apis est: *Sugit non destruit; legit non lædit; visitat, non vitiat.* Invenit illa hortum variis consitum floribus, ibi amarum stabit absynthium, inibi urentes florebunt urticæ, alibi venenata serpent germina, colocynthidæ, lappæ, melantium; ex alia parte stabunt violæ, Centauria, Lilia, Rosæ Mileſiæ, Amaranthi, aliave florum gratioſiſſimorum genera vultum suum deducent, ex quibus omnibus apicula favum suum conficit. Etsi sederit in urtica, in melantio, etsi in aliis venenatis hordis, ignorat, quid sit amaritudo, quid toxicum, legit non lædit, visitat non vitiat, mel non fel extrahit.

Idipsum fac ex Carduo, ex Amarantho, virturum mella lege. Vivant ut velint nonnulli spiritualium, quid ad te sæcularis? Tu non es redditurus rationem pro ipsis, *Quæcunque dixerint tibi, facito, secundùm verò opera illorum, nolito facere.* Non satisfaciunt officio suo Superiores, quid ad vos nectaris artifices subditi? *Unusquisque onus suum portabit.* Quod bonum est, id à vobis sugendum, quod perversum, relinquendum. Non placent tibi mores proximi tui, videlicet vides festucam in oculo fratris tui, & forsitan trabem (peccatum gravius) in oculo tuo non vides, *Ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Tunc judica de altero, quum non inveneris, quod in te ipso condemnes. Tunc judica, cùm eadem non agis, quæ in aliis censueris castiganda, ne dum de alio judicas, contra te ipsum decernas. *Esto apis non araneus.*

Matt. 23. v. 2.

Matt. 7. 5.

§. III.

Arithmetica in judiciis amandanda.

IX. REstat tertium A. Observantibus declinandum, videlicet ne sint Arithmetici. Hujus scientiæ proprium est: Numerare, addere, multiplicare, dividere, subtrahere. Et quid temerarii Rhadamanti non faciunt? Numerant nullitates, Additiones coacervant in immensum, ut vel ex culice elephantem, ex pulviſculo montem, de verruca alpes construant. Quandoque vitium unum multiplicant, & eidem assuetudinem affricant. Hinc audimus eos, identidem criminantes verbis indefinitis: Hic furcifer, lavernio, sycophanta, bovinator, compactum ex malitia monstrum, titio sulphureæ fornacis, & similibus.

In judiciis cavenda Arithmetica.

X. Scribitur in Olympia Græciæ urbe turrim eo artificio constructam, ut in eo verbum unicum altiore sono prolatum, septies replicetur, unde & hephtaphonon dicta. Concolores huic machinæ Æaci illi nefarii, qui ex uno filo fusum texunt, unitati decadem, decadi centuriam affingunt.

Pausan. in Olymp.

Exemplum, seu parabola potiùs, extat in libro secundo Regum, ubi posteaquam

quam occisus esset Ammon à servis Absolon, ait Scriptura: *Fama pervenit ad*
2.Reg.13. *David, dicens: percussit Absolon omnes filios regis, & non remansit ex eis saltem unus.* Ita si quando Sathanas per Absolon figuratus necet unum, vel alterum filium Regis, filii Dei, unum de religione, de familia quapiam, fama increbescit temeritate judicii & linguarum, necasse omnes. Si audiatur unus formices frequentasse, vel quidpiam aliud absurdi patrasse, jam omnes habentur complices, aut obnoxii; & quemadmodum judicant, ita sententiam latam tanquam judices iniqui publicant: *Percussit Absolon omnes filios regis, & non remansit ex eis saltem unus.* Ex morte unius pestem omnium inferunt; ob unius laxiorem vitam, sub eadem censura universi decuriantur. Cùm nihil proprii possideant; isti Sophistæ, isti perfidi Arithmetici, volunt ut etjam peccata in commune possideant, sicut victum & vestitum, & ut habent victum in commune, ita & vitium; vel quia versantur in eodem statu, aut ordine etiam in eodem errore comprehendi.

Item subtractio. XI. Subtrahunt denique quum nec pilum boni viri in aliquo relinquunt, & quidquid virtutis, honestatis, commendationis, in eo inventum fuerit, perversum eunt.

Hi quicunque ii sunt, sciant, quantum exaggerant, & multiplicant, dividunt, numerant aliorum culpam; tantumdem etiam sibi condensare eos, aggravare, ac amplificare pœnam. Vero
Matt.7.2. verius est, quod ait Assertor noster: *In quo judicio judicaveritis, judicabimini.* Si mitiùs, ac clementiùs in meliorem partem interpretati fueritis aliorum mores, etiam benigniorem calculum obtinebitis de actionibus vestris. Sin autem severiùs in eos decreveritis, gravior itidem vexatio vos manet, & in quibus alios condemnastis, eorum scelerum vos reos convincet. Etsi enim iisdem vitiis conscelerati non fueritis, tamen eadem pœna plectemini, acsi hoc scelus commisissetis.

Judices temerarii inexcusabiles. Rom.2.1. XII. Si forte manticam quæsieris, si excusationem intexere adnisus, obsistet Assessor Judicii tremendi Paulus, & decernet: *Inexcusabilis es ô homo omnis, qui judicas alterum. In quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas. Eadem enim agis, quæ judicas.* Quidquid adduxeris refelletur, quidquid in te virtutis fuerit, hoc uno scelere obliterabitur; ut alterum condemnasti, ita pariter condemnaberis.

Pharisæus in templo cur damnatus. XIII. S. Dorotheus quæstionem proponit de causis Pharisæi sese propalam in templo jactantis, quænam illarum princeps fuerit, intuitu cujus ille damnationis decretum sub it? An nimirum quòd gratias egerit? Non utique. Necessarium enim est Deo, tanquam Authori principali opera bona adscribere, se verò servum inutilem judicare, non sibi ipsi, sed soli Deo gloriam referre. Cùm ergo principio orationis Deo gratias agendo, bona omnia, quæ in se gloriabatur, divinæ gratiæ adscripserit, & quòd in ea non lapsus fuerit peccata, in quæ cæteri hominum, illi in acceptis retulerit, quòd item jejunaverit, eleemosynas erogaverit, non utique eapropter damnatus est. *Sacrificium enim*

Psal. 49. *enim laudis honorificat eum*, & gratiæ semper gratissimæ illi.

Ut quid igitur acceptum non fuit illius sacrificium, quum illud obtulerit recognoscens Deum, ut omnium, quæ in se habebat bonorum dispensatorem, & illi gratias retulerit, quòd in multa alia non proruisset scelera, sed in variis pietatis operibus se exercuisset; *Non ex hoc*, inquit B. Dorotheus, *à Domino judicatus est, quòd se purum à rapinis affirmaverit, neque quòd dixerit, ut cæteri homines, sed ob hoc, quia ad publicanum conversus: Neque inquit ut hic publicanus. Tunc enim judicatus est, tum actum est ejus væ.* Tam enim grave tamque enorme peccatum est, aliquem lethalis criminis insimulare citra fundamentum evidens, ut qui hoc facit, etsi aliis peccatis subditus non sit, urnis districtissimis obnoxius sit.

B. Doroth. doct. 6. t. 2. Bibl. PP.

XIIII. Proinde sacrosanctè monet Dominus: *Nolite judicare & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini.* Nolite esse Arithmetici, ne rationes vestras augeatis, & damnationem vestram ex aliorum crisi certionem reddatis. *Nolite judicare.*

Matt. 7. 1. Luc. 6. 37.

Hanc doctrinam se didicisse testatur in gymnasio Dei sui Vates regius toto vitæ suæ tempore: *Deus docuisti me à juventute mea, & usque nunc.* Nam si ab eo quæsiverimus, quid tot annorum periodis didicerit? reponet hoc à Deo præceptore se percepisse, ne rationes aliorum exigeret; & hoc sibi esse indicium, & testimonium infallibile beatitudinis: *Quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentias Domini.* Quam literaturam? Numquid David tam rudis erat, qui sapientissimus habebatur inter tres, qui in Poësi plusquam Homerus, in Oratione plusquam Demosthenes, in judiciis ferendis plusquam Cato semper est habitus. Quam ergo literaturam ignoravit? S. Augustinus vertit *negotiationem.* Alii *numerum.* Alii *Arithmeticum.* Quia David numerum, quia arithmeticam ignoravit, quia aliorum dicta factaque non multiplicavit, nihil addidit, nihil famæ subtraxit, nihil denique numeravit, sibi pollicetur bonum decretum à Domino & futuram felicitatem. *Quoniam non cognovi numerum, introibo in potentias Domini. Domine memorabor justitiæ tuæ solius.* Hæc à Domino prima illi lectio præscripta, ne rationes aliorum iniret, ne dijudicaret, quòd tantum hîc pro peccato suo debeat, & tantum ratione illius inflicturus sit Deus supplicium; alter vero tantum pro gloria Dei laboravit, illique sit salus, vitaque sempiterna remetienda. Has rationes ignoravit David, & ideo si quidpiam incideret taxandum, circam fortunam, vel infortunium aliorum, circa prospera & adversa, sanitatem ac ægritudinem, mores ac vitam, solum perpendebat Deum judicem esse, nec facere ulli injuriam: *Domine memorabor justitiæ tuæ solius.*

Psal. 101. v. 17.

Idipsum ego præscribo, idem moneo Observantes perversos, ne sint Arithmetici, ne sint Arioli, ne sint Aranei, se judicent, suos mores damnent, alios, quantum in se, absolvant, Deo soli judicandos committant. Id nobis largiatur Christus JESUS Judex vivorum, ac mortuorum.

Amen.

CONCIO XLVI.

IN DOMINICA XVII. POST PENT.

Diliges Dominum Deum tuum.

Matth. 22.

ARGUMENTUM.

Alimenta amori divino sufficiuntur.

Finis hominis amor Dei.

I. FInis ultimus, ac consummata beatitudo hominis est, amare Deum. Aud. Quemadmodum enim ille ipse solo vivit amore, operatur amore, & beatus est amore sui ipsius: eadem ratione anima ad imaginem Dei condita, non alio fine vivat necesse est, quàm ut amet Deum, operetur amore Dei, & ejus solo amore se beatum censeat. Et licèt beatitas illa summa, ut optimi quique Theologorum sentiunt, consistat primariò in visione Dei, seu in intellectu, qui est facultas apprehendens, & quasi trahens ad se, & possidens ipsum Deum: attamen ut est status perfectæ, absolutæque felicitatis, etiam in amore, ac fruitione delectabili, quæ voluntatis est, consistit. Si itaque Numen optimum corpus nostrum efformavit, efformavit ad se amandum; si animam inspiravit, inspiravit ad se amandum; si intellectu, & voluntate ditavit, fecit ut cognoscamus, & amemus illum. Unde jure suo in hodierno Evangelio imperat: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis.* Eò contende, ut cælestis amor semper possideat cor tuum, possideat animam tuam, possideat corpus tuum; ut omnis tui motus, & affectus, solus sanctus amor sit principium, & finis. *Diliges Dominum Deum tuum,* &c. Quoniam verò vis hujus divini amoris facilè in nobis tepescit, ac langueſcit, suffi-

sufficiam eidem alimenta, quibus increscat, vegetetur, & adolescat. Ad majorem Dei optimi gloriam.

PARTITIO.

ALimenta, quæ ad divinum in nobis alendum amorem propono, alia non sunt, quàm ea, quæ ipse Dominus noster in mandato suo attigit, dicens: *Diliges Dominum Deum tuum.* Quod sanè mihi idem sonare videtur, ac diliges, quia Dominus est; diliges, quia Deus est; diliges, quia tuus est. Hæ sunt epulæ, seu missus abundantissimi æquè, ac delicatissimi, ita ut si iis fruamur, pinguedinem nobis dilectionis jure polliceri possimus.

§. I.

Primum dilectionis motivum, quia Dominus.

Primum amoris divini motivum.

II. PRimum amoris divini motivum, seu pabulum alendo foco entheo aptissimum est, quòd sit Dominus. *Diliges* DOMINUM. Quid autem est hoc?

Domini derivatio.

Politici nonnulli, ut taxent in verbo ipso tenacitatem, ac avaritiam quorundam Summatum, dividunt in Latino idiomate vocabulum, & volunt, quòd idem sit, ac *Do minus*; perinde ac si dominorum terrestrium proprietas sit, multa polliceri; parum, aut minus præstare; vel etiam, si quid in pios usus erogandum, multò minus, quàm pauper conferre. Conveniunt cum famulis de magno stipendio, seu mercede, authorando eos ad sua servitia; sed evolutô anni spatiô, emancipando eos, vel ob ollulas fractas, vel scopas plures attritas; vel aliam levem ob causam defalcant eandem. Sericeas stipulantur vestes, & vix laneas, easque aut laceras, aut crassas dependunt.

Dominorum parcitas, & egestas.

Si quidpiam dandum pauperibus, aut in pios usus conferendum, plus sæpenumerò una elargitur vetula, quàm Dominus. *Do minus.*

Aderat nonnunquam sequester meus oblationibus in templo Jerosolymitano institutis, idque à Principibus, Pharisæis, & Optimatibus populi. Quis hîc non putasset, illos plurimum contulisse, & omni turbæ præripuisse palmam. At audite, quid oraculo suo elocutus sit Dominus: *Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper, plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium.* Una misera vidua, quidquid habuit substantiæ, Domino Deo suo consecravit. Idem etiamnum sæpè evenit, plus offert rusticellus, quàm Dominus; plus ancilla dedicat, quàm Domina. *Do minus.*

Mar. 12. v. 42.

Eorundem asperitas.

III. Alii, ut sugillent Dominorum quorundam asperiores mores, ominantur idem sonare vocabulum *Dominus*, quod DO MINAS. Agnata enim crudelitas, & asperitas nimia Summatibus est, nihilque procliviùs illis est, quàm torvam supercilii nubem in fulgurita arcuare; nihil solemniùs, quàm fustes, scorpiones, gladios intentare, nihil frequentiùs, quàm jurare, & pejerare, v.g. curabo hunc fustuari rusticum, dissuam illi os, internecioni dabo, & similia terriculamenta adducere. Unde olim ob crudelitatem suam Optimates vulgò Tyranni dicti sunt, & illis illud lemma

adscriptum : *Procul à Jove, procul à fulmine.*

III. Nostri Poloni Dominum indigitant *Pan*, forsitan ex Græco PAN, quod significat omne, quasi Dominus omnibus abundet; sive à Pan Poëtarum idolo, quod universæ præesse naturæ commenti sunt; quasi Domini in omnia dominarentur. Verùm, si supellectilem eorum excutiamus, nusquam majorem, quàm apud eorum plerosque lacunam deprehendemus.

Dominorũ terrestriũ defectus.

Dominus noster, cùm postremum triumphum adornare Jerosolymam instituisset, expedivit suos, ad conducendum asellum, discipulos, dixitque eis: *Si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet.* Fallit me, qua de causa hîc se Dominum, & non ut aliàs Magistrum nuncupaverit. Si tamen cõjicere fas est, ajo, non aliô consiliô factũ, quàm ut ostenderet, terrenos Dominos pluribus laborare defectibus. Vix dominium indipiscuntur, & illico auditur: *Dominus opus habet.* Indiget meliore panno, meliore byssо, meliore cibo; opus habet equis Turcicis, Neapolitanis, Ungaricis, famulitiũ exposcit insignius. *Dominus his opus habet.* Ita in aula quavis nihil frequentiùs à pedissequis, ephœbis, palatinis auditur, quàm *Dominus his opus habet.* Non sunt Pan, sed potiùs Comites de Noneſt, Barones de Modico, Domini de Indigentia. Nam cùm dominiũ suum ostentare affectant, egestatem suam manifestiorẽ reddunt.

Matt. 21. v. 4.

Deus Pan verus.

IV. Domino non nisi supremo hic titulus competit. Ille in veritate Pan, à regio Psalte proclamatur: *Domini est terra, & plenitudo ejus, Orbis terrarum, & universi qui habitant in eo.* Hic Pan verus, cui applaudit Josue: *Dominus Deus universæ terræ.* Hic Pan verus, *cui militat æther, & conjurati veniunt ad classica venti*; qui Aquilonibus habenas ad cursum relaxat, liquores tenet nube suspensos, describit Oceano limites, universam terræ molem tribus digitis sustentat, & unico oris flatu, vel nictu oculi, vel nutu voluntatis levissimo cuncta pollet, momento unico, in chaos sui nihili revocare. Ipse est Pan verus, cui millia millium ministrant, & decies centena millia assistunt. Ipse est Pan, Rex gloriæ, & majestatis, sub quo principatus, ac potestates genua lunant, & columnæ universitatis contremiscunt.

Psal. 23. v. 1. 2.

Josue 5. 15

Claud.

Hic Dominus Ethymologiam suam non à *Dominus*, sed potiùs à *Do manus* desumit. Ille enim accurrit, & opitulatur derelictis, sublevat fessos, erigit pusillanimes, omnibus vires, ac robur sufficit. Ille est non *Dominus*, sed potiùs *Do munus.* Hujus enim liberalissimâ munificentiâ sumus, quidquid sumus. Hujus nos dextera ab æterni nihili extraxit cunabulis, in quibus cum aliis in infinitum possibilibus latuissemus. Ille nostrum efformavit corpus, inspiravit animam, lumen intellectus succendit; substravit se pedibus humum, diffudit maria, extendit nubes, condidit cælum; verbô, omnia in nos congessit naturæ commoda, eáque munificentia profudit, ut nihil videatur in cæleſti thesauro continere, quod homini non dispensaverit.

V. Atque vel hinc colligite, quantopere huic Domino obstricti simus, quibus amoris officiis eum prosequi debeamus,

beamus,

beamus, ut nos, hoſtráque omnia eidem devovere obligati.

Sacratiſſimum illud Vas Electionis, S. Paulus Apoſtolus à famulitio carnalium dominorum expoſtulat, ut bona voluntate, & affectu, non ad oculum, ſed ex animo, ſeu ex amore illis ancillentur. *Servi, obedite dominis carnalibus in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto, non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſervientes ſicut Domino.* Tantam ille obſervantiam, tantum affectum exigit à vernaculis erga Dominos, qui dant minus; erga dominos auſteros & minaces, erga dominos egentes, & defectuoſos; quantum itaque Domino dominorum exhiberi à nobis par non eſt? quanto intenſiore affectu eidem ancillandum? quanto flagrantiore voluntate à nobis amandus, qui ut omnia ſibi habet ſubdita, ita liberaliſſimè diſpenſat, & æternis præmiis amorem noſtrum emercatur?

Eph. 6. 5.

VI. Epicurus tametſi voluptatum aucupandarum ſtudio efferatus, omnique prope exutus humanitatis ſenſu, & rerum divinarum in tantum ignarus, ut Dei providentia mundum adminiſtrari inficiaretur, res tamen ad ejus cultum pertinentes accuratiſſimè ab hominibus accurari volebat, illúmque ab iis pro dignitate coli, & amari deberi, vel ideo confirmans, quòd eſſet ſupremus Dominus, prima præſtantiſſima, & pulcherrima natura. Senſit id homo propè Atheus, & idolis, ac voluptatibus carnis totus, quantus mancipatus. O nos ferreos, & ſilice concretos, qui ſublimiorem fidem nacti, amore erga ſupremam Majeſtatem non liqueſcimus! vel etiam minorem cultum, reverentiam, amorem, quàm ipſi Ethnici olim mutis ſimulachris, ac dœmoniis impendimus.

Epicurus qua de cauſa Deũ coli, & amari præcepit. Plut.

Vidit in extaſi quapiam Iſaias Vates Dominum ſedentem in throno; & ecce Seraphini, igne divino inflammati, *ſtabant ſupra illud*, altiſſima nimirum æſtimatione Dei, & humillima creaturarum ſublimati; *velabant* facies ſuas, propria nimirum confuſione, eò quòd non ita cognoſcerent, & amarent Dominum ſuum, ut cognoſci, & amari par eſt, & ille mereretur; & *volabant* ſancti amoris alis, laudando quem amabant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria ejus.* Et vilis homuncio, terræ vermiculus, periplema abjectiſſimum eidem Majeſtati ſtipendia facere, aut ſcintillam devotæ mentis conſecrare tergiverſabitur? Servus abjectiſſimus eundem Dictatorem non audiet? mediaſtinum unum alteri tyranno cor ſuum conſecrabit? Nonne hæc eſſet ingratitudo, perfidia, rebellio, vel ipſis Erebi incendiis expianda?

Iſa. 6. 3.

§. II.

Motivum alterum Amoris DEUS.

Amoris divini motivum alterum.

VI. ALterum motivum, ſeu pabulum in Evangelio hodierno, & mandato Domini appoſitum eſt, quia DEUS. Quod nomen, cùm variam pro cujuſvis gentis idiomate interpretationem admittat, elegantiſſimam, aptiſſimam, digniſſimamque

nos Germani tenemus; qui DEUM vocamus Gott/quasi Gutt; hoc est, per excellentiam bonum, seu omne bonum, seu omnis boni maximum.

Deus pelagus perfectionum.

In cæteris creaturis mica, seu vestigium quod piam bonitatis, ac perfectionis deprehenditur, quod facilè obliteratur, ac evanescit. In Deo, ut summo bono, veritas ipsa, & pelagus omnium delitiarum, ac perfectionum continetur. In eo eminenter, ac modo perfectissimo, omnis pulchritudo corporalis, & spiritualis, præsens, præterita, futura, possibilis, imaginabilis; in eo omnis sapientia præsens, præterita, futura, possibilis, superimaginabilis; in eo omnium rerum bonitas, essentiæ, substantiæ comprehenduntur. Ab ipso gemmarum nitor valorem, metalla pretium, horti amœnitatem, stellæ splendorem, animalia virtutem, dulcia dulcedinem, pulchra pulchritudinem demutuant; ab ipso viventia vitam fœnerantur; ab ipso vegetabilia motum, rationabilia intellectum participant. Semotâ illius claritate, omnis lux tenebræ, seclusâ ipsius sapientiâ, omnis doctrina error, sublatâ ipsius pulchritudine, omne pulchrum turpe, ac deforme, profligata ipsius bonitate, omne bonum vitiosum, aut nullum. DEUS enim est omnis boni bonum, sine quo nullum bonum, bonum.

Creatura quævis manca.

VIII. In creaturis omnibus est bonum aliquod, sed usque adeo invalidum, ut se solo sequestratis aliis nullatenus cor hominis exatiare valeat. Bonum est aurum, si adsint cætera, sed parum prodest, si desint alia. Bonus est cibus, epulæ, deliciæ, sed si adsit sanitas; alioqui ut picta icone illius bonis delectaberis. Bona est symphonia, sed absente luctu, ac melancholia. Nam: *Musica in luctu importuna narratio.* Eadem ratio aliorum bonorum temporalium, unum sine alio hominem non beatificat. Deus noster tantum bonum est, ut solus universis Angelorum ordinibus, & ingenti hominum numero sufficiat, omnes, ac singulos, & quosvis possibiles beare possit. Ipse unà est & cibus esurientibus, & potus sitientibus, & abundantia egentibus, & operimentum nudis, & solamen afflictis, denique omnibus omnia, quia erit omnia in omnibus, quia implebit in bonis desiderium universorum. *Eccli. 22. v. 6.*

Creatura quantitate exigua.

IX. In creaturis reliquis est bonum in pondere, numero, & mensura, eaque minima: In Deo nostro nullus omnino terminus magnitudinis, ponderis, ac mensuræ reperitur: Quidquid in illo est interminum, incircumscriptum, immensum est. Profundior est abyssus, latior Oceano, altior cælo, omnia implet, omnia circumdat, omnia occupat sine termino, sine numero, sine fine. Ipse intus & extra in omnibus, per præsentiam, essentiam, potentiam, & si plures orbes qualis hic est; immo milliones orbium ejusmodi darentur, omnia repleret, nec esset spatium ullum adeo infinitum, interminabile, incomprehensum, quod non occuparet. Etenim ut egregiè Psaltes modulatur de eodem: *Si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero in infernum, ades.* &c. *Deus immensus.* *Psal. 138. v. 8.*

Eritne igitur quispiam tam vecors, & insensatus tam emotæ mentis, & frontis per-

perfrictæ, ut vaniſſima, minutiſſima, defectuoſiſſima ſectetur; veriſſima autem, immenſa, ac perfectiſſima bona non amplectatur?

Eritne qui cum prodigo filio terrena iſta perinde ac porcorum ſiliquas quæ non tam ſatiant, quàm famen inducunt, ſenſus enervant, ingenium hebetant, corpori turpes admodum nævos, animo acerbiſſimos conſcientiæ remorſus ingerant, prehenſet; & defæcatiſſimas Deitatis delicias, ambroſiumque nectar deſpuat? Eritne inter Chriſtianos tam excors Holofernes, quem non oculi ſedes gratiarum; non cor, officina amoris; non manus, diſpenſatrices munerum, id'eſt non Dei bonitas, benignitas, munificentia, ſed ſandalia rapiant, ſeu veſtigia creaturarum? Eritne Rachel quæpiam, quæ ob mandragoras, amplexus veri Jacob in baculo crucis tranſeuntis Jordanem paſſionis explodat? Eritne tam veſanus idololatra pulchritudinis, ut eam in extima cute modicè hærentem, paulòque pòſt vermibus in pabulum ceſſuram depereat; intimam verò, ſubſtantialem, & ideam formarum omnium ſugillet. Eritne, qui relicto fonte, ſitiat guttam; ut exploſo theſauro, inardeſcat obuli amore; ut gemmis proculcatis, vitrum venetur; ut omnis boni bono poſthabito, umbratile ſectetur? Vix credo. Siquidem ipſius naturæ inſtinctu, in rebus temporalibus unuſquiſque deperit, quod pulchrius, dignius, præſtantius. Nemo eſt, qui non magis in oculis ferat equum impigrum, ſuccolentum, generoſum, quàm ſtrigoſum, apocalypticum, aſininum. Nemo, qui non diſcupiat veſtem novam, quàm viliſſimam lacernam. Nemo, qui non colat ſtudioſiùs aurum verum, quàm fictum. At credibile mihi reddit leſſus, ac proteſtatio Domini mei per Vatem ſuum Jeremiam ingemiſcentis: *Obſtupeſcite cæli, & portæ ejus deſolamini vehementer. Duo mala fecit populus meus, Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Ier. 2. v. 13, 14. Obſtupeſcite, inquit, quia deſeruerunt cultum meum, honorem meum, amorem mei; dereliquerunt bonitatem meam, pulchritudinem meam, divitias meas. Cùm pulcher ſim, perrarus eſt, qui me ſincerè diligat. Cùm dives ſim, vix eſt, qui à me quidpiam divinum, ac ſupernaturale efflagitet. Cùm via ſim, quotusquiſque eſt, qui in ea ambulet? Cùm veritas ſim, quis eſt, qui credat mihi? Cùm vita, quis eſt, qui me quærat? Cùm fons ſim aquæ dulcis, & laudabilis; quis eſt, qui ex me hauriat. *Obſtupeſcite cæli, & portæ ejus deſolamini. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas*, ut vel guttulam immundiſſimæ delibent voluptatis. Ad has deſudant, his toto animi affectu conjugantur, ad has morantur, & immoriuntur. *Me dereliquerunt*, &c. Me ſi quando labiis invocant, terrena idola, ut cor ſuum, ut oculum ſuum, ut animam ſuam ſtringunt, amplexantur, depereunt, quantumvis cum illis diſpereant.

§. III.

§. III.

Motivum tertium Amoris divini, Tuus.

Amoris divini motivum tertium.

X. Hîsce quicunque ii sunt, addo stimulum tertium seu pabulum amori Divino alendo, quòd non sit exoticus, alienus, & domesticus consanguineus, sed noster. Neque enim ait Dominus in præfato mandato: *Diliges Dominum Deum ex toto corde*; sed: *Diliges Dominum Deum Tuum.* Diliges, quia tuus est. Tuus ille est, quia cùm non esses, ille creavit te. Tuus ille, quia cùm perditus esses, pretiosissimo litro filii sui sanguine redemit te. Tuus ille, qui ne disperires hactenus, gratiosissimè conservavit te. Tuus ille, quia te in Filium, & hæredem gloriæ suæ adoptavit. Tuus ille tot titulis, quot tu illius.

Homo cur imagine Dei insignitus.

Cùm hominem è nihilo eduxisset, ait sacer textus: *Ad imaginem suam fecit illum*, characteres suæ divinitatis expressit, & inaravit in nobis. Quo quæso fine? Si S. Augustino credimus, non alio, quàm ut illam perinde ac sigillum apponeret, quo nosceremur ipsius esse.

S. August. in Gen.

Rursum, quum nos renovat, ac recreat sacro fonte baptismatis ex receptissima, ac indubia SS. Theologiæ, ac Conciliorum doctrina, jubet nos abrenuntiare Sathanæ, ac pompis ejus, imprimiturque character, vel ab ipsis gehennæ incendiis indelebilis. Quo fine? qua intentione? Profectò non aliâ, quàm ut illum solum Deum, ac unicum Dominum nostrum noverimus: Quemadmodum enim quisque bonus Paterfamilias res suas imagine, aut ceris suis signat, ut discernantur ab alienis: suppari ratione Deus Dominus noster, quotquot per fidem, ac sacrum laticem renascuntur, seque suo consecrant servitio, inviolabili notat charactere.

Dilecta illa in Canticis anima, sentiens se à dilecto suo plenè in possessionem acceptam, ait: *Ordinavit in me charitatem.* Nimirum ut nihil amem nisi illum, aut propter illum, ut ipsum appretiativo minimùm amore omnibus aliis præferrem. Alia lectio habet, vexillum super me extensum charitas. *Introduxit me rex in cellam vinariam, cujus vexillum erga me charitas.* q. d. A Domino admissus sum in amicitiam, ac gratiam ipsius; & charitatem suam, quasi vexillum supra me extendit. Quonam autem mysterio? Crediderim non alio, quàm quo solemni ritu urbs quæpiam, aut propugnaculum vexilli agitatione subdita esse oppugnanti denuntiatur. Cùm enim cor hominis castrum sit, ubi illud cælestis sponsus possederit, vexillum suum, super illud, amoris explicat, seque Dominum proprium, & absolutum illius esse designat. *Cant. 2. 4.*

XI. Quòd si itaque ô anima Christiana non diligis Deum, eo titulo, quia Dominus, si non diligis quia Dominus, si non diligis utroque hoc motivo, minimum diligas, quia *Tuus*; si non diligis amore amicitiæ, minimum amore concupiscentiæ prosequi contende.

Michas idololatra idolum quodpiam

piam sibi fuderat, ex quo certè non majorem, quàm à lapide quovis obvio, aut stipite, fructum referebat. Aures enim, quamvis haberet, non audiebat; os etsi præferebat, non loquebatur; manus porrigebat, & non palpabat; attamen quia proprium erat, & ablatum; miserandum in modum ingemuit: *Deos meos, quos mihi feci, tulistis, & Sacerdotem, & dicitis, quid mihi est?* Me miserum! me desolatum, qui Deo meo privatus sum. Utinam ipse priùs ablatus fuissem, quàm Deum meum mihi ereptum viderem. *Deos meos tulistis.* Ah, & nos non indolebimus, si Deum nostrum, omnis boni bonum, per peccatũ amiserimus? Ipse mutum & invalidum tantopere amissum lamentabatur, quia suus erat; nos nostrum planctibus, & ejulatibus non recuperabimus perditum? Iud. 18. 24

Quid dicam? Sæpe sæpiùs (dico quâ possum animi contentione) profundiùs nos lancinat nummus, quàm Numen amissum; graviùs nos vulnerat vestis attrita, aut lacerata, quàm Deus offensus; plus ponderant terrestria, quàm cælestia, plus cœnum, quàm cælum, plus creatura, quàm Creator. O incredibilem mentis perversitatem! ô impotentiam! ô confusionem, nec integro satis Erythræo decolorandam.

XII. Exclama, exulula hîc vir Dei, eleva vocem tuam, & ut olim in ingratos Judæos, ita nunc in perfidos Christianos intona: *Generatio prava, atque perversa, hæccine reddis Domino Deo tuo, populestulte & insipiens Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?* Hæccine, inquam, reddis, ut perinde ac vermis noxius, ex Deo natus, & in Deo renatus, (in ipso enim vivimus, movemur, & sumus,) illum die ac nocte exedas? *Hæccine reddis Domino Deo tuo,* ut perinde ac tinea ex byssо Divinitatis, ac purpura humanitatis procreatus, illum quantum in te, vitiis tuis sceleres? *Hæccine reddis Domino Deo tuo,* ut tanquam serpens in sinu Domini educatus, aut calefactus, aculeô venenatissimô petas? *Hæccine reddis Domino Deo tuo,* ut veluti canis furiosus in alumnum tuum insilias, & dentibus phræneticis eum prenses? *Hæccine reddis,* ut instar viperæ parentis viscera dilanies? Ita enim te indigitat ipsa æterna Veritas: *O genimina viperarum.* Hæccine reddis Domino Deo tuo, ut nec tanquam Dominum reverearis, nec ut Deum colas, nec ut tuum ames? *Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit, & fecit, & creavit te?* Numquid non ejus manibus portamur, & amplexu ejus pendemus, ubera dulcedinis ejus sugimus, & sanguine lactamur, ejus corpore pascimur? *Numquid non ipse est,* &c. Eheu, hoc nobis identidem exprobratur, hoc carmine distringuimur, hac ingratitudinis nota figimur, nec tamen eam abstergere aut evitare adnitimur? Indignemur nobismet aliquãdo, quòd cùm spurias voluptates, & quisquilias soli prosequamur, Deũ omnis boni bonum, tam glaciali pectore complectemur. Aflemus tandem ventilabrô piorum desideriorum cor nostrum, iisque moveamur affectibus, ut non uno, sed totidem quot cælo stellæ, quot aëri atomi, quot Oceano guttæ, quot littori maris arenulæ, pectoribus diligamus. Optemus transformari Seraphinorum instar in a- Deut. 32. 5

morem divinum. Efflagitemus, ut ſuum ipſe nobis mutuet amorem; quatenus amemus eum, eo amore, quò dignus eſt. Adhibeamus omnes ingenii nervos, effundamus omnes voluntatis affectus, ut eò loci apud nos ſit Deus, quo debet, adoremus ut decet, amemus, ut convenit. Et ſi quando in nobis exurgat, dicamus ex intimis fibris: Amo te ex toto corde, ex tota anima, ex tota mẽte mea, quia Dominus meus es, & gubernator meus. Amo te medullitùs, quia Deus meus es, & ſummum ac unicum bonum meum. Amo te millies, ac millies quia meus es. Nolo ultra pedes meos, niſi ut ambulem amore tui, niſi ut quæram te, & ambulem in via mandatorum tuorum. Nolo manus meas, niſi ut laborem amore tui, & propter te. Nolo linguam meam, niſi ut prædicem amorem tuum, & glorificem te. Nolo cor meum, nolo animam meam, nolo corpus meum, præterquam, ut diligam te. Nolo regnum, ac gloriam tuam, niſi propter te, ut ibi cum Sanctis tuis laudem te. Id unum doleo, quòd unquam te Deum meum, te ſummum bonum meum offenderim, aut aliud quidpiam amaverim præter te, aut alium ob finem, quàm propter Te. Id unum voveo ut nihil ſciam amare præter te, aut propter te; ut nihil amoris in me alieni patiaris, & ſi quid irrepſerit cum injuria amoris tui, id tu vel cum vitæ meæ jactura proſcribas. Id unum obſecro, ut totus ſim tuus, tu meus, ut totus amor meus in tui amorem tranſeat, ut te amem in hoc exilio, & futura patria, in carcere, & regno, in tempore, & æternitate.

Fiat.

CONCIO XLVII.

IN DOMINICA XVIII. POST PENT.

Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.

Matth. 9.

ARGUMENTUM.

Antidotum efficaciſſimum contra morbos.

I. PAralyticus olim Chriſto Domino præſentatus, meæ, hodiernâ luce, unà cum aliis ægrotantibus, curæ committitur. Aud. Quid ago? Amando? Ferreorum viſcerum vir proclamabor. Mederi attento? *Iſa. 3. 7.* *Non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis.* Latent me radices morborum, ac diſcrimina, fugit experientia, ignoro, quæ pharmaca proficua, quæ noxia. *Non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis.* Deſunt catapotia, malagmata, panchreſta; deſunt non externæ duntaxat, ſed & domeſticæ herbæ ſalutiferæ. *Non ſum medicus.* Si forſitan alicui curam adhibere præſumpſero, vereri cogor, ne cum alio ſiderato circumforaneo, quod vertici proficit, plantis applicem, aut quod officit pectori, aut pulmonibus, in remedium præſcribam. *Non ſum medicus.* Non eſt ſtatus, aut conditionis meæ, circulatorem, aut Machaonem quemvis alium profiteri. Quid ago itaque, aut quò me verto? Ne omnino curam languentis depoſuiſſe videar, alios hac in arte verſatiſſimos accerſere adnitar; ratus, quod illi decreverint, vos approbaturos, & cunctis ægrotantibus eorum aphoriſmos profuturos.

***

PARTITIO.

NE quidpiam intentatum relinquam, primùm profanas consulam Scholas, tum ad sacras me conferam.

§. I.

Consulitur Schola Salernitana.

II. EX illis Salernitanæ, tum ab aliis scientiis, tum ab arte Medicinæ celeberrimæ Aphorismus est:

Schola Salernitana.

Quòd si defuerint medici, medici tibi hæc tria fiant:
Mens hilaris, moderata quies, moderata diæta.

Sanitati prodest Lætitia.

Conducit imprimis ad sanitatem, non tam vultum, quàm animum ad justæ lætitiæ exporrexisse amœnitatem. Efficacissima hæc morborum medicina est, quâ solâ bene multi ægritudinum contagia declinarunt, ætatemque in annos decrepitos prorogarunt. Cælo animum nostrum consimilem volunt, corpus, utique de pulvere formatum terræ. Facite illud profligatis tempestatibus, innubi supercilio contueri terram, actutum cuncta reviviscunt, animantur, roborantur; erigunt depressum verticem herbæ, explicant coronas suas flores, lasciviunt per prata virentia agnelli, omnibus vis, omnibus robur, omnibus vita quadantenus infunditur. Jam vertite rotam, & facite idem densiore involvi caligine, peplo lurido faciem principis astrorum obducere, aut pruinâ adurere, aut frigoribus decoquere, labascent omnia, tabescent, emorientur. Peræqua conditio animi nostri est, ridente eô rident, vigentque universa in homine, lugente eodem tabescunt, & deficiunt.

Quod dogma, non tam hujus scholæ partus est, quàm sapientissimi Regis Salomonis ore editus. Ita enim ait: *Animus gaudens floridam facit ætatem. Spiritus tristis exsiccat ossa.* Nolite mirari, quòd hic pallescat, contrahatur, marcescat, tabescat; ille autem vigeat, floreat, nec canum pilum ostendat. *Animus enim gaudens floridam facit ætatem. Spiritus tristis exsiccat ossa.* Ille ideo floret, vigétque, eò quòd nulla ei amaritudo dominetur, nulla eum fallant vota, nulli conatus excidant, omnia illi de meliore formentur metallo, omnia illi optatam elaborent beatitatem. Si quidpiam sinistri accidat, id susque deque habet, in lætiorem frontem componit animum, & fausta quævis, tanquam fatidica avis occinit. At hic continuis maceratur curis, si minimum à novercante fortuna telum infigatur, eodem torquetur, excruciatur, de se actum existimat. *Animus gaudens floridam facit ætatem. Spiritus tristis exsiccat ossa.* Ideo ille vitam suam in sæculum, aut ultra propagat; hic ante tempus, prope sui-met redditus carnifex, toxico tristitiæ se conficit. Nam ut ait idem: *Multos occidit tristitia, & non est utilitas in ea.* Tristitia, & mœror, non modò non medetur languori, sed ægrotantis animi vulnera duplicat, nec procliviore via quispiam fertur ad undas, quàm si Agerona, ac luctibus incessanter immolet.

Prov. 17. v. 22.

Tristitia hominem necat.

Eccli. 30. v. 25.

Ratio

Valeſ. ſacra Philoſ. c. 72.

Ratio Medicorum, ac Phyſicorum eſt, quòd animus gaudens non tantùm in ſe ipſo invaleſcit, exultantis animi jubilô; verùm inſuper gaudii ſui fluctus per naturalem ſympathiam in corpus exonerat; quibus ſpiritus vitales acuuntur, illudque vividum, floridum, ac ſanum efficiunt. Ex adverſum mœror cor contrahit, ſpiritus deprimit, frigus inducit; quo fit, ut humor vitalis oſſa, medullas, cæteráque membra irrigans, ac vegetans, deficiat, ſiccetur, & homo tabeſcat & pereat. *Multos occidit triſtitia*, quam ſi pro virili averruncare contendiſſent, neutiquam tam propere Lybitinæ ſuccubuiſſent. Quocirca ſi unuſquiſque exhorreſcit carnifex eſſe ſui, meritò itidem expaveſcere debet, ne per triſtitiam vitæ ſibi à Deo præſtitutæ lineam intercidat.

Quies moderata proficua.

III. Juvat, ſubdunt iidem, maximopere diſcreta corpori conceſſa indulgentia. Non ſemper ſanitas ſuper tranſtra, aut aratra inambulat; non ſemper ferreas tractat incudes; ſuæ illi ſunt feriæ, ſua ſaturnalia deputata. Si in una manu tenet arcum, in altera chelym præſefert; ſi in una ligonem ad fodiendum, in alia ſcipionem ad deambulandum oſtentat; ſi in ſiniſtra ſecurim portat, in dextra pilam vibrat; ſi in illam ſpuit, in iſta ſeſe refocillat. Etenim, ut perbellè Tomitanus occinit:

Otia corpus alunt, animus quoque paſcitur ipſis,
Hæc reparant vires, feſſaque membra levant.

Ovid.

Hæc arcum antehac nimiùm intenſum ſolidant; hæc agros, & bruta fœcundant, hæc enervatas oneribus medullas priſtino reſtituunt vigori. Tolle quietem ab arcu, & flacceſcit, ab agris, & ſterileſcunt; à brutis quibuſve, & abortiva erunt; ab hominibus, & contabeſcent. *Quod enim caret alterna requie, durabile non eſt.*

Temperantia ſaluti cooperatur

IV. Nihil denique definiunt iidem Æſculapii, in tantum ſanitati ancillatur; nihil ita ad ſenſuum vigorem, & acumen cooperatur; nihil tantopere ægritudinem profligat, ac cibi potúsque parſimonia, quam vulgò diætam dicimus. Hæc enim ſecuriſſima omnium medicina eſt, & citra violentiam adhibetur. Hæc, ſi quempiam ægritudo tentare occœperit, exhaurit humores noxios, ſanguinem clarificat; totum corpus ſentinâ infirmitatum evacuat. Et quemadmodum exundantia ciborum faſtidium ingenerat, nutabundum animum, ac corpus efficit, innumeráque morborum genera invehit; ita abſtinentia morborum ſentinam exhaurit, radices excaudicat, & corpus priſtino reſtituit vigori.

Liquidiſſimum id facit Eccleſiaſticus, dicens: *In multis eſcis erit infirmitas, & propter crapulam multi perierunt. Qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam.* Notum, inquit, vobis, compertumque eſt, quam ob rem hic, & ille immatura morte obiit, calidum nimis, ſiccúmque jecur habuit. Manifeſtum, quòd hic, atque ille uxorem ſuam deſolatam, afflictam, anguſtiis preſſam dereliquerit, ob unicam vini, potúsque

Eccli. 37. v. 33, 34.

exuberantiam. Liquidum quin etiam alios bene multos ad decrepitos usque annos vitam extendere, ob solam potus, cibique parsimoniam. Qui enim edendi, ac bibendi officium ventris plenitudine metiuntur; quod illis Numen contulit ad vitam tuendam, in suam vertunt pernitiem. *In multis escis erit infirmitas; qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Multitudo epularum, ac cupediarum varietas, non modò morbos, sed & mortem ingenerat. Vis sanitatis tuæ rationem habere, alimentis perinde, ac pharmacis utere, nec quantum orexis appetit; sed quantum sana persuadet ratio, deliba.

Sapientissima, & quotidiana comprobata experientia consilia sunt ista; quibus innumeri nixi, vitam, ad centenos & supra annos protraxere.

Verumtamen pace istorum Consultorum dixerim, usus his omnibus paralyticus meus est, nec tamen pristinę redditus sanitati. Quippe ne accessus melancholiæ pateat, decumbit in Capharnaum, loco amœnissimo, & ut Ethymologiâ nominis utar, in campo voluptatis; in emporio mille voluptatum theatris famatissimo; in loco, quem & regionis gratia ad jucunditatem, & aëris innocentia ad oblectationem, & terræ virginitas ad hilaritatem meliore pollice elaboravit.

Usus itidem quiete haud modica est, ne dicam nimia; & facile crediderim futurum fuisse, ne tanto intervallo stagnaret infirmitate, si identidem fluminis instar ferri, moverique potuisset. Nec contra Diætam deliquisse autumo; quum & morbus ipse nauseam ad quævis edulia illi ingenerârit, & custodes corporis nactus sit exactissimos. Aliud proinde bonâ veniâ refugium quærere, aliud consilium accersere cogor. Sed à quo?

§. II.

Schola Salomonis in consilium advocatur.

V. A Mundana, & Politica Schola ad Spiritualem Veteris Testamenti me confero. In ea Doctorum Alpha, qui à Cedris crescentibus in Libano, usque ad hysopum, quæ sobotescit in pariete, disputavit Salomon, inquam, præsidet. Quid verò ille consilii suggerit? Audite: *Altissimus*, ait, *de terra creavit medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam.* Majestas suprema, cujus potestati cuncta obnoxia, inscrutabili sua sapientia, de terra eduxit herbas salutiferas, illa condidit pharmaca, illa indidit medicandi vim rebus creatis; vir autem prudens, qui bonum à malo novit discernere, ac justum cuivis statuere pretium, neutiquam illam aversabitur. Etsi enim amarissimæ aloës portiones sint exhauriendæ; *Vir prudens non abhorrebit.* Si immedicabile membrum recidendum, ne pars sinistra trahatur, *Vir prudens non abhorrebit.* Si ferrum ignitum, aliáve sufferenda: *Vir prudens non abhorrebit.* Altissimus quippe eo fine vim medendi herbis, lapidibus, metallis indidit, quatenus infirmitatibus nostris mederentur. *Vir prudens non abhorrebit.* Abhorrebit à sagarum, venefi-

Medicina commendatur.

Eccli. 38. v. 4.

veneficorumque characteribus, ac incantationibus, utpote quæ nullam à se, & non nisi à Cacodæmone virtutem habere queunt. Abhorrebit ab unguentis campanarum, ac patibulorum, à ligaminibus staminum, & crinium, quibus itidem non nisi Dite operante modicum corporis solatium, cum ejusdem sempiterno cruciatu sperare possit. Quî enim in Galenum eum adoptabit, quem vel pro hoc ipso facinore inferni sibi balnea succensurum, fricationes forcipibus ignitis adhibiturum, emplastra laminarum ardentium admoturum, syrupos pice sulphuréque succenso temperaturum non latet. Quâ conscientiâ sibi imposterum persuadere posset Deo victurum, qui Sathanæ vitam suam abhinc in acceptis referre deberet. At verò non abhorrebit ab herbis, pulveribus, unionibus à Deo ipso in sanitatem ipsius redintegrandam ordinatis.

VI. Non erit socius ipsorum, qui nullam admittunt medicinam, vel Mammonæ parcentes, vel spem omnem in Deum rejicientes. Quantumvis enim spes in Deum bona, ac necessaria; incuria tamen, ac contemptus medicorum, ac mediorum à Deo præordinatorum, si adhiberi queat, perversus. Perinde enim faciunt, ac si quis vestem, ac caligas laceras, non ad sartorem, sed ad ædituum deferret, aut ipse in aliquo Divorum tholo appenderet resarciendas ab ipso. Quod enim animæ corpus, id corpori indumentum est. Ut verò istud tibi insulsum videtur, ita non minus lepidum illud reputandum. Et licèt extra divinæ potentiæ pollicem non sit, quominùs nutu minimo violatam redintegrare sanitatem queat; est tamen extra divinæ ipsius voluntatis rationes, ac providentiam, quominus id velit. Idcirco enim ordinavit media, ut iisdem summa, infimaque ad suum finem dirigerentur, eoque, concursu ipsius ordinario potirentur. Quodsi omnino de mediis conclamatum est popularibus, ipsius fuerit ad gloriæ suæ incrementum exorbitantibus aliis ad scopum dirigere deplorata. Quocirca ubi salus titubaverit, si sapis Deum tuum, invoca, & eo propitio, catapotiis, pharmacis, unguentisque utere, si vires restaurare nutabundas, membraque delassata solidare concupiscis. Altissimus enim de terra creavit medicinam.

Medicinæ sæpè ineffi-cax.

VII. Suffragor lubens huic oraculo Sapientis, & contestor fide integerrima, à supremo Numine condita medicamina, virumque prudentem nequaquam ea aversaturum. Profiteor itidem multis salutares fuisse medicinas, ac malagmata. Verùm eadem remedia sæpe-sæpius incassum tentata, experientiâ magistrâ didicimus. Quid enim? Nonne Rex Assa vexatus pedum dolore vehementissimo medicorum arte nisus infaustum præmaturâ morte exspuit spiritum? Nonne Hemorrhoissa à S. Luca celebrata, omnem prope suam substantiam in medicos dispensaverat, nec minimâ sanitatis recuperandæ aurorâ affulgente? Nonne etjamnum thermis, unguentisque nullo suo

3. Reg. 15. v. 10. 2. Paral. 16. v. 12. Luc. 8. 43.

ſuo commodo alii innatant? Nonne alia media, ſeu remedia citra ullum effectum adhibent? Numquid hodiernus paralyticus eos non conſuluit? Verùm, ut perbellè cecinit Naſo:

Ovid. *Non eſt in medico, ſemper relevetur ut æger,*
Interdum medica, plus habet arte, malum.

Sæpe inter medicos, ac veſpillones exiguum diſcrimen eſt, utrique enim ſepeliunt, ſed majore pretio, & plerumque etiam damno illi. Veſpillones ſepeliunt eos, qui ne fœtore ſuo tellurem vitient, meritò humo contegendi ſunt; at medici eos, qui viribus reſtituendi erant, ne ſepelirentur. Diſcunt periculis aliorum, & experimenta doctrinæ, ac doctoratus ſui per mortes agunt. Utinam ſcomma, non veriverbium foret! Solis impunè occidere licet medicis. Id ſerò agnovit Adrianus Cæſar, qui eo non niſi Epitaphio cineres ſuos exornare voluit: *Turba medicorum perdidit Cæſarem.* Quocirca hac in parte magis aſſentior Interpreti Chaldæo legenti: *Altiſſimus de terra inchoavit medicinam.* Ex terra auſpicia ſumuntur ſanitatis, non coronæ; rudimenta, non complementa. Pro his conſequendis, alia tentanda via eſt.

Medici indocti veſpillones.

Turba Medicorum perdidit Cæſarem.

Quænam tandem?

* * *
* *

§. III.

Remedium efficaciſſimum Pœnitentia.

IX. VIa optima, ſecuriſſima multorum comprobata experientia, quam tradit, & oſtendit Schola Novi Teſtamenti. Quænam illa? Non alia, niſi Aloë pœnitentiæ. Hanc nimirum indicant verba Domini noſtri: *Remittuntur tibi peccata tua.* Hæc eſt pharmacorum omnium præſtantiſſimum. Singulæ animantes ſingula habent medicamenta, quibus ad ſalutem conſervandam, aut redintegrandam utantur. Canis gramine, ſimiis leo, viperis cervus, ſus cancris fluviatilibus ſibi medetur. Hominum autem panacea eſt pœnitentia, remedium non quidem à Galeni Nepotibus celebratum, ſed multò diviniùs inſtitutum. Idem illa in animo facit, quod Aloë in corpore. Amara utraque eſt, & ut aloë expurgat ventrem; ita Metanæa animum expiat, & emaculat; ac ipſa amaritudine ſua valetudinem conciliat. Verùm in hoc omni aloë ſuperior eſt pœnitentia, quod cùm animæ medetur, unà etiam corpori ſanitatem ſæpiuſcule conciliat; nec ſuperficie tenus malagmatis quibuſdam foveat, ſed intimas infirmitatis fibras, ſeu radices evellat.

Pœnitentia medicina efficaciſſima.

X. Quamvis enim identidem morbi proveniant ex malignan is cujuſpiam qualitatis in corpore exceſſu; licèt identidem ex naturæ vitiatæ radicibus pullulent; licèt ex elementorum corrupta qualitate, aut varietate redundent; licèt invidia

Peccatum radix infirmitatis.

diâ Diaboli sæpius intrent; licet à sagis, ac veneficis inferantur; licet à temeritate sese periculis exponentium proficiscantur; licet à DEO ipso ad probationem nostram, vel gloriam suam manifestandam promanent; licet alijs ex fontibus restagnent; attamen ut plurimum ex ipsis vitijs animæ in corpus sese effundunt.

Id ne tam ore, quam digito demonstrasse vobis videar, quæso vos vel mente (quoniam pedibus non vocat) non ad vile quodpiam Xenodochium, sed ad regium valetudinarium conferte. Occurret vobis imprimis Antiochus Rex insanabili plaga percussus. Videbitis illum fluctibus agitari tristitiæ, qui olim jucundus erat, & dilectus in potestate sua. Arbitrabimini gravissimis confectum doloribus vix membra sua levare, qui ante hac metuendus erat orbi. Animadvertetis illum in extremo versari vitæ periculo inter diriſſimos dolores viscerum, & amarissima corporis totius tormenta, qui sibi aureos fallaci tripode annos spoponderat. Nisi verò cum amicis Gobi præ stupore in sigaliones abieritis, sciscitemini. Unde quæso hæc mala ô rex Sereniſſime in caput tuum devoluta? Ex quo fonte hi fluctus mœroris in animum tuum exonerati originem traxerê? Quis calamitatum tuarum, ac tormentorum artifex? Reponet ipsemet; *Nunc reminiscor malorum, quæ feci in Ierusalem, unde & abstuli omnia spolia aurea, & argentea, quæ erant in ea, & misi auferre habitantes Iudæam sine causa. Cognovi ergo, quia propterea invenerunt me mala ista.* Non possum ulli alteri famæ mente imputare extremam hanc calamitatem, quam avaritiæ meæ, superbiæ meæ, tyrannidi meæ, sacrilegiis meis. *Cognovi quia propterea invenerunt me mala ista.*

Antiochi morbus ob scelera

1. *Mach.* 12. 13.

Visite si placet alium regem Judæorum Herodem nomine (nam alios infirmos pauperes forsitan invisere detrectabitis) audietis eum lentô calore torreri, atria boatibus implere, omnes ex Erebo furias advocare; videbitis pedes tumere phlegmate humidô corrosivô, ac pellucidô, corpus omne scatere vermibus, accedente fœdissima, ac molestissima tentigine; deprehendetis podagram cholican, gallicam luem, & quidquid explicatu turpe est, in ipsius nidulari membris. Sentietis odorem gravissimum, perinde ac ex putridis cadaveribus, aut averno exspirantem, in tantum ut eum circumpedanei accedere perhorrescant, &c. Quærat hic quispiam vestrum ex circumstantibus (si desperabundum non præsumit alloqui,) cur illi Deus tantopere mutatus in crudelem? Cur in duritia manus suæ adversetur illi? Respondit Josephus vir inter Judæos magni nominis: *Constans est inter divinos, ac fatidicos opinio, Regem, læsa tot modis pietatis, Deo pœnas expendere.* Propter enormia scelera sua, et sacrilegia, & homicidia tum infantium, tum aliorum justa Nemesi vindicante, jam hic Acherontica libare tormenta coactus est.

Herodis infirmitas & mors ob scelera

Ioseph. lib. de bello Iud.

Ite ad alia (si tamen animus est) Nosocomia, Vario morborum discrimine laborantibus refertissima, quærite undenam ea monstra profluxêre? In quibus Arabiæ desertis prognata? Audietis oraculum Pauli, cum ob alia quævis crimina, tum vel maximè ob

abusum sacræ synaxeos multis evenisse. Nam cum indigne communicantibus grave judicium Domini comminatus
1.Cor.11,29 esset: *Qui enim manducat, & bibit indignè judicium sibi manducat & bibit*; contra indispositos & frigidè accedentes
1 Cor. 11. 30. fulmen detorquet: *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* q.d. Hæc est præcipua ratio ægritudinum vestrarum, quod frigidè, & ex mera consuetudine ad mensam Domini accedatis, quod vim, & virtutem ejus non mereamini participare. vita illius vobis commutatur in morbum, immo & mortem. *Ideo inter vos infirmi &c.* Panis quidem iste fortium est, vivificans, & roborans, panis dans vitam, ac sanitatem lignum salutis ad immortalitatem initians; quod autem in vobis nec quicquam operetur, causa est, quod stomacho & animo perperam affecto accedatis. *Ideo inter vos &c.*

Peccata causa Morborum

Hanc eandem morborum causam
Eccl.38. 2. adducit Ecclesiasticus dicens: *Qui delinquit in conspectu ejus, qui fecit eum incidet in manus medici.* Qui non veretur
Jansen. h.l. DEUM præsentem sentiet medicum ferientem, ac scindentem. Qui peccare audet contra eum, qui dat vitam & Sanitatem ob id dignus est, ut si non vita minimũ sanitate privetur, & morbis conflictetur. *Qui delinquit, &c.*

Quod si itaque morbi ex venenata plerumq; peccati radice pullulant, poteritne aptior, aut efficacior adhiberi medicina in infirmitate, quam pœnitentia peccatorum omnium interfectrice? Nonne sublata causa tollitur effectus? Nonne excaudicatis radicibus exaresceret totam quantam arborem necesse est?

Effare effare quæso Regum inclite Ezechia, quonam tu alexipharmaco vires perditas restauraveris? Novi quod jam dicta funeri tuo dies fuerit, quod jam jam in conclamata ægritudine filum præcidendum. Cum ecce supra omnium spem surrexisti vegetus, templum litaturus hostias Eucharisticas es ingressus, & vitam desperatissimam in tria lustra propagasti. Qua ratione? Nulla certe alia, præterquam amarissima contritionis, ac lachrymarum aloe. *Flevit*, ait sacer textus, *Ezechias, conversis* Isa.38.4. *ad lectuli caput.* Hæc medicina illius extitit; hæc sanctatem pristinam operata est, quemadmodum ipsemet in Eucharistico suo testatur carmine: *Tu autem* Ib.v.17. *eruisti animam meam, ut non periret, projecisti post tergum omnia peccata mea.* Tu Domine ex infinita misericordiæ tuæ abysso, onus grave peccatorum meorum ex humeris deposuisti, & extemplo cervicem surrexi, quem onus, ac languor depressérat. Tu virulentum vulnus animæ meæ sanasti, & actutum tumor corporis resedit. Tu animæ meæ peccatis emortuæ vitam inspirasti, & ecce melius habere corpore occæpi. *Projecisti post tergum &c.* Effare hodierne paralytice cum alijs quotquot à Domino sanitati pristinæ redditi, quo medio, qua via, quibus antidotis id factum sit? Quamprimum inquit remisit nobis peccata nostra, & illico redit vigor membris, sanguis infusus venis, salus medullis. Salus animæ collata in ipsum redundavit corpus, & fiducia in Christum, ac pœnitentia obstricata est ad vigorem.

Unde Angelicus Doctor quæritans cur sanaturus dominus infirmos, prius di-

S. Thom. in Cat. dimiserit peccata ; respondet. *Certe quia tollit causam, quia propter iniquitates eorum multiplicatæ sunt infirmitates eorum.* Idcirco Dominus in antecessum expiat animum, & sublata radice mali, bonum sanitatis integerrimum subsequeretur.

Frustra itaque ah frustra exotica, & cum dispendio divitiarum malagmata quærimus, hærente intus ferro, quo indies in deterius recrudescit malum. Frustra cuticulam desuper inungimus, intus eam verme malæ conscientiæ depascente. Incassum corpus afforis loricæ instar emplastris incingimus, sceleribus cor intus lethali ictu trajicientibus. Eneca primum vermen medullas exedentem, evelle ferrum intimis fibris radicatum tum cataplasmatis utere; tolle prius scelera intus grassantia, si vitam prorogare salvam, & in concussam, quantum in te est, ardescis. Fac ut per sinceram exhomologesim, veramque contritionem remittantur tibi peccata tua, & tum demum medicinas adhibe. Sit salva prius anima & Deo auxiliante si tibi consultum fuerit sanabitur & corpus. Erigatur illa brachiis fidei, spei, charitatis, surget istud pariter, tolletque grabatum suum, statuendum in trophæum. Hoc sane est, quod monet sapiens: *Fili in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te. Averte à delicto, & dirige manus, & ipse salvabit te.* Evoca Numen optimum ferventissimè in vota tua, ad ipsum mentem tuam surrige, de peccatis tuis pœnitentiam age, & ipse salvabit te. Fiat. Fiat. *Eccl.* 38. 9. 10.

CONCIO XLVIII.

IN DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

Simile est regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias Filio suo. Matt. 22.

ARGUMENTUM.

MATRIMONIUM AN SIMILIUS COELO, AC INFERNO.

I. OMnis similitudinis ratio, in hoc vertitur, ut in quo genere unum alteri confertur, in eodem alterum eidem respondeat. A. Quæ enim similia sunt, sibi invicem similia esse oportet. Si vir justus similatur arbori secus de cursus aquarum plantatæ, arbor reciprocè eidem similabitur in ea ratione. Si filiæ divitum compositæ, & circumornatæ, ut similitudo templi; ergo & *Psal.* 1. 3.

templum ad instar earum insignitum est. Si Casca Casco sororia, etiam Cascus Cascæ gemellus erit. Congrua ratione, si in hodierni Evangelij lectione, regnum cœlorum æquetur nuptijs, etiam nuptias illius similitudinem referre est necesse.

Ergo infert quispiam tantum amænatur ille, qui Hymeneos celebrat, quemadmodum qui cœlestia gaudia ingreditur. Ergo sicut in cœlo non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor; ita eandem à nuptiis infaustam exulare catervam oportebit. Quod si ita est profecto ut ad regna cœlorum, per dextram, & sinistram, per avia, & devia, per obsessos nivibus montes, per obseptos vepribus calles eluctamur: ita ad nuptias maturandum esset.

Nihilo minus quum simile; ut tale non sit idem cum alio; immo cum quodvis claudicet; & ut in una ratione est subsimile; sic in alia imaginem reddat è contrario: haud secus evenire potest in proposita parabola, ut quantumvis in uno, aliove respectu regnum cœlorum similetur nuptiis; in alio possit referre infernum. Quod an ita sit, & an illæ insigniùs comparentur delitiis paradysi, an vero inferni cruciatibus, quum elucidandum assumo, à Deo meo vires, à vobis aures benevolas enixe efflagito.

§. I.

Matrimonium assimile videtur Regno cœlorum.

Matrimonium simile

II. PRima fronte Matrimonium condignè conferri posse videtur regno cœlorum, in quacunque suppositione sumpto. Etenim qui exactius ectasim Iosephi Patriarchæ expendunt, illi eò propendent, ut decidant Matrimonium similari cœlo elementari. *Vidi*, ait ille ad fratres suos, per somnium, *quasi solem, & lunam, & stellas undecim adorare me.* Quod interprete parente ipsius, ac subinde ipsa experientiâ magistrâ, idem erat dicere ac intuitus sum patrem, & matrem, & vos fratres adorare numen meum; mihi adgeniculare. Quippe ut primum parens somnium inaudiit. Extemplo ipsum redarguit dicens. *Quid sibi vult hoc somnium, quod vidisti? Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram?* Intellexit enim probè, se per solem, uxorem suam per Lunam, filios undecim, per totidem stellas, Josepho designatos esse.

cœlo elementari.

Gen. 37. 11.

Ibid.

Verum quod is sibi, ac familiæ suæ attribuit, idem omnibus Conjugatis aptari suo modo potest. In quovis matrimonij statu, maritus esse debet domui suæ, quod sol in cælo; uxor, quod Luna; filij, quod sidera. In cœlesti domo *fecit Deus luminare majus* [scribit calamus scribæ velociter scribentis] *ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti, & stellas.* Soli laxissimas commisit habenas, in lapides, & metalla, in frumenta & fruges, in plantas ac arbores, in animantia ac homines, & in omnia alia, quæcunque in vastissimo orbis territorio continentur. Lunæ vero principatum multò inferiorem, atque angustiorem, & imprimis in aquas, ac pueros dispensavit. Æquâ ratione in terrestri hoc Lare supremus Arbiter rerum; maritum cum altiore imperio,

Gen. 1. 16.

&

& dominio prope baſſo tota ſua in provincia conſtituit, uxori vero minora, ac inferiora commiſit. Viri eſt ſerere latifundia camporum, Oceani profunditates emetiri, ex terræ viſceribus auri venas exenterare, in ſilvis feras inſectari, &c. Uxoris panem pinſere, cibum parare, hortos excolere, & alia quæpiam domeſtica negotia minoris momenti tractare. Virum decent forenſia, caſtrenſia negotia, ſagum, ſariſſæ, judicia; mulierem colus, acus, lotio, & ſimilia. Vir præeſt toti familiæ; mulier non niſi filijs, aut in abſentia viri, famulis. *Fecit Deus luminaria duo.* Sideribus, & filijs nullum omnino regimen commiſit, nec aliud mandatum dedit, præterquam ut lucerent. Illa fulgore ſolis, hi ſplendore virtutis, ac morum probitate. Obedire enim filiorum eſt; non imperare, regi non regere. Male auſpicatus eſt regimen paternum Phaëton, dum puerili arrogantia tumidus, & inhibendi neſcius jugi; laxatis habenis præcipitavit equos, eſſedum evertit, flammam longè, latèque ingenti orbis macie, ac vaſtitate diffudit. Perperam item alij vix puberes clavum regunt, & identidem vel in ſcopulos, vel ſyrtes navigium deflectunt; commoda vertunt in diſpendia, domos in cineres, opulentiam in egeſtatem.

Vxor viro ſi ſubdita Soli Luna in omnibus ſubdita, ab eo influentias, ab eo lumen ſuum participat. Idipſum mandat uxoribus S. Paul⁹ Apoſtolus ad Epheſios ſcribens: *Eph. 5. 23.* *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint ſicut Domino.* Quemadmodum ad Chriſti imperium, ita ad viri flectatur voluntatem. Cujus rationem ſubdit; Quoniam *Ibid. v. 23.* *vir caput eſt muliebris, ſicut Chriſtus caput eſt eccleſiæ.* Ut ergo hæc Chriſto aſſertori ſuo in omnibus obnoxia, haud ſecus conjugem marito ſuo devotam eſſe oportet. Eandem legem Dominus ipſe in primam omnium tulit uxorem, Dicens: *Sub viri poteſtate eris, et ipſe dominabitur tui.* q. d. Quoniam neſciviſti bene imperare, diſce bene regi. Melius eſt, ut Adamum agnoſcas Dominum, et ejus nitaris conſilio, quam libere vivendo in præcipitia feraris. Melius eſt cæco, ſi regatur ab oculato, quam ſi eo deſtitutus, hinc inde oberret. **Eſt ſtehet dem eheſtand übel an/ wan die hen Kraydt vor dem haan** Non decet in conjugio, gallinam canere ante gallum. Monſtrum naturæ foret ſi cœcutiens videntem duceret, magiſtrum diſcipulus informaret, infirmus ſanum geſtaret. Quod ſi Eva maritum obſervaſſet, ſuos ſecum poſteros neutiquam perdidiſſet. Idcirco quæ malè cœpit, ſequi debet, ut vel ex periculo erudita, deinceps ſit verecundior, ac cautior. *Gen. 3.*

Luna ſoli è diametro oppoſita cauſat eclipſim, animantibus et plantis noxiam, humano autem generi formidandam: Æqua ratione diſſidium ac jurgia inter conjuges, rem domeſticam peſſumdant, totamque domum timore, ac mœrore complent, ſolô ſathana tripudiante, & feſtum diem agente. **Wan das ehevolck Zancket/ da tantzet der Teuffel.**

Si alia ſiderum illuſtrium diſciplina, quam in mortalium felicitatem Deus præſcripſit, aliquando deficeret, in unam procul dubio molem omnia ſubſiderent, quamque in formoſiſſimis e-

jusmodi rebus effigiem modo suspicimus, exhorresceremus in Chaos unum deformatam. Illico enim ubi sol suos interciperet radios, aut Luna præesse tentaret, sol subesse cogeretur, neque in agris pullularent segetes, neque in montium cavernis metalla formarentur, nec quicquam aliud in commodum nostrum elaboraretur. Unius immutatio fame regna, pestilentiâ provincias exhauriret; maximamque orbis partem cumularet funeribus. Eatenus vivimus incolumes, dum unaquæque creaturarum divinæ providentiæ subscriptis rationibus se submittit. Idem ego, idem quivis alter, de matrimonii disciplina pronuntiabit. Quamdiu hæc viget, maritus dominatur, uxor subest, omnia salva, ac prospera; ubi illa dissipatur, cuncta simul languere, ac deficere occipiunt.

Viri officium

Sol nunquam non qualitatibus, ac dispositionibus subjectorum sese attemperat; ita ut lutum induret, ceram emolliat, gemmam illustret &c. Pari ratione sapiens maritus condescendere debet sibi subditis, in eosque influentias suas derivare. Corrigat potius verbo, ac exemplo, quam verbere, aut rigore. *Noli esse sicut leo in domo tua*, monet sapiens, *evertens domesticos tuos, & opprimens subjectos.* Leo in silvis rugiens cætera animantia metu, ac horrore percellit, vires ac cursum adimit, sicq; enervatas in prædam suam cogit. Non aliter incandescentis iræ rabie infrendens maritus, familiam timore exanimat, omnes domestici ad illius rugitum animum despondent, aut ægre suo funguntur officio. Quod si autem familiæ connivendum, multò magis consorti. Si stulta sit, noli insultare; si pauper, noli exprobare; si ebria, si iracunda, dolendum tibi, non irascendum est. Uxor enim tua est, quæ reliquit patrem & matrem propter te, tibi adhæsura. Si tuos illa suffert defectus; multò amplius fœminea ipsius levitas tibi, alijque errores tollerandi.

Eccl. 4. 35.

Ne sol Planeta nimium incendat arva, luna sub noctem humiditate, ac frigore suo, intensiorem mitigat æstum: ita si vir quandoque efferatur animo, ad clementiam, bonæ consortis alloquio componendus erit.

Sol vestit Lunam pro sua conditione, & qualitate temporis, jam veste longa, jam curta, jam pallida, jam alba, jam purpurea; Non minus marito incumbit vestire uxorem suam juxta statum suum, ac temporum constitutionem; nec permittendum ut illa hac in parte pro arbitrio suo disponat.

His alijsque de causis nuptiæ perquam appositè regno cælorum inferiori conferri querunt.

III. At altius nonnulli insurgunt, & ipsi cœlo empyreo æquare nituntur. In hujus confirmationem assumunt caput alterum Geneseos, in quo cætera inter mysteria, somnus Adæ inducitur, ante conditam Evam ex costa ipsius. *Immisit.* (scribit sacer Historiographus) *Dominus soporem in Adam. cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus.* LXX. vertunt: *immisit Dominus ecstasim in Adam.* Ex quo vocabulo alij SS. Doctores colligunt, eum non vulgarem fuisse somnum, sed potius mentis raptum, in quo futura ei creduntur patefacta mysteria. Quænam autem illa? Dicerem ei revelatam fuisse prolixam

Matrimonium assimilatur cœlo empyreo

lixam nepotum progeniem, quemadmodum Nabucho, & alijs, venturos reges evulgavit. Dicerem altissimum didicisse mysterium, quod sicut de latere ipsius soporati, Eva in conjugium ipsius efformata: ita subinde ex latere Christi perforato; ac undis aquæ, & sanguinis exinde profluentibus, efformandam esse unicam immaculatam virginem, sanctam Ecclesiam Catholicam. Dicerem intimatum ei fuisse immensum amorem, quem dilectæ eidem sponsæ suæ exhibiturus esset; nisi me discipulum maximus Ecclesiæ S. Professor Augustinus aliud edocuisset:

Aug. lib 9. de Gen. ad lit. Et tract. 9. in Iovin.

Ait enim: *Raptus est ad cœlum, ut inde acciperet normam vivendi in matrimonio.* Verum pace tua profari liceat, ô magne Doctor, quam normam è cœlo desumeret? si vidit DEUM, aut etiam SS. Triadem, illa virgo est. DEUS Pater in sua virginitate, id est ex suimet cognitione genuit Filium. Idem Pater cum Filio, in eadem virginitate, spiravêre Spiritum S. Quæ hic norma Matrimonii? si item Intuitus est Angelos; & isti purissimi Spiritus sunt, omnis carnis expertes. Si forte futuros inibi alios sanctos; at & de illis oraculum intonuit: Non nubunt, neque nubentur; sed erunt, sicut Angeli dei. Quæ itaque hic norma, quod exemplar propositum?

Celada in Iudith.

Neotericus quidam eam normam assumpsisse autumat, ex triplici Angelorum Hierarchia. Ab inferiore quidem pacem; à media clementiam, à summa charitatem. Verba ejus sunt: *Præviderat summam pacem Angelorum ministrantium, pacatam valentiam in Potentatibus, ingenium amoris in seraphinis.* Pulchra norma ex ore dei mutuata.

Tertulianus è contra autumat ab ipsa Divinitate desumptam. *Vnum*, ait, *matrimonium novimus; sicut unum deum.* Ut DEUS trinus in Persona, unus in natura, ita ipsi bini quidem sunt in persona, at in natura dilectionis unum. *Erunt duo in carne una.* ait Spiritus Domini. Et ea de causa forsitan in paradyso copulati, ut nossent se tanquam in cœlo, in matrimonio victuros; ideo nuptias, quasi supra nubes essent indigeramus, ideo Deus Pater primis sponsis adstitit; ut scirent se in eo statu victuros, in summa pace, quiete, gaudio. Ecce ut aptè, & concinnè nuptiæ conferantur regno cœlorum.

Tertul de Monogamia

IV. S. Paulus Apostolus vertit sese ad regnum cœlorum mysticum, seu Ecclesiam; & eidem matrimonium simile esse debere enuntiat. *Viri*, ait, *diligite uxores vestras, sicut Christus Ecclesiam.* Noluit conferre Apostolus amori fraterno; quia fraterna quoque gratia rara est. Et *fraterno primi maduerunt sanguinè muri.* Non adæquavit amori filiorum in parentes; quia Nero matrem, & multi alij parentes sustulerunt. Non item comparem fecit amori parentum in filios; quia multi magis amant canem, aut equum, majoremque curam impendunt, quam filio. *Ecce*, canit Manilius, *patrem nati perimunt, natosque parentes.*

Matrimonium confertur cœlo mystico

Eph. 5.

Ovid. 1. Metam

Manil. 4.

Mutuaque armati cœunt in vulnera fratres.

Non itidem amori nostro erga Deum, qui identidem frigescit; sed amori Filij Dei erga sponsam suam Ecclesiam cognatum esse voluit. Ut verò amor hic, & modus constaret, subdit ibidem;

Ibid ad Eph dem; *Christus dilexit Ecclesiam: & tradidit semetipsum pro ea, ut eam sanctificaficaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Tradidit non sua duntaxat, exinaniendo semetipsum; non tantum ad labores, ac languores nostros sufferendos; Isa. 53.4. *quia labores nostros ipse tulit, & languores nostros ipse portavit*; non tantum ad lavandum in sanguine suo; *Ipse enim lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo*; sed tradidit semetipsum. Tradidit oculos, ut innatarent lachrymis, aures, ut saturarentur opprobrijs; os, ut felle, & absynthio lactaretur; nares, ut fœtoribus replerentur; totum corpus, ut doloribus conficeretur. Tradit caput, ad configendum spinis; dorsum, ad inarandum flagris; manus, & pedes ad distendendum clavis; latus, ad transverberandum lanceâ; animam ipsam, per mortem acerbissimam à corpore externandam. Audite, jam, & altè imprimite, quid ex hoc inferat os aureũ: Chrisost. Hom. de laud. Maxim. *Quomodo Christus dilexit Ecclesiam? ita ut semetipsum pro ea traderet; Itaque si mori pro uxore oporteat, nequaquam marite tergiversaberis.* Nam si Dominus servam ita dilexit; ut semetipsum pro ea traderet; multò magis conservam oportet sic diligi. Et sanè si S. Ioannes ex hoc fundamento intulit, animas pro fratribus ponendas, dicens: 1. Ioan. 3. 16. *Quoniam Christus pro nobis animam suam posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere!* quanto magis maritus pro uxore, omni patre, ac fratre propinquiore? *Propter hoc*, inquit, *relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ.*

Animatus profecto ad id fuerat Tygranes Armeniæ Rex, qui unà cum uxore captus, à Cyro Persarum rege, & in mensa regia quæsitus, quo litro vellet conjugem suam redimere? Reposuit illico: si regnum aliud in mea foret potestate, libenter darem; jam verò, quoniam eo privatus sum, vitam meam lubens pro ea immolo. Animatus hoc pectore in uxores suas erat Jacob, qui, ut docet Chrysostomus, obviam Esau processit; se ipsum ante cœteros locans, & paratus ferrum, & minas spirantem fratrem, quemadmodum suspicabatur excipere primus, quatenus suo corpore uxoribus pareret salutem. Animati hoc spiritu bene multi alij, qua viri in mulieres, qua mulieres in maritos &c. Quis igitur inficiabitur nuptias proximè ad similitudinem regni cœlestis, quacunque suppositione accepti accedere? Quis eadem, perinde ac paralella quæpiam, inter se composita, non adjuret.

Chrysost. h. 33. in Ep. ad Cor.

§. II.

Nuptiæ conformiores Purgatorio et Inferno.

Nuptiæ similantur inferno

V. EGo tamen partem in alteram me obvertendo, rectiore Calepino nuptias Purgatorium, vel etiam Infernum dixero. Nam utut bonos inter ac consentientes, paradisi quandam rudem imaginem adumbratam esse admitto, ita improbos inter, ipsius Inferni succendi clibanum mordicus adstruo.

Tertullianus mysterio maximo statum matrimonij complexus est, dum sponsam hunc in modum alloquitur: Tertul. de Monog. a. 11. *Matrimonium postulas ab Episcopis, à Presbyteris, Diaconis, ut in Domino nubas,*

bas. Illi plane ſudabunt viros, ac uxores, quomodo buccellas. Iure hic quæſtionem vexare quis poſſet, cui pani ille conferat matrimonium, an naturali, an ſpirituali, an etiam Euchariſtico? Si de naturali ageret, facile ſeſe quiſpiam Oedipum huic ſphyngi præſtaret. Diceret enim medicus: *Sicut omnis repletio mala, panis peßima*: ita abuſus in matrimonio perquam noxius. Panis & vinum moderatum prodeſt, immodicè verò ſumpta officiunt! &eundem in modum matrimonii uſus.

In Vita B. Ægidius S. Franciſci Seraphici ſocius, cuidam de caſtitate conjugali glorianti repoſuit: Ne propterea glorieris, poteſt enim quis non minus è proprio vaſe, quam alieno inebriari.

Matrimonium pani ſimile domeſtico Diceret Pythagoras: *Panem ne frangito*, id eſt ubi in unum velut duo grana coiêre vir ac uxor, ſe invicem ſcindere, proſcindere, devorare caveant.

Diceret Aulicus, idem *Brodt* ac *Brautt*; ſicut ille recens bonus, & gratus; antiquus vero, induratus, ac mucidus, exoſus: ita ſæpenumero in matrimonio evenit, recens arridet, inveteratum diſplicet. Si fas eſſet, non unus panem ſuum mucidum porcis objiceret.

Diceret alter: Panis, ſeu vir eſt carus, & prætioſus, caro autem (nimirum uxor) vilis. **Das brodt iſt theur / das fleiſch iſt woll feill.**

Diceret tertius Epicuri de grege, tam neceſſarium eſſe matrimonium, ac panem quotidianum &c.

Item Euchariſtico Cum autem ad Epiſcopos, ac Preſbyteros mittat, quorum incumbit muneri ſacrum panem diſpenſare, videtur huic potius, quam alii contuliſſe. Ita hunc locum explicat Interpres ejus Famelius: *De illis buccellis loquitur, ut conjicio, quas domum ferendas, ab Eccleſiæ miniſtris accipiebant.* More enim antiquo indultum erat, perſecutionis tempore, ut panem benedictum, in ſyndone munda, aut vaſculis aureis, argenteiſq; exceptum domum deferrent, congruo tempore ſumendum.

Quid verò prætendit præfatus Doctor hac collatione panis ſacri, et uxoris? Id certe, ut tanquam donum Dei ſingulare à marito uxor accipiatur. Erenim, ut ait ſapiens: *Domus, et divitiæ dantur à parentibus, à Domino autem uxor prudens.* Deus in connubio S. Paranymphus eſt, qui ut Evam ad Adam adduxit; ita alijs probis viris devotam, ac virtuoſam adoptat. Vel etiam eum honorem deferre voluit uxori, qualis ferme menſæ Euchariſticæ exhibetur. Vel conſiderate accedendum ad nuptias æquè, atque ac ad Epulum Euchariſticum. Vel certè oſtendere concupijt, quod quemadmodum juſti, ac recti, accedentes ad epulas ſacras confortantur in gratia; ita non minus in matrimonio creſcant, ſeſe invicem ad pia opera excitantes. Exadverſum verò, quemadmodum impij ſumunt divinam illam eſcam in condemnationem, nec tam Chriſtum (qui ſusceptus in peccato illico eos deſerit) quam diabolum cum Iuda hæreditant: haud ſecus evenit malevolis, abutentibus matrimonio, et ante benedictionem ſacerdotis conſummantibus, aut perverſo fine, perinde ſicut equus & mulus, illud contrahentibus. Lemures ſibi una deſponſant. Obſervavit id perbelle Aodæus,

Prov. 19

cum ſcriberet in bona uxore plerumque domum duci bonum Angelum, in mala uxore diabolum. *Quando*, ait, *maritus uxorem domum ducit, non ſolum ut videtur uxorem accipit, ſed una cum ipſa quoque introducit, aut bonum ſibi dæmonem aut contrarium.* Plane ſicut in ſacra Synaxi aliud videtur, aliud continetur; videtur panis, continetur Chriſtus: ita in oblata conjuge, quæ jam tibi arridet, acblanditur, continetur aut bonus Genius, aut malus.

Stobæus ſer.69.

Id fortaſſe edixit Archangelus Raphael Tobiæ Iuniori perſuadendo ei matrimonium: *Audi me*, ait, & oſtendam tibi, qui ſunt quibus prævalere poſſit dæmonium. *Hi namque qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut deum à ſe, & ſua mente excludant, et ita libidini vacent, ſicut equus et mulus quibus non eſt intellectus; habet poteſtatem dæmonium ſuper eos.* Quod ſi itaque diabolum ſuſcipit mulier in malo viro, et vir in muliere perverſa, et ſi dæmonium hoc inter eos prævaleat, quis ejuſmodi nuptias inferno non conferat?

Tob.6.16. 17.

VI. Abraham Ben Esra docet vocabulum virago, quo primitus Adam conſortem ſuam ſalutavit in Hebraico idiomate verti *Ischa*, et continere unum nomen Dei *in ſe*, nimirum *Ia* quod idem eſt, ac qui eſt; quemadmodum ad Moyſen Dominus profatus eſt: *Ego ſum qui ſum*? Hoc nomen ait, perſeverat tardiu in matrimonio, quamdiu in timore Domini perſiſtentes ſe invicem complexantur, et ſtatui ſuo conformem vitam ducunt; Ubi verò aut recti repagula transiliunt, aut zelotypiæ ſpiritu ducuntur, aut alia ratione, Deum à mente ſua expungunt, perit IA, et reſtat duntaxat ISCH, *iuch*, ſeu ignis, & ignis. Conſtruitur infernus, aggeritur illius edacitati ſuſpicionum pabulum, ignis indies magis ac magis irritatur, devorans eos, uſque ad conſummationem. *Quoniam dura, ſicut infernus, æmulatio.* Dura ſicut infernus diviſio, contentio, paſſio. Quemadmodum in inferno impij ſeſe invicem proſcindunt; ita in matrimonio fulminato; Ut illi deum blaſphemant; ita hi fulguranr, maledictis, diris, imprecationibus; Ut inibs nullus ordo, ſed ſempiternus horror, ita & hic inhabitat; Ut ibi ſtridor dentium; non ſecus hic; ut ibi anima imprimis; ita hic animus maceratur, ac excarnificatur; ut inde quivis concupiſcit eximi; ita hic; ideoque & mottem ſibi mutuò apprecantur, advocant, aut ulttò adſciſcunt.

Matrimonium ſine DEO inferno ſimile.

Cant.8.6.

VII. In hodierno Evangelio, quum alii Ambroſium potarent nectar, & feſtivis cuncta inſonarent plauſibus, unus ad triſtes nænias, & extremas damnatus miſerias. *Projicite eum in tenebras exteriores.* Unde hoc? Invitatus is erat perinde ac alii; ſponſus, vel amicus ſponſi, ſicut cœteri; *Amice quomodo huc intraſti.* Unde ergo? Non aliunde, quam quod veſte nuptiali, ſeu charitate nudus, ac lacer inventus fuerat. Veſtis enim nuptialis charitas eſt, ſeu ut ſcribit S. Hieronymus, præcepta Domini ſunt, & opera, quæ complentur ex lege, & Evangelio, novique hominis efficiunt veſtimentum. Hac veluti talari veſte, longa, ac tata indutus unuſquiſque ad gaudia nuptiarum Agni admittitur; hac privatus in carcerem, in Orcum, in ignes, in tenebras proturbatur. *Projicite eum in tenebras* &c.

S. Greg. h. 38. in Evang. S. Hier. h.

VIII.

VIII. Ergo si ita est, & probi conjuges in hac vita paradysum auspicantur; Ergo si diabolus habet potestatem super eos, qui siniſtro affectu copulantur; aut consummant matrimonium antequam ineant; si semoto deo nihil supereſt, præter lamenta, si discissa veste nuptiali sibi infernum architectantur discordes; Deum immortalem, ubi manet ratio? ubi sensus? ubi obtutus, ut tantis sese obnoxios reddi fulminibus haud percellantur? Dicite, vos appello, & obtestor, quotquot album refert eorum, essetne quispiam vestrum tam perversæ mentis, qui conscius peccati lethalis, auderet mensæ Eucharisticæ accedere, sciens semet, non secus ac ludam, secundum buccellam sumptam, diabolum invasurum? Non credo in tam sancta civitate, ullum eo deveniſſe dementiæ. Quomodo itaque præsumet: matrimonium in eo statu contrahere, cum sibimet constet dœmonium habiturum potestatem in se, aut in sponsam pudorem ante tempus exuentē. Quomodo non timebit, ne ut animam in tali facinore diabolus occupat, ac possidet; ita in corpus dominium assumat, & ut illos septem procos, sic se in actu peccati strangulet; & ad Orcum demergat.

Dicite iterum, quis vestrum tam sideratus, qui ut suæ litet voluntati, ut modicam sorbillet voluptatulam, sese (exauthorato Numine) Cacodœmoni datis codicillis, sanguine suo exaratis mancipet? eadem brevissimè, aut ad momentum unū fruiturus? Heu scelus! heu portentum perditorum capitum! quis hoc sanæ mentis attentet mi Pater, dicitis? Ita sane respondeo, atramento, & sanguine non facile quispiam præsumet; sed prô dolor! quam multi atramente, & pessima voluntate. Quisque (ait S. Pater Augustinus) *peccando animam suam Diabulo vendit* (seu inscribit) *accepto tanquam pretio, dulcedine temporalis voluptatis.* *Aug. in Ep. ad Rom. 12. 42.*

Dicite, quis sibimet vellet, instar furentis Herculis pyram construere, in eadem suo malo conflagraturus? Vel quis domui suæ tœdam incensam subijceret, in qua certo certius sciret, se una cum sua familia exustulandum? Horret quisque ad tam horrendum facinus. Et cur ô vesani non perhorrescitis in animo, in connubio, non pyram, sed infernum construere, in quo hic aduri occipitis, altera in vita incendium æternaturi.

Dicite adhuc, nondum enim mihi satisfacio, quis cycladem propriam discerperet, præscius mille fulmina in caput suum, eo facto inflammaturum? Nemo sanè. Et utinam non sint, qui norunt, rupto charitatis paludamento, graviora sibi imminere fulgurita, & nihilo minus percelluntur? Audiunt ea de causa fulminantem uxorem, amicos propinquos, ecclesiastas, Deum ipsum, et surda aure excipiunt. O stulti, ô vesani, ô talpæ, ac exoculati ad spiritualia, & Lyncei, ac perspicaces ad corporalia! *Nonne anima plus est, quam corpus?* Nonne umbra est ignis gehennæ, respectu elementaris? Nonne vulnera spiritualia profundiora sunt, quam carnalia? si itaque dœmonem sævientem in corpus timetis, cur captivantem animam sugillatis? si ignem temporalem reformidatis, cur

illum æternum ridetis? si fulmina materialia defugitis, cur cœlestia à deo vobis intentata ultrò procuditis, & acceleratis? Quod si in vobis, vel acumen ullum ingenij, si quis radius intelligentiæ, aut prudentiæ supereſt, qui hocce tempore, emancipati à ſevitiis ad alium ſtatum propendetis, accurate, ut eundem fine optimo, illibati auſpicemini, ut in Domino nubatis, ut veſtem nuptialem integerrimam conſervetis; ne vobis in hoc mundo purgatorium, in alio infernum architectemini. Avertant id boni ſuperi. Amen.

CONCIO XLIX.

IN DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

Erat quidam Regulus cujus filius infirmabatur Capharnaum.

ARGUMENTUM.

CAPHARNAUM METROPOLIS MALORUM.

I. TRia M apud Latinos reperire eſt, quæ omnes perrumpunt excubias, omnia clauſtra perfringunt; omnia, quantumvis auguſta, occupant conclávia. A. Iſta ut manifeſtius ediſſeram, ſunt Miſeria, Morbus, Mors. Nullum quippe domicilium in hac mortalitatis noſtræ patria exhibere eſt, in quo Miſeria, & ſæpenumero cum acero non fuerit delibata. Nullum in quod Morbus non deflexerit; nullum, quod atra Mors æquo pede non pulſaverit.

Miſeria, morbus, mors ubique instant.

Dario Regi in lenimen, ex morte dilectæ conſortis, hauſti doloris, ſuaſum à Democrito, quatenus unam, alteramve domum inquiri demandaret, in qua nemo unquam atratus inceſſiſſet, quam nullus unquam caſus adverſus excepiſſet: nulla occupaſſet ægritudo, ad quam inexorabiles Deæ nunquam divertiſſent, & ſe demortuam ab inferis revocaturum. Acquievit conditioni Rex, & illico per ſuos exploratores acri indagine inquiri curavit ejuſmodi domos, ut rebatur extenſo pollice demonſtrandas. Quo tamen eventu? Cum magno ſtudio, ac ſolertia ſcrutati; ac percontati plurimas urbes fuiſſent, toto imperio, vel unam, quæ jam ætatem tuliſſet invenire potuerunt. In omnibus aut inquilinæ, & domeſticæ, aut hoſpites habitæ.

Has

Has tres Lamias ex hodierni Evangelij contextu conclavia Reguli Capharnaitarum subiisse accepimus, eaq; sui propemodum juris reddidisse. Quippe Miseria facto sibi per obstantes excubias aditu, totam regni sedem lamentis, & doloribus repleverat; Morbus corpus filii extremè afflixerat; Mors jacula sua in illum, jam jam depromenda, aptaverat. *Incipiebat enim mori.* Quâ viâ quæso in tam basilicas irrupêre ædes, vel qua via nos identidem eædem Lamiæ impetunt? Id inquirendum.

Miseria voluptatis pedissequa.

PARTITIO.

Etsi non rarò per arcanas semitas, & clandestinos cuniculos irrumpant; ut plurimum tamen alia via, cui insistant, non est, quam ea, qua venitur, vel itur Capharnaum. Quænam autem illa? Via nimirum voluptatis, & luxus. Id enim, S Hieronymo interprete, sonat Capharnaum ex Hebræo idiomate; & hæc est via trita, & præfatis contubernalibus, id est Miseriæ, Morbo, Morti usitatissima.

Mier h. l. & alii.

§. I.

Via regia Miseria ex Capharnaum.

II. ET enim ut de Miseria auspicer, eam à Capharnao, seu luxu & voluptate identidem proficisci, experientiâ ipsâ camprobatum est.

Ite liberis mentis passibus, & avidè peregrinantibus per orbē terrarum, lustrate deliciarum semitas; & earum vestigijs inhærere miseriarum, afflictionum, dolorum agmen deprehendetis. Libate innocentibus labijs universitatis gaudia, & in singulis dulcis & amari, luxus ac luctus mixturam reperietis. Ingredimini, si animus est, ædes basilicas, tectaque præclustria; occurrent vobis primo intuitu conchiliato peristromate vestiti parietes, lecti ostro, & purpurâ compositi, mensæ Apicij cupedijs, ac bellariis graves, famuli undosis spectabiles paludamentis, aliave adulterinæ beatitatis lenocinia. Hic illam dilectam vobis Deam, sequestrata procul calamitatum, ac curarum turba nidulari, hic morari, hic convivari ariolabimini. Ubi enim commodiorem habitura locum, atque in tam splendido, basilicovè domicilio. Verum si interiora conclavia, reductis quadantenus siparijs lustraveritis; animadvertetis vel chaos unum nihili, in diffusis late spatijs imaginarijs, vel ingens miseriarum agmen, & amaritudinum catervam accubare. Inaudietis aurum id omne, quod intus rutilat in ære esse, nec tot fila numerari posse bombycina, quot nomina prope contracta. Arbitrabimini vel in ipso vestibulo condensatas pauperum oppressorum querelas, & illas mellis medullas cado fellis temperatas, experiemini.

III Et ne forte in re tam seria hyperbole vobis uti videar, accedite propius, lectulum in quo resupinatur excutite, quibus rosis, aut flosculis instratum sit, scrutamini. Et ex ore illius audietis durissimis, acerbissimisque incrustatum aromatibus: *Aspersi*, inquit, *cubile meum, mirrha, & aloe, & cynamomo.* Quorsum istud Domini mei? Non ad gustum; quoniam myr-

Voluptatis Thalamus qualis Prov. 7. 17.

myrrha, & aloe, ut innui, acerbissima, & amarissima sunt; & si cynamomum lenocinatur palato, alia amaricant eundem. Non ad mollitiem; Liquet enim durissimas esse species illas, & myrrham lapidis instar excoctam. Eheu! quam rigidè recubat, quisquis aloe, & myrrhâ lectulum suum exasperat. Non etiam ad odorem. Quoniam nisi conterantur, aut incendantur tenuissimum ex se evaporant. Quorsum itaque delicias suas myrrhâ, & aloe attemperat; non nisi ut ostendat nullam sine amarore existere voluptatem, illamve, ut plurimum, plus amaritudinis creare in præcordijs, quam delectationis in faucibus. *Asperſi cubile meum myrrha* &c.

Eam mensa

IV. Inquirite ultra quem gustum embammata illa in abaco, quid mera in carchesio referant. Et indicabit vobis planiore, quam speratis responso: Moyses in cantico suo: *De vinea Sodomorum vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ: uva eorum uva fellis, & botri amarissimi.* Sodomorum fruges, & poma eminus spectata pulchra sunt, & mellita, at in se fœtida, ac fellita; exterius spetiosa, interius cineroſa. Quod eleganter adnotavit Hegesippus cum scriberet: *Spectes illic ad speciem poma viridantia, formatos uvarum racemos, ut edendi generent spectantibus cupiditatem, si carpas fatiscunt, et resolvuntur in cinerem.* Ad eundem modum voluptas ingreditur blandè, ac sapidè, in fine mordet, ut coluber.

Deut. 32. v. 32.

Hegesip. lib. 4. c. 18.

Indagate de aliis omnibus sensum sapientissimi Salomonis; & audite quid reponat: *Omnia*, inquit, *quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & delectaret se in his, quæ præparaveram.* Ædificavi mihi domos & sevi pomana, quæ vel ipso intuitu delicias ingenerarent; constitui cantores, & cantatrices; qui curas omnes, sono ipso à me arcerent; plantavi vineas, in quarum vindemia demergerentur, &c. Quid inde? Quo effectu? *Et vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem spiritus.* Reperi in cunctis verum malum, falsum bonum; reperi universa gaudia suffulta doloribus, omnia saccara temperata absynthio, omnia Massica aquâ nimium diluta. *Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem spiritus.*

Eccle. 2. 10.

Ibid. v. 11.

Gaudium cur punctum dicatur.

V. Miramini quo fundamento id dici queat, quum in ipsorum fronte ad amœnitatem exporrectissima sessitet hilaritas; risus in ore inambulet, cætera membra spirent gaudium, ac lætitiam. Quò quæritis? Eò quò dixit Iob sapientiæ non minus, quam patientiæ inclitum decus: *Gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Ad mensuram puncti unius acus subtilioris perennat; puncti quod nec longitudine, nec latitudine diffunditur; puncti de quo maxima inter Sophos quæstio, num differat à nihilo; puncti, quod terminus est lineæ subtilissimus, & acutissimus; puncti, quod pungit, & lædit conscientiam, sanitatem, vitam, honorem, æstimationem. *Gaudium hypocritæ ad instar puncti.*

Iob. 20. 5.

Oculi cur lachrymas scaturiant

VI, Seite à quibusdam disceptatur, qua de causa Author naturæ hominem ita efformaverit, ut ad lachrymas fundendas non aliud membrum quodpiam, quam oculos destinaverit. Non dedit auribus, nec contulit ori, nec alicui

cui alteri membro id officium, sed solis hirequis. Unde hoc? An quod oculus graviorem habeat lachrymarum occasionem? Ipse enim perspicit inter alios sensus evidentius supremi Numinis offensam; & quidni easdem (si germanus ejusdem est cultor) lachrymis expiare contendat. Ipse aliorum miseriam, nuditatem, mendicitatem, vulnera, & ulcera intuetur manifestius, quidni (nisi livido sit animo) indoleat tantis, aliisque proximi calamitatibus. Ipse semet contemplatur extorrem à cœlesti patria; exulem, & peregrinum in regione umbræ mortis degere; & quidni prodat aspectus, quod dolet affectus? Quidni irriget vultum torrente lachrymarum, & intra se suspiret? *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitari cum habitantibus cedar.* Sum in regione aliena, & in coloniam procul à patria positam demandatus; eheu quando revertar illuc in pace. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est.*

Psal. 119. 8

Persuadebit sibi alter id factum ad similitudinem mundi majoris, ac minoris. Quod enim in illo est cœlum, hoc in isto caput; quod in illo Phœbus, hoc in isto oculi. Ergo quemadmodum ille humoros, lymphasque attrahit: ita conveniens erat, ut & isti ex oceano cordis derivarent, & in campum faciei genarumque distillarent. Non diffiteor his, aliisque de causis ab Opifice naturæ eam oculorum, lachrymarumque conjunctionem fieri potuisse,

Attamen si profundius arcana divinæ sapientiæ consilia scrutemur, haud abs re fuerit conjecturare id sanctum esse; ut unde solatia imprimis influerent; inde lachrymæ, doloris indices exundarent. Nullus sensuum tanta pollet facultate ad hauriendas delicias, atque oculus. Os, aures, manus, suo identidem frustrantur desiderio, oculus rarissimè. Diploma universalissimum hic obtinet, ubi ubi placuerit, diffusa obire camporum amphitheatra, haurire illam jucundissimam silvarum varietatem, hortorum amœnitatem, fluviorum blande labentium suavitatem, lustrare turrium colophones, domorum propylea, arcium propugnacula (sæpe sæpius nō nisi ad illius sacrificandum genio architectata) valeat. Videte quid naturæ author fecerit. Siquidem, inquit oculus præ cæteris membris sibi indulgere novit, præ omnibus plectatur, haustas voluptates doloribus, ac lachrymis detergat, quavè portâ ingressum illæ sibi fecêre, eadem exturbentur. Sint oculi scopuli, ad quos allidantur, sint mare lachrymæ in quibus demergantur; vel certe voluptas, ac mœror in eadem sede morentur, in eadem oculi orbita volvantur, in eadem pupilla resupinentur.

Voluptatis ac luctuum eadem sedes.

VII. Valde paradoxum mihi semper visum est, quod in hunc finem è divinioris consilii arcanis protulit sapiens; dū aiebat: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii.* Consultius ire ad epulū sepulcrale, quam ad convivīū nuptiale; audire epiceniū, quā epithalamium, refici absynthio et aceto, quā ligurire massica, et Phalerna. Cujus veritatem, ut assequerer, omnes sensus meos tanquam inferioris scabelli proceres in consilium coegi, dicturos sententiam, quid sibi videretur. Oculus

Eccle. 7. 3

ut-

utpote princeps cœterorum primatum renuit, dicens: Mihi omni ex parte melius, ſapientiuſque videtur eundum ad domum convivii. Hic enim integrum erit intueri ornatum perſonarum præſentium, laquearia portatili forma decora, dapes non ad gulam duntaxat, ſed ad viſum ſatiandum patenarijs cohortibus inſtructiſſimas, luſus, ſaltuſque ad omnem hilaritatem corporis, animique in campum eductos, aliave haud mediocria lætitiæ ſpectacula arbitrari. At verò in domo luctus quid ſpeculabimur? Profecto nihil præter triſtes, ac dejectos vultus, cadaver exangue purulentum, fœtidum, atratos parietes, ferales ſcenas, et gemella Proſerpinis regnis ſimulachra. Succeſſit auris, & in eandem decidit ſententiam. Quid, inquit, deliràt ſapiens; itane illi caput hac in re rotatur? Nonne acceptius eſt lætum audire Pæana quam lugubres Præficarum nænias? Nonne magis arrident plauſus, quam planctus? Nonne vivacius excitant mærore ſopita præcordia feſtivę comediæ, quam lamentabiles tragædiæ? *Melius* itaque & meo judicio eſt, *ire ad domum convivii luctus.* Secundum ipſum inſanus ajebat Guſtus forem, quam niſi malim ire ad menſam opiparam, epuliſque refertam, quam ad abacum ſolo pane mucido & lachrymarum torrente ebrio inſtructam; ni malim haurire Liberum, quam lympham, niſi malim delectari cupedijs, quam obviis frui oleribus. *Melius eſt*, et meo cerebro, *ire ad domum convivij, quam luctus.* Conteſtatus idipſum Olfactus dicens: Ipſum ſupremum Numen thure & acerrâ colitur. Paſci præſtat odoribus, quam fœtoribus. Concluſit denique Tactus: Perbelle dicitis fratres, ego vobiſcum ſentio: *Melius eſt ire ad domum convivii quam luctus.* Jucundius mihi eſt tractare roſas, quam ſpinas; lilia, quam cadavera; aurum & laurum, quam ferrum & lutum: Hoc votum meorum ſenſuum, quaſi ſcabinorum extitit.

Verum quum ad ſupremum Intelligentiæ, ac ſanioris judicii Areopagum appellarem, patuit fatidico ore prolocutum eſſe. *Melius eſt ire ad domum luctus, quam* ad domum convivij. Etenim prout ibidem ratiocinatur; in domo convivij obliviſcimur finis noſtri, ac malorum, vel ipſis gaudijs impendentium; in domo luctus de ijſdem exactiſſime inſtruimur. *In ea enim finis cunctorum admonetur hominum* Non principium rei, ſed finis conſiderandus. Penſanda Voluptas non ut venit, ſed ut abit; non quam læta fronte accedat, ſed quam triſti recedat. *In illa finis cunctorum admonetur hominum.* In domo luctus manifeſtum evadit, quam miſerè pereant, qui voluptuoſiſſimè vixerunt. Inibi apparet, ut roſæ in ſpinas transformentur, mel in ſel, ſaccara in toxica. Ibi apparet viam regiam fuiſſe à delitiis ad dolores, à divitiis perperam expenſis ad pauperiem, à felicitate ad miſeriam. Ibi liquet nullum tam dulce bonum, quod non mixtum ſit poculo mœrorum. *In illa enim finis cunctorum admonetur hominum.* Ibi videmus ad quantam ille helluo miſeriam devenerit, quæ infamia ſardanapalum exceperit, quam tragicum ſaltum ementitæ illæ ſymphoniæ luſerint.

Voluptas penſanda ex fine

Ibid.

rint. Ibi palpamus, quomodo Domina illa, quæ ferme indies rhedâ extra pomœria solatiorum captandorum ergo vehi solita contabuerit; quomodo centonibus vestiantur, quondam induti purpurâ. *Ibi enim finis cunctorum admonetur hominum.* Sit itaque fixum, firmumque melius esse ire ad domum luctus, quam ad domum convivii, & ex Capharnaum, seu ex loco voluptatis proficisci, vel certe inibi commorari miseriam, luctum, calamitatem.

§. II.

Capharnaum ducit AEgram.

VIII Porro per eundem Capharnai, seu voluptatis callem ad nos provehi omnia morborum genera multò illustrius comprobatum est.

Argumentum stabiliendæ hujus veritatis assumo urbem Jerosolymitanam, & quæro, quonam in loco major pars hominum inibi languoribus pressa decumbat? Et audio supremum Regis regum Cancellarium dilectissimum dicentem: *Erat autem Ierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Bethsaida, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, exspectantium aquæ motum.* Quid verò istud? cur prope locum hunc, & non alium? Cur in porticu piscinæ istius & non in aliis? Non fundo dubium in piscina præcise; ita enim facile nodum quivis rescinderet, dicendo; id factum ad indicandum brevi futuros tam sanos, ac piscis in aqua; aut ad solatium decumbentium, quatenus ex perpetuo piscinæ motu, & labentium lympharum, nulla hic esse bona corporis immobilia, omnia mobila, fluxa, transitoria conjicerent, ac meditarentur; aut certe ad confirmandum sacri laticis mysterium. Quod quemadmodum per aquam hujus piscinæ ab Angelo agitatæ DEUS corpora sanabat, sic per laticem Baptismatis olim conferendam salutem. Id enim in typo tunc figurabatur, quod nostris temporibus, per descensionem sancti Spiritus, futurum nuntiabatur. Id dico nodus dubii mei non est; sed cur prope Bethsaidam? Cur hoc nomen, quod significat piscinam pecuariam inditum huic loco? An eo fine duntaxat, quod in eo pecora offerenda abluerentur; vel prope servarentur? An non idcirco verius, ut qui vitam pecudum instar duxissent, pecoribus aggregarentur, & morbis, infirmitatibusque compediti in eo Pandochio sacra Proserpinæ præstolarentur.

Ioan. 5. 2.

IX. Comminiscuntur Poetæ Iovem hominum amore captum misisse illis in solatium Deam gratiosissimam, seu in persona Dearum maximarum Voluptam. De cujus adventu certiores facti mortales obviis eam ulnis excepêre; hanc juvenis, hanc senex, hanc pauper, hanc dives ad deorũ usq; injuriam deperibat. Eòq; devenit eorũ vesania, ut relicto Jove, soli Voluptæ sacra facerent, illam invocarent, illam devenerarentur. Exacerbatus eam ob rem Jupiter, senatum Deorum coegit, quidnam hac in re sibi agendum consulturus. Non defuêre, qui trisulci fulmine petenda eorum capita decernerent, aut novo cataclysmo involvenda, aut fame, peste, bello de medio tollenda judicarent. Indignus enim est

Fabula de Voluptæ.

vita, quiſquis beneficia authori debita muneri, aut operi attribuit. Poſtremum Mercurii, idque ſapientiſſimum votum erat, ſubducendam eſſe Voluptam, & Ægeriam id eſt afflictiones, ægritudineſque in illius habitu ſufficiendas, ac ſubſtituendas eſſe. Approbatum illico votum eſt, & ipſius Mercurii executioni demandatum. Quid ille? Delapſus è ſupremo convexo in terras, inquirit ubinam Voluptas moraretur, invenitque multitudinem copioſam eam coronantem, pulſantem circum eam manibus, pedibuſque choreas agitantem. Hinc ut dextrè eam ſubducat ipſemet eam prehenſat, ſaltum ſimulat, & in eo, aliis aliò averſis ad Eremum proximam illa comitante deproperat; ubi Voluptâ deſpoliatâ Ægeriam inducit, & cum ea ad chorum revertitur. Quæritur interea ubivis, quonam Voluptas receſſerit, quonam loco moretur? Cum ecce Mercurius Ægeriam morborum, ac calamitatum matrem repræſentat in perſona dilectæ, quam Amasij ipſius fallente oculos habitu actutum complexi, non niſi ſero fraudem, & offucias Mercurii perſpexêre. Quo commento id nos edocere nitebantur, in caſſum nos hic vera ſectari gaudia, ubi perſonata ſunt omnia. Voluptati Ægeriam, ſeu ægrimoniam indiſſolubili vinculo conjunctam, per Capharnaum iter regium Ægram, ſeu ægritudini pandi.

Laert. X. Ea propter Democritus voluptatem morbo comitiali contulit, qui repente omnibus viribus hominem deſtituit, & in terram proſternit. Alii Cyrceo id toxico comparant, quod homines ad inſaniam redigit: Experientia ipſa ſeminarium quodpiam morborum demonſtrat, quod plures in homine progerminat ægritudines, quam tellus herbas ſalutiferas. Nimium hæc perſpicua ſunt, nec ab ullo ſanæ mentis negari queunt. O quam ſiderati ſunt itaque, qui conceſſis à Deo ſolatijs abutuntur, ad illicitas voluptates laxatis concupiſcentiæ frœnis properant, eruditum ad cupedias palatum copia ciborum exacuunt, Voluptam ſibi, ſecluſo deo, deſpondere allaborant. Noverint hi ſe ex amplexu illius brevi avellendos; ex paradiſo in agrum Damaſcenum deturbandos, ex Capharnao Ægræ futuros.

§. III.

Capharnaum mortis domicilium.

Voluptas proxenta mortis XI Quid dico Ægræ? Corripio memet, & ajo apud Lacheſim pernoctaturos. Hæc enim ſardanapalis comprimis infeſta eſt, eorum fila furtivâ forfice, dum minime ominantur, intercidit.

Chryſol. ſer. 41. de Jejunio Stupet Petrus Chryſologus quid cauſæ ſit, quod tam invicti Heroes, illi glorioſiſſimi Alexandri, fortiſſimi Hercules immatura morte defuncti ſint; & totam in luxum culpam conijcit. *Bella* inquit *gentium legimus ſuperaſſe quam plurimos, quos tamen pugnas carnis legimus non viciſſe, & audivimus eos dediſſe delictis pectora qui dorſa hoſtibus non dederunt.* Et mox cum gemitu exululat. Proh dolor! *victores gentium vitiorum fuiſſe captivos, ſtetiſſe inter ſævientes gladios, & inter enervata lenocinia corruiſſe, regnis fuiſſe terrori, ludibrio fuiſſe peccatis, adverſas acies contriviſſe jejunos, & crapulatos*

pulatos ſuarum caſtra diſſolviſſe virtutũ, facuiſſe effuſo vino, qui jacere effuſo ſanguine neſcierunt. Ita nimirum quos nulla vis hoſtium debellare valuit, eos ſtravit luxus, ac voluptas. Qui leones Lybicos jugularunt, iis manus violentas intulêre lenones. Quos nulla virtus enervare potuit, fregit, effœminavit, interemit vitium. Unde perbelle Poeta:

Quippe nec ira deum tantum, nec tela, nec hoſtes.
Quanta ſola nocet animis, illapſa voluptas.

In confeſſo eſt Babylonem typum extitiſſe omnis arrogantiæ, ac voluptatis. Huic ore Iſaiæ Vatis minatur Dominus: *Et erunt ſirenes in delubris voluptatis.* Bene hic ſibi quiſpiam illorum ominaretur, ſervituras illas ſuo genio, carmenque blandum decanaturos. Sed audite quid textus alter genuinus, ſeu originalis dicat: *Erunt dracones in delubris voluptatis*; qui nimirum eos virore ſuo vitient, ac de medio tollant. Necquicquam enim facilius, quam Sirenes transformantur in dracones.

Iſa.13.22.

Hebr.

XII. Sirenes comminiſcuntur Poetæ monſtra maris extitiſſe ore virgineo, & corpore parte unâ humanâ, alterâ draconinâ. Hæ tam blandè modulari ſolitæ, ut tranſeuntes nautæ earum vocum dulcedine delibuti, facile ſomno conciperentur, quos illæ ſubinde conſcenſo navigio ſtrangulabant, depaſcebantque. Symbolum id voluptatum noſtrarum, blandiuntur oculis formâ ſuâ, aures deliniunt modulis, cor occupant deſideriis, demum ſtrangulant.

XIII. Hinc Camerarius eas depingi fecit ludentes in mari tranquillo, & modulis ſuis naves vicinas faſcinantes, adjecto hoc Claudiani Lemmate: *Mortẽ dabit ipſa voluptas.* Vel ut Gamberto videtur: *Metuenda voluptas.* Voluptas enim ſiren eſt quæ delinitos, & fallaciis ſuis captos ſuffocat, ac ſtrangulat. *Mundus ſymb. l. 3. c. 52.*

XIV. Si animus cupiam eſt, videre ejuſmodi ſirenem, deflectat oculum ad hortum deliciarum, paradyſum voluptatis. Videbit in ea Evam omnium viventium Matriarcham obambulantem, & fructus ex una parte contemplantem, ex altera ſirenem facie virginea blandiſſimè modulantem: *Nequaquam moriemini, ſed eritis ſicut dii, ſcientes bonum, et malum.* Colent, et adorabunt vos omnia animantia terræ, penetrabitis arcaniora non naturæ duntaxat, ſed ipſius Divinitatis conſilia, nihil tibi abſconditum, nihil incognitum futurum. *Eritis ſicut dii.* Promicabunt illico radii ex corpore veſtro, & ſolis inſtar fulgurabitis. *Eritis ſicut dii.* Ecce ſirenem blandientem, audite jam mactantem: *Vidit igitur mulier quod bonum eſſet ſignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile; & tulit de fructu ejus, & comedit, deditque viro ſuo; & impleta eſt prædictio Domini: Quacunque die comederis morte morieris.* Sicque & ſe ipſam & poſteros ſuos toxico exitiali enecuit.

Gen.3.v.4.

Gen.2.17.

Quærit hoc loco S. Ambroſius cur ſathanas deo permittente in forma ſirenis, ſeu ſerpentis apparuerit? Cur non in forma alicujus aviculæ, aut alterius animantis? Et reſpondet præfatus Author, ut vel ex hoc ipſo pateret, quis voluptatis illicitæ fructus.

Amb. h. l.

Ei terra cibus, ſicut ſerpentis, qui ignorat cœleſtem; corporalibus enim paſcitur, atque in varias mutatur ſpecies, tortuoſis angulatur anfractibus; venenum in dentibus habet, quibus ſeſe voluptas internecat. Dum ridet rodit, dum blanditur necat, dum tangit ſtrangulat.

XV. Vultis aliam? Reſpicite Jahel uxorem Haber. Deflexit ad eam dux exercituum Regis Cananæorum Siſara, & fractus infauſto cum Iſraelitis certamine, ac fugâ, petiit ab ea hauſtū lactis. Cui illa promptè *utrem lactis aperuit, & dedit ei bibere*; utque requieſceret ſecurius, operuit eundem. Ecce illicium voluptatis; ecce ſirenem lenocinantem. ! Quid factum? Dilinitus illius blanditiis recubuit, altumque indormivit. *At Iahel tulit clavum tabernaculi, aſſumens pariter malleum, & ingreſſa abſconditè poſuit ſupra tempus capitis ejus clavum percuſſumque malleo defixit in cerebrum, uſque ad terram.* Luſus, ac curſus hic voluptatis ſolenniſſimus, propinat lac in manu, mel in ore, in manu fel & toxicum.

Iud.4.v.19.

Ib.v.21.

XVI. Vultis alias, atque alias? Audite occinentes: *Venite fruamur bonis quæ ſunt, & utamur creatura, tanquam in juventute celeriter. Vino optimo, & unguento pretioſiſſimo nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis, coronemus nos roſis antequam marceſcant.* An non ſirenum hæ voces, & illecebræ? At quis exitus? *Laſſati ſumus*, inquiunt, *in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus.* Quid nobis profuit *ſuperbia noſtra, & divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa, tanquam umbra*: Voluptas noſtra duravit per momentum, & in omne ævum manet tormentum, duximus in bonis dies noſtros, & in puncto ad infernum deſcendimus. Ita dum roſis coronamur, ſtatim anguibus cingimur; viperiſque criniti, non ſcuto Gorgonem, ſed cervice præferimus.

Sap.2.6.7.

Ibid.v.5.

XVII. Compertus hic probè exitus erat Academiæ Altorfianæ, ideoque ut alumnos ſuos à noxiis voluptatibus avocaret, efformavit ſirenem oſſium acervo, perinde ac throno ſuo inſidentem, ac obvios blande crepundiis, ac bellariis ſolicitantem: *Venite fruamur bonis dum ſunt &c.* Parte ex altera ſtabat juvenis oculos avertens, ac reclamans: *At me veſtigia terrent.* Video, quod cuncta tendant prorſum, nulla retrorſum, ſcio multos tranſiiſſe ad vos, nullos ſalvos rediiſſe ad nos. *At me veſtigia terrent.* Intueor infra vos acervum oſſium, circum miſeros, & afflictos; conſpicor faciem virginis, & caudam draconis. *Me me veſtigia terrent.* *Tipot. in ſymb.*

XVIII. Hic ſenſus, hæc prudētia tua deberet eſſe mi Chriſtiane. Audis allicientem ſirenem venenatam, ſororē perverſam, aut ſocium ad amores illicitos; dic: *At me veſtigia terrent.* Audis alterum ad compotationis, comeſſationes, crapulam adurgentem &c. repete *Me me veſtigia terrent.* Novi, ah novi, quid aliis evenerit, nec me latet, cur hæc aut illa Domina, cur hic vel ille quondam dominus, nunc pauper Lazarus mendicet; exploratum, qua de cauſa hic infirmitate laboret, immaturâ alter morte præventus ſit, liquidum, quod dum roſis amœnamur, anguibus inhorremus. *Hæc*

me

me vestigia terrent. Tanti haud emo pœnitere, valete gaudia, gymnasia acerbissimarum ægritudinum, valete quisquiliarum epulæ.

XIX De Ulisse in paucis prudentissimo refertur, quod cum eidem sirenum latibula enaviganda forent, aures cerâ obturasse, seque ad malum navis alligari præcepisse, ac sic indemnem præternavigasse. O verè ingeniosum inventum! ô deprædicandâ mille titulis prudentiam! Utinam, utinam eandem Christiani imitarentur; utinam in navigatione sua per mundi hujus Oceanum, ad malum sanctæ crucis, feriæ meditationis funiculis sese alligarent? O quam securè hæc monstra transirent, quam prosperè portum felicitatis, spretis sirenum modulis obtinerent. Qui enim illicitis inhœrere potest voluptatibus, qui meminit ad eas expiandas Filium DEI, vindicem suum, tam dura, ac dira perpessum? Eritne quispiam tam impotens sui, qui cibo, potuque nimio abutatur, dum perpendit Redemptorem suum felle, & aceto potatum? Fierine potest, ut affectibus carnis abstraheretur, qui meditatur ea propter sequestrum suum ad columnam dirissime flagellis cœsum? Fierine potest, ut frœnos suos laxet cupiditatibus, recordando ad eos contrahendos eundem crudeli in stipite, clavis trabalibus confixum? Quod si tamen quispiam tam effrenis est, ut in tam arcto salutis, exitiique confinio licentiæ litet; is timeat ne has lamias, miseriam, morbum, mortem, inquilinas habeat. A quibus ille nos defendat, qui citra terminum vivit, ac regnat, Amen.

Crux refugium in tentationibus

CONCIO L.

IN DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

Tenens suffocabat eum. Matth. 18.

ARGUMENTUM.

Mare felleum naufragiis infame.

seu

IN FELLEO PECTORE NAUFRAGATUR FIDES, SPES, CHARITAS.

1. PEr Deum qualenam hoc est monstrum, quod nobis in hodierno Evangelio objicitur? Aud. Quale monstrum cujus vultus pallore mutatur, ignescunt oculi, tremit corpus, cor palpitat? Quale monstrium, quod frontem atra nube supercilij exasperat, frendet dentibus, pedibus solum quatit velut ungulis, ac totius corporis habitu efferum præsefert ingenium? Quale monstrum quod rabie afficitur ut canis, rugit ut leo,

Ira monstrum

leo, proterit cuncta ut aper fulmineus, alium supplicem apprehensum gutture stringit, & offocat ac lupus ? Si SS. Patres consulo omnes prope ex cœtu hominum liturant illud, & belluas inter reponunt, ac literant.

Nihilominus cum indicia quædam hominis forinsecus præse ferat, descendam profundius ad præcordia ipsius; exenterabo illa, inspecturus num quidpiam hominis Christiani, vel in hoc monstro iracundiæ, vel in aliis similibus superstit.

PARTITIO.

Quidquid in homine Christiano sanctum, ac divinum reperitur id est vel Fides, vel Spes, vel Charitas, vel quidquid ex iis procedit. At vero hæc ita in felleo pectore demerguntur, ut miaus, quam umbra superstit.

§. I.

Charitatis naufragium in furibundo.

Ira confligit contra charitatem.

II. Et primum quidem, quod aliis etiam criminibus gravioribus cognatum est, invadit, & pessumdat Charitatem. Etsi enim iracundia mansuetudini directè opponitur, cum qua ex natura inimicatur: attamen in effectibus suis indirectè adversum se confligunt. Et inveterata iracundia ipsum est odium, ex radice sua charitatem exterminans.

S. Paulus Apostolus in Epistola sua prima ad Corynthios describens charitatem ab effectibus suis ait: *Charitas patiens est benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia sustinet, omnia credit, omnia sperat.* Vult dicere: Vidistis conjuges se invicem tenerè amantes, quam familiariter inter se conversentur, quam blandè se invicem alloquantur, ut vir mulieri cedat, mulier è contra viro deferat, ut sibi mutuò condoleant, consolentur, congaudeant, apprecentur; effectus hi charitatis sunt: *Quia Charitas benigna est, &c.* Vidistis matrem filiolo affectam, ut blanditur, ut excusat, ut palliat defectus ipsius, ut optima quæque de eo credat, ac speret, ut conniveat illi, ut sufferat ipsas, decoquatque injurias; effectus hi charitatis sunt; quia: *Charitas patiens est &c.* Vidistis sodales, solius opificii communione colligatos, quantopere sibi afficiantur; ut si aliò quempiam peregrinari contigerit, manticam ipsius succollent, alter alteri præripiat, & præfixum ad terminum deportet, invicem tractent, amplexentur, exosculentur; effectus hi charitatis sunt. *Charitas enim patiens est.* &c. Hæc omnia mala, omnes injurias sustinet, bona sua communicat, meliora quæque de proximo credit, sibique persuadet.

1 *Cor.* 13. 4. 5. 6.

Quid jam iracundia machinatur? Vel verbulũ unũ proximi obsequentibus humeris, aut aure clementiore excipere dedignatur; invidet proximi successibus, & ipsius lucra, sua ducit detrimenta. Ad ipsum proximi intuitum, efferatur, furit, spumat, felleamque latrinam in linguam evocat. Si forsitan illum non minus asperum offenderit; tum verò imprimis veluti echones, in desertis locis, ad petras allisæ, fulmineas reciprocant voces; ut in spheristerio pilam ludij, sic illi contumelias incipiunt, &

Iracundiæ effectus.

& remittunt; ut gladiatores in duello; sic illi inter se linguæ hastis confligunt. Hic asinum indigitat, ille pecudem; hic objectat ganeam, ille scorta; hic perfidiam, ille violentiam, hic ferrum minatur, ille crucem. Perquam erudita in hoc genere mulierum familia est, quæ non infrequenter, uti quondam uxor, ac soror Moysis inter se belligerant, seque mutuo proscindunt. v. g. Tu Æthiopissa, tu Ægyptia, tu glauca tu lippa; tu strigosa, tu tympani stria, tu colli-curva, tu nasilonga, quoad ad absurdiora quæque ab honestis auribus longè aliena delabantur. Et quisquãne in his, vel scintillã charitatis superesse sibi imaginabitur? In tam amaris præcordiis spiritum S. nidulari nobis persuadebimus?

III. Proficiscente rege Joram, ac Josaphat armatâ acie, per desertũ contra regem Moab; totus exercitus siti extrema conficiebatur, cadebatque animis. Quippe dies jam septima volvebatur, à quo nec guttam in vasta illa solitudine nacti fuissent. Actũ jam de se rebantur & victimas hostium instantium sese futuros, cum rege Ioram intonante, exu-
4. Reg. 3. 10 lulabant: *Heu heu, congregavit nos dominus tres reges, ut traderet in manus Moab.* Qui enim langnentibus nostris præ deliquio copiis hosti resistere poterimus? Quis militum animosè, pancraticeque dexteram in hostem vibrabit, qui vix ferre pedem queunt. Conclamatum de aristis, quæ nullo irrigantur imbre, jacta itidem alea de nobis, quos potus penuria graviore prosternit ruinâ, quam gladius. *Heutieu.*

Audiit hos threnos rex Josaphat, & ad saniora consilia cælitus advocanda, Joram adhortatur, unaq; cum eodem ad Elisæum vatem in exercitu præsentem deflexit. Hic primo ipsius adventu duriusculè in regem Joram, ob idolomaniam illius invectus, pietate Josaphat ad cõmiserandum tandem commoveri se passus est; præcepitq; advocari sibi psaltem; quo canente: *Facta est super eum manus domini, & prophetavit.* *Ibid. v. 15.* Quæso quid istud mysterii? Quid spiritui S. cum musica? Itanè is, qui requiescit super humilem, & contritum, seu compunctum corde, jam exambit symphoniã? Itanè qui supra amaras quondam lachrymarum ferebatur undas, jam deliciatur in cymbalis, choris, & organis? Itanè & malum è Saule Genium expulit, & divinissimum Pneuma advocat musica? Eja choraulæ mei aptate fides, ac cytharas, animate tubas, psallite tympanis, & organis; cælestem hunc hospitem super nos invocaturi. *Facta est super eum manus domini. &c.*

Spiritus S. ira contraria Rabbi Salom. h. l.

Rabbi Salomon in hunc locum asserit id ea propter eveniss̃e; quod Elisæus paulò ante severius in regem stomachatus fuerit; & quamvis ira illa ex zelo divinæ gloriæ processerit nihilominus spiritus S. qui verè charitas Dei est, & amator pacis renuit abundantiore illapsu in vatem descendere, quoad animum suavi cõcentu ad mansuetudinem composuisset. Ita nimirum Alcedonia ille amat, & ubi tempestas in præcordiis nostris exurgit avolat, nec prius remigrat, quam animo ad malatiam composito. Et vel hinc decernite apud vosmetipsos, si hospes hic divinissimus quadantenus exulat, ubi justâ Nemesi exacerbatur Vates; quantò amplius ubi quis violentis abreptus Furiis fremit, frendetq; & Erynnes universas Erebo advocat. Exesse, exesse cogitur ille, ubi est discrepantia animorũ,

ab

ubi pectus in felle amaritudinis, ubi in rabiem excandescunt

Mare mortuum quale Philo lib. de Abrah.

IV. De mari mortuo scribit Philo Judæus, quod continuo fumum, ac sulphur, quasi reliquias sodomitici exhalet incendii. Nuncupatur autem mortuum, eò quod hecquicquam in illo vivat, & si pisces impetu Jordanis in illud influant, illico extinguantur. Mare jure optimo pectus felleum dixero, quod decumanis agitatur indignationis fluctibus, quod undas furoris, jam in altum attollit, jam per languorem præcipitat, quod nutrit monstra multiformia; quod ex sese concipit iras.

Ira mare, et mortuum

Etsi enim Notus nullus, acerque procellis Eurus desæviat; etsi Aquilones Æolio constricti teneantur antro; attamen istud elementare ex visceribus suis concipit, gignitque furores: æquationeira dementatus nullis provocatus injurijs, aut despectu, nulla auxilii spe frustratus, nullo fraudis, aut mendacii aucupio circumventus debachatur. Et ut nullum tam placatum, tranquillumq; reperire est, quod subindè æstibus reciprocantium non agitetur procellarum: ita nemo mortalium, qui nonnunquam exasperetur affectu. Mare imprimis mortuum, est pectus bile repletum; quod incessanter in sulphur verborum, fumumque vindictæ exæstuat, in quo nihil omnino vivit, omnibus operibus ipsius emortuis, utpote charitatis; seu gratiæ anima destitutis. Actum itaq; ut in omni alio peccato, tum imprimis in ira cum charitate est; absorbetur illa à mari amaritudinis, & rancoris; & ut lympha extinguit flammam, ita iracundia charitatem.

§. II.

Spei demersio in irato

V. Verum non charitatis duntaxat flamma in hoc mari extinguitur; ac demergitur; sed & ipsa spes anchorâ suâ destituitur. Etenim quam spem gloriæ, ac beatitatis sempiternæ fovere potest, qui de via illius regia, patientia inquam exorbitat? Definitum siquidem in omnes est: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Peroratum contra singulos, *Non potieris, ni potiaris.* Edictum exiit à summis Cæsaribus pugnandum, si triumphare volumus, ferendum si coronam obtinere contendimus, perreptandum per viam crucis, si minimè fallacibus ad cœlestem patriam contendere gestimus orbitis. Quisquis huic edicto contranititur, quisquis aliam sectatur viam, is à meta securæ sempiternæque voluptatis; toto exerrabit empyreo.

Iracundo spes præscinditur

VI Quam spem nutrire poterit illius felicitatis, qui veste nuptiali destitutus; qui sordibus peccatorum suorum tamquam deploide coopertus. Certum enim, atque infallibile est, quoniam: *nihil coinquinatum intrabit in regna cœlorum.* In dubium etiã, nisi nos ex intimis medullis condonaverimus injurias proximis nostris, nec nobis fore condonandas. Siquidem & hic lege adamantina sanctum est. *Dimittite, & dimittemini. Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra.* Non speretis desuper jubilarium peccatorum vestrorum, nisi vos pariter indulseritis erratis proximorum. Si pauca dimittitis, pauca vobis dimittentur, si multa, multa, si nihil, nihil.

Apoc. 21. 27

Matth. 6. 15

Etsi

Etsi omnes sancti pro nobis mediatores sese interponerent, etsi Mater Dei supplex advolveretur, non obtinebitis veniam, & gratiam. Etenim ut sapientissimè argumentatur Ecclesiasticus: *Homo homini reservat iram, & à Deo quærit medelam; in hominem sibi similem non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecabitur, quis exorabit pro peccatis ejus?* Homo cum sit contemptibilissimæ naturæ, carne mortali, fragili, infirma constans, & is, cui indignatur, æqualis omnino conditionis cum ipso; interim à Deo maximo, potentissimo, sanctissimo præsumit veniam exorare, quis cælestium spirituum pro tam nefario, sceleste, ingrato audeat preces Deo offerre? quis exposcere, quatenus ipsum noxis eximat, erga immisericordem misericors esse velit, erga furibundum mitem se ostendat, & impunitatem neganti proximo, jubilarium indulgeat. Hoc planè in cassum sibi quispiam pollicetur, & occinit; hoc frustra sibi à suis Patronis iracundus appromittit. Indignum enim est illi veniam exorare, qui in ultionem alterius minus forsitan rei assurgit. Indignum pro eo supplices manus tendere, qui in jugulum alterius digitos stringit. Indignum gladium furoris domini ab eo avertere, qui suum in alterius caput vibrat. Indignum & infandum sanguinem Christi interponere pro eo, qui proximi sitit, aut jam libavit.

Eccli. 28. 3. 4. 5.

Iracundus indignus misericordia

Si Domino cuipiam servus suus, villicus suus, centenos nummos aureos deberet, qui alteri unum, aut alterum credidisset, & ille servo huic mandaret, quatenus illos nummos in sui gratiam remitteret debitori suo adjecta stipulatione, se illi in duplo concessurum; immo totum creditum remissurum; & is posthabito Domini sui imperio debitorem illum suum in vincula conjiceret, aut in ergastulum compingeret; An quisquam pro illo interveniret? An ullus è manibus furoris ipsius eliberare adniteretur? An quispiam miseriis ipsius indoleret? Nemo sanè.

Planè hanc versuram nobiscum facere, aut potius permittere intendit Dominus noster. Nos illi obærati sumus multis nominibus, nec sumus solvendo, etsi millies nos ei in servos perpetuos devoveremus. Quid facit ipse? Ecce suggerit medium leve, & facile: *Dimittite, & dimittemini.* Quisque vestrum habet quidpiam debiti apud proximum suum; (nemo enim est, qui vel in fama minimum per suspicionem aliorum, aut etiam judicia temeraria læsus non sit,) remittite vos hoc minimum vestrum proximo, & ego cedam meo. Si itaq; non dimittimus, si ad tam rationabilem, tam sanctam, tam utilem versuram non descendimus; si minima non condonamus, quomodo nobis majora, & graviora condonabit. *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra.* Nulla vobis supereest spes gratiæ, nulla indulgentiæ.

VII. Replico tertiò, quid spei, aut fiduciæ superesse potest, quum ipse vivorum, ac mortuorum Judex pridem in ejusmodi damnationis fulmen detorserit, dicens: *Omnis qui irascitur fratri suo reus erit judicio. Qui autem dixerit raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Hoc est; quisquis citra

Ira condemnatio

causam rationabilem stomachatus fuerit, quisquis non ad correptionem alterius, sed ad confusionem ipsius, & animo vindictæ fatuum proclamaverit, reus erit judicii, reus mortis, & æternæ damnationis supplicio; reus erit tophet id est gehennalis incendij. A quo fulmine ne se quispiam securum existimet, adjecit *omnis* sive princeps, sive subditus, sive vir, sive uxor, sive juvenis sive senex obnoxius erit flammis infernalibus. Quem itaque terrorem nobis ea incutere non debeant, qui toties inflammamus citra causam, qui alios non tantum fatuos, sed perjuros, veneficos, sacrilegos proclamamus, qui in fermento iracundiæ totis noctibus, immo mensibus decumbimus: Si enim ob minora exæstuantis animi argumenta, tam feralis posita est sententia; quænam nos manet spes, immo quanta nos condemnatio manet, qui aliis gravissima imprecamur, qui despuimus, ac calumniamur cæteros, qui à verbis ad verbera in furore procedimus. Dico his, si vel mare rubrum subeant cum Pharaone, si vel sanguinem fundant, naufragaturos.

Sapricii & Nicephori historia Baron. tom. 3. An. D. 260. 1. 32.

VIII Perspicuum ac summè tragicum in hanc rem exemplum, quod perinde ac Pharon respiciamus in Sapricio sacerdote Ecclesiastica proponit historia. Erat hic tam arctè prænobili viro Nicephoro fœderatus, ut alter in alterum transiisse videretur. Verum ut res cunctæ, & ipsæ amicitiæ mortalium mortales, & nihil tam firmum, quod vitio temporum non debilitetur; nihil tam serenum, quod identidem nubium sipario non obducatur; nihil tam arctè fasciatum, quod non solvatur: haud dispari ratione necessitudini istorum evenit. Ruptus est funiculus triplex, interceßit nescio quidpiam simultatis, jacta est scintilla, à verbo unico minus considerate prolato incendium paritura, nec sanguinis profluvio extinguendum. Rapitur interim Sapricius sacerrima ex causa, ut testis Christi, torquetur, cruciatur, in catasta extenditur; ferrum, & ignes superat, vitam ipsam volens, lubensque oppignorat martyrio, & quasi jam victor ad agonem contendit. Audit hæc Nicephorus, & memor illius in se aversionis illico accurrit, advolvitur, veniam exorat, pretia redemptionis interponit. Sed allisæ ad hanc durissimam petram voces, ne quidem echonem reddidêre. Progreditur interim cum scenico Martyre, precesque iterat, quin & lachrymis ferrea intentat emollire præcordia. At actum agit, explodit, protruditque, belluinis prostratum calcibus. Quid ad hæc æther? Destinatam Sapricio palmam subtrahit, Nicephoroque pollucet. Perjurat ille Christum Deum, hic propalam confitetur; ille evadit mancipium mundi, & diaboli, hic servus Christi, & inquilinus cœli; ille æterna morte momentaneæ vitæ spatium mercatus est; hic glorioßa morte vitam sine fine permansuram.

Hæc fabula vobiscum luditur ô stomachosi, qui ne quidem cum supplicibus redire in gratiam, aut deprecantes noxæ eximere vultis. Illi in sua manßuetudine terram promißionis possidebunt, à qua vos in furore vestro obstinatos, æternum exululabitis esse proscriptos, & si unam jam cum Sa-

Sapricio in aditis cœlorum plantam fixistis, in orcum deturbabimini.

Eapropter piè sanctèque monet Dominus: *Esto consentiens adversario tuo, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius judici, & judex tradat te ministris, & mittaris in carcerem.* Ne differas ad agonem, in quo tibi cum aliis luctandum hostibus erit, remitte dum in tua est potestate priusquam citeris, & compareas ante tribunal severissimum Iudicis, ne perdas causam animæ tuæ. Imitare homines prudentes, & versatos, qui controversias suas ante curiam malunt componere, quam dubiæ, & ancipiti aleæ committere. Norunt enim si urnis res decidatur Areopagiticis, identidem se, & pecuniæ, & temporis, & famæ subire dispendia. Ne tibi idem eveniat esto consentiens adversario tuo, indulge, remitte noxam, ne mittaris cum hodierno servo nequam in carcerem, & extremo plectaris supplicio.

Matth. 5 25.

§. III.

Fidei subversio in ira.

Iracundia fidem emedullat.

IX. In aliis vitiis id evenit, ut sublata Spe, & Charitate fidei minimum fundamentum subsistat. At vero iracundia & ipsum subruit, atque pervertit. Etenim fide salvifica certum est, cuncta in numero, pondere, ac mensura, à divina providentia esse perpensa, librataq; & altissimo ipsius, sapientissimoque consilio cuncta gubernari. Ipse enim est, qui præfigit terminos tumentibus fluctibus maris, dicens: *Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Ipse est, qui attingit à fine ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter, infima per media, media per summa, ad suos fines cuncta perducens. Ipse, ut ait Isaias Vates *generans lucem, & faciens tenebras, faciens pacem & creans malum.* Ipse est, qui capillos capitis nostri in numerato habet, & citra cujus imperium capillus de capite nostro perire nequit. Ipse est, sine cujus permissione, nec passerculus unus in terram decidit. Ipse ut olim Israelitas in prodigiis, & portentis per mare rubrum transduxit in terram promissionis: ita etiamnum quotidie per medios fluctus, per tumentes procellas, per brevia, & sirtes, per prosperos & adversos casus ad portum æternæ felicitatis deducit.

Iob. 38.

Sap. 8.

Isa. 45. 7.

Luc. 12. Matth. 10.

Id quum ita sit, vos ego auditores Iudices appello exurgite, dicite quidquamne fidei in eo vigere arbitramini, qui casus sinistros tam adversa fronte excipit, qui homines divosque cœlites per omne nefas lacessit, qui bilem in proximum conceptam per integra lustra non digerit, qui indies Furiis immolat, & Ethnica veluti superstitione imbutus, credit fortunam, insanam, cœcam, brutam, quæ omnia susque deque vertat, nec quicquam arbitretur, quo se vertat, applicet, ideoque indignatur, fremit, ringitur. Dicite hunc credit, à Deo cuncta provenire, aut immitti, nec ipsum sine licentia sathanam posse quicquam nocere? Profectò si crederet eo disponente cuncta fieri ad periclitandam ipsius patientiam, sedatis irarum fluctibus sese ad mansuetudinem componeret, omnia aspera illi lævigarentur in plana, fellea condirentur in dul-

cia, horrida transformarentur in amabilia.

Fides Ioseph Patriarchæ.

X. Credidit Ioseph Patriarcha hanc divinam Providentiam, & hac fide motus fratribus graviſſimam injuriam, odium ſcilicet peracerbum, homicidium intentatum, venditionem, & ſervitutem condonavit. Cum enim Patre defuncto reformidarent fratres ne pœnas illatæ ſibi injuriæ ab iis repoſceret, miſerunt ad eum proxenetam, qui parentis nomine eum adjuraret, ne ſe vindicaret. *Gen. 49.* *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus: obſecro ut oblivi ſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati, atque malitiæ, quam exercuerunt in te.* Quid ad hæc Ioſephus? *Nolite timere. Num dei poſſumus reſiſtere voluntati? Vos cogitaſtis de me malum, ſed deus vertit illud in bonum.* Cur tantum geniti patris meminiſtis? Habemus alium ingenitum, immortalem, inſpectorem, gubernatoremque omnium, cujus inſcrutabili directione cuncta fiunt. Proinde ut illi in acceptis referre hanc tentationem debeo; ita eundem in teſtem accipio, me bona fide vobiſcum acturum, & ex animo remiſſurum omnia.

Item, Iob.

Credidit Iob extremã illã tentationẽ à Numine probè conſcio, & ſuã aut exercente patientiã, aut flagellante ſocordiam provenire, & hilari fronte, fortunis omnibus, ac prole viduatus, *Iob. 1. 21.* exclamavit: *Dominus dedit, dominus abſtulit, ſicut Domino placuit ita factum eſt, ſit nomen domini benedictum.* Dominus fecit, non ſervus; Deus, non diabolus rapuit camelos; Cœlites, non Chaldæi abduxêre armenta, Dominus oppreſſit, non ventus, Dominus locutus eſt contra me, non proximus: *Sicut Domino placuit ita factum.*

Credidit rex david, & maledictis, ac improperiis in fuga ſua, à facie Salomonis impetitus per Semei, inhibuit milites ſuos vindictam ſitientes, dicens: *Quid mihi, & vobis eſt filii Sarviæ? Dimittite eum, ut maledicat, Dominus enim præcepit ei ut malediceret David. Et quis eſt, qui audeat dicere, quare ſic fecerit.* Quid canis inſtar lapidem prehenſem, cum ipſe fecerit, vel jecerit? *2. Reg. 16. 10.* Quid in fulmen refulminem, cum ipſe miſerit? Quid contra Boream buccas inflem, cum ipſe ſuſcitaverit? Urſa, ſi videat catulos ſuos à ſuperiore fulminis potentia proſtratos, mittit furores, quum non habeat, in quem dentem figat. Subditus ſi à domino ipſo corrigatur, ſæpius in gratiis reponit. Iam verò, cum deo permittente, id factum ſit, quis ego ſum, ut contradicam ſermonibus ejus? *Dimittite ut maledicat. Dominus enim præcepit ei, &c.* Hanc patientiam in eo operata eſt, ac religionem, fides, ex qua maledictionem Semei, vocat dei mandatum, cui non ſit reſiſtendum. Equidem non erat Dei voluntas, ut Semei malediceret Davidi, ſed erat Dei voluntas, ut david patienter ferret maledictum. Et quis eſt qui audeat dicere, quare ſic fecerit. Plus ſpectavit david ſuam humiliationem, quam deus intendebat, quã culpam ſemei, quam permittebat.

Item David.

Si itaque par in iracundo fides inveniretur, nonne concinneret his ſanctis dicens: *Dominus dedit, Dominus præcepit ut malediceret. Sicut domino placuit, ita factum.* Verũ cũ id non faciat, nimis veſper-

vespertina est fides ipsius; si non, quod multis evenit, omnino illam ejuravit.

Iracundi apostata Socrat. hist. Eccl. lib. 3. c. 19

XI. De Porphyrio recenset Socrates eum à nonnullis probis viris reprehensum, quod cum Iuliano, aliisque Ethnicis nimiam familiaritatem nutriret; quum præ immodica iracundia, (qua sæpe velut æstu quopiam abripiebatur) id ferre nequiret; à Christianis labaris animum, ad execrandos idolorum cultus transduxisse; stilumque ad sanctissimam dei religionem sacrilegâ contumaciâ violandam acuisse. Ita victus cœca, ac impotente dominatione animi, simul mentem, fidem sanctissimam, Deumque perdidit; ac propudiosissimam vitam suam, exitu plane funesto concluſit.

De alio monumentis S. Augustini, & aliorum celebratum est, eum importunitate muscarum victum in Manichæorũ hæresim prolapsũ, & diabolũ conditorem muscarum, vermium, immo ferarum omnium professum esse.

Et quid aliud sonat professio fidei aliorum efferatorum, quando dicunt, an deus non est in cœlis, qui vindicet? an non infernus, qui absorbeat? non est diabolus qui rapiat, non est providentia, non est justitia. Dicite an non hoc sit publice fidem ejurasse vel in Atheismum vel Paganismum prolapsos esse?

Unde liquidum evadit, vel explicitè, vel implicitè minimum eos fidem ejurare, qui iniquè efferantur. Liquidum Fidem, Spem, Charitatem in felleo naufragari pectore.

Quapropter Auditores mei si tantorum bonorum naufragium reformidamus, non simus præcipites ad furores. Caveamus ne iracundia præveniat rationem, secumque una voluntatem in præceps trahat. Etenim dum perturbata mens judicium sanæ rationis exasperat, omne quod furor suggerit justum putat. Unum contrarium pro altero, falsum pro vero apprehendit, & furorem suum Themidem reputat. Caveamus, sicubi animum potentius pulsaverit, ne dentem figat, sed perinde ac viperam ocius de sinu excutiamus. Caveamus dico à furore, ne fide, spe, charitate frustremur. In rebus temporalibus tam cati, tam prudentes sumus, ut ad vitanda majora dispendia minora contemnamus. Nemo enim lucro unius nummi sibi damnum mercatur millenorum. Cur idem in spiritualibus non facimus, & ne fide, spe, charitate dei excidamus, vindictam, aut vanæ gloriæ fumum mittimus? Cur proximo non condonamus?

Hoc à nobis efflagitat sequester noster Christus Iesus, qui ut nos reconciliaret, ne mactari quidem recusavit. Ille eum in finẽ manũ suam extendit in ligno, ut illam nobis in testimonium fœderis offerret, neve nostram dare detrectaremus? Ille, qui tanta egit apud Patrem pro nostra reconciliatione? & exauditus est pro sua reverẽtia, nihilne evincet apud nos pro fratris reconciliatione? An Christi authoritas minoris erit ponderis quam apud Patrem? An apud nos minus dabimus precibus ipsius, quã hominibus cõcedere solemus?

Philemoni cuipiam servus erat, qui hero suo non pauca furatus aufugit; sed in fuga interceptus, et carceri mancipatus fuerat. Pro eo proxenetam sese interposuit S. Paulus,

& his verbis Dominum ipsius convenit: *Obsecro te pro filio meo, quem genui in vinculis Onesimo, qui tibi aliquando inutilis fuit. Si habes me socium, suscipe illum, sicut me, si autem aliquid nocuit tibi, aut debet hoc mihi imputa.* Ego Paulus scripsi *manu mea, ego reddam.* Quæ verba expendens S. Chrysostomus exclamat: Quem lapidem ista non flecterent, non emollirent? Quam immanem licet belluam hæc in mansuetudinem non verterent? ipsumque humanissimè suscipere persuaderent? *Scripsit* hæc Paulus & persuasit: Eadem Christus, eadem Deus noster nobis inculcat: *Mihi vindictam ego retribuam. Dimittite & dimittemini.* Mihi dona hanc injuriam ego reddam; mihi imputa, satisfaciam. Hancne illi gratiam facere recusabimus? Non obtinebit à nobis Deus noster, quod Paulus ab alio sibi simili? Demus, demus hoc illi, quatenus majore erga illa fide ac spe ferri possimus, & compressis exacerbati animi commotionibus arctius invicem complectamur. Amen.

Ad Philem. v. 10.

CONCIO LI.

IN DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. Matth. 22.

ARGUMENTUM.

NUMISMA CENSUS, NUMINI PENDENDUM, AD LYDIUM LAPIDEM PROBATUR.

1. Fallit me, num toties latrent canes, quoties hoc tempore canina hæc vox, ac litera auditur: *Reddite Reddite.* Multiplicant illam pro Cæsaris parte Oeconomi, Thesaurarii, Notarii; iterant eandem Ecclesiastæ, quin & ipsa Conscientia à parte Numinis: *Reddite, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari &c.*

Tradit Ælianus furum quempiam intempesta nocte templum Æsculapii Athenis effregisse, atque inde pretiosissima quæq; asportasse. Notavit id canis in vicinia, qui tamdiu latrando furem insecutus; quoad scelus suum propalam fassus esset, pœnasque meritas dedisset. Ad eundem prope modum, (si tamen prorsus nondum obsurduimus) nos ipsa incessanter allatrat, atque infestat conscientia: *Reddite Reddite, quæ sunt Dei deo.* Reddite Numisma census. Quodnam illud, quod Deo reddere obstringimur?

Ælian l. 7. c. 13. hist. animal.

PAR-

PARTITIO

Hugo in c. 7. Matt.

Eminentissimus Cardinalis Hugo explanans D. Matthæum, trifariam cœlestis curiæ monetam ex Ecclesiæ sensu definit. Ait enim: *Moneta sunt opera bona, quibus emitur regnum cælorum, videlicet: Iejunium, Eleemosyna, Oratio. Hæc sunt moneta Regis nostri.* Causam subdit: *Quia in his invenitur imago ejus secundum tres substantias in ipso, carnem, animam, naturam Verbi.* Per jejunium assimilamur carni ejus, per Eleemosynam animæ, per orationem naturæ Verbi.

PARS I. PROTHESIS.

§. I.

Moneta prima probata in cœlesti Curia, est Iejunium.

Iejunium moneta ad solvenda debita

IN Ergo prima moneta, quam accurare, & coacervare obstringimur est Jejunium, afflictio animi, mortificatio, seu vexatio corporis. Hæc moneta cuditur, quum aut ultrò assumptis flagellis, carnem nostram excarnificamus; aut à deo immissas angustias, ac miserias in patientia sustinemus.

Imago sæculi Soc.

Inter emblemata, Imaginis primi sæculi, societatis nostræ, visitur monetaria incus, cum forma matrice, adjecto lemmate: *Dant pretium plagæ.* Ictibus incudis accedit metallo & pretium, & effigies prætiosa regum. Suppar nostræ conditio naturæ est ex ipsis plagis imaginem Christi, quem sequimur referimus, & ab ipso nobis crescit gloria ferro.

Plato apud Eusebium naturam nostram describens, ait; *Omnes in orbe fratres sumus, sed cum Deus nos fingeret aurum cum illis miscuit, qui apti sunt ad regimen; argentum cum illis, qui armis urbem defendunt, ferrum & æs, agricolis infudit.* Apparet hoc aurum, in quorumdam cœsarie, argentum in facie, ac cervice, æs in naso aut cuprum, ferrum in aliis membris, sed si signatum non est, æstimabile non est in aula regis superni; nisi cudatur, nisi imago Christi crucifixi imprimatur, non probatur. *Dant pretium plagæ.* Quò quis plura, ac graviora pro dei gloria sustinuerit, eò ditior erit. Accumulat opes, qui non lædit, à quo læsus est, qui læsus remittit, & cui potuit nocere, parcit; qui æquanimiter pro Domino suo adversa suffert, aut etiam animosè in se ipsum desævit. *Dant pretium plagæ.* Has quisquis subire formidat, imaginem carnis Christi in se suscipere detrectat.

Eusseb. lib. 12 prop. 28.

De uxore sua olim, vel ridendo, dixit Philosophus, illam si vel aurea foret, nullâ tamen unquam monetâ signandam. Cur istud? Quia nimirum nec ictum, nec verbum asperum mariti ferre potuit. Potiore jure id in eos quadrat, qui sine ictu nummum signari, sine ulla doloris, morbi, aut adversi tollerantia Christi in se imaginem recipi posse ominantur. Sit sane aureus frater, si ictui ferendo impar est, moneta esse Numinis nequit. Sit soror aurea, si verbo cedit, aut exasperatur, moneta esse proba refugit. Sit alter pius, modestus, devotus nisi tollerans nisi patiens una fuerit probus, ac probatus non reputabitur. Omnis enim cœlestis patriæ moneta

signari

signari debet, idque in forma T. seu signum crucis Christi. Hac qui destituitur ibidem neutiquam acceptatur. Etenim quemadmodum non omnes Philippei in terris probati sunt; ita neo in cœlis valorem obtinent.

Mundus Crucifixus

III Invenire est alium signatum cruce equitum, suntque ii, qui sensu quantumvis distorto, illis Apostoli verbis gloriari queunt: *Mihi mundus Crucifixus est.* An enim non ingens Crucifixus mundus? Certe sudavit ille potentissimè in Noacheo diluvio, usque ad mortem omnium prope sensibilium. Captus est frequentissimè, & à militibus jam ad Assyrios, ac Persas, tanquam ad Annam & Caiphan ductus. Ab his ad Græcos, seu Alexandrum, veluti alterum Herodem tractus; Tandem ab his ad Romanos seu Pilatum traductus. Flagellatus itidem gravissime, quà grandine, quà virga pestilentiæ, quà loro servitutis, qua bacillis cædium. Coronâ ab eodem momento, ex quo tellus jussa proferre spinas, & tribulos germinare, spineâ non unâ redimitus. Bajulat tandem crucem multifariam, eiq; affixus agonizat, sole identidem ecclypsim subeunte. Ubi demum animam aget, tota cœli machina fatiscet, ac dissolvetur. An non igitur Crucifixus mundus? An non multis impressus, & à multis adoratus? Neque enim facilis inventu est, qui eum generoso pede proculcet; aut impressam medullis non circumferat. Sed non idcirco moneta probata reputabitur. *Gal. 6. 14.*

IV. Invenire est alios cruce, Carvacensi dicta, signatos. In ea videntur duæ cruces simul junctæ, & una quidem paululum minor, altera autem major, ac latior. Quâ sat appositè arbitror virum, ac mulierem adumbratam. Sæpius enim vir uxoris, & uxor viri crux est. Sæpius & suam propriam, & consortis sustinere cogitur. Si inter eos vir jure suo primatum teneat, & uxor subsit in omnibus, ac pareat, minorem ille, majorem ista crucis hujus formam conficit. Si è contra uxor dominetur, viro obsecundante eidem, tum hic graviorem, illa leviorem partem succollare cogitur. *Mulier Crux & vir*

Sensit credo gravitatem crucis hujus simplex ille, qui cum forte audiisset verba illa Evangelii: *Qui vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me.* uxorem susceptam in humeros, tulisse fertur ad templum, exorando enixe, quatenus tolleret eam Dominus à se. Sensit & ille alter, qui jussus demergere, quod gravissimum, apprehendit uxorem dicens: Hoc meum onus, hæc crux gravissima est. Sentiunt si quando moribus, aut conditione, aut ætate nimium dispares jungantur: tunc enim scitissime sibi aptare illud S. Pauli queunt: *Vetus homo noster simul crucifixus est.* Ego illi crux, ille mihi, simul in crucem acti sumus. *Mar. 8. 34. Luc. 9. 23. Rom. 6. 6.*

V. Invenire est alios ad formam crucis S. Turibii, vel potius *turobionii* effigiatos. Ipsimet sibi, nescio quæ ligna fabricant, ex iisque cruces componunt, vel certè fabricatas ab aliis vermiculis, aut puncturis variis ad majorem suum dolorem, vel potius impatientiam incrustant. Illi nimirum, qui phantasiâ suâ illas cruces compingunt, &

& solâ imaginatione dedolant, aut erigunt.

VI. Invenire tandem, qui latronum cruce premantur, eamque ut inviti tolerant; ita contra eam fulminant, illamque detestantur. Omnes isti videntur esse literati signo T. & esse Philippei, seu moneta cruce signata. Sed numquid omnes probantur? Numquid cuncti inter probatam calculantur monetam? Haud equidem. Habet & Diabolus suos Philippeos, habet suos suspensos in cruce Amanos, habet Pincernas, habet martyres suos, habet reges ipsos. Premit & ille suam monetam cruce multò graviore, ac intolerabiliore, quam ullus alter.

VII. Distinguit itaque hanc monetam ab invicem S. Paulus dicens: *Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*, q. d. Illi qui in thesaurum Christi inferuntur sunt hi, qui carnem, ac concupiscentiam, & naturam corruptam, cum invisceratis, perversâ consuetudine, vitiis; suisque concupiscentiis crucifixerunt. Illi sunt, qui carnem ipsam vitiatam, quasi fomitem concupiscentiarum castigant, & per jejunia, cilicia, labores, pœnitentias subigunt. Illi sunt, qui in carne sua imaginem carnis Christi confixæ, adnituntur circumferre. Ut quemadmodum Christus spontanea voluntate, amore Dei Patris sui, & nostri, sese omnibus abdicavit voluptatibus, gravissimisque subjecit pœnis: ita ipsi amore ipsius renuntiant blanditiis, ac mundi illecebris, se ipsos castigant, & immissas desuper afflictiones patienter, immo hilariter perferunt.

Moneta jejunii quæ probata. Gal. 5. 24.

Hoc à nobis exposcit Princeps Apostolorum, dicens: *Christo in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini.* Videte, ut cum Christus Dominus vester, tantas afflictiones in corpore suo exceperit, qui alioqui, ut beatus, omnibus lætitiis incedere, omnibus voluptatib⁹ perfrui debuisset; & vos ad tolerantiam adversitatum excitemini. Videte, ut quemadmodum Christus crucifixus est pro vobis, ita & vos crucifixi sitis mundo; ejusq; pompis, ac vitiis. Videte, ut tota vita vestra, eam proferat figuram, ac speciem, quam habuit Christus cruci confixus. *1. Pet. 4, 1.*

Hoc intendebat dicere Paulus verbis supra citatis: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*; id est S. Bernardo Interprete: Quæcunque mundus reputat crucem, ego delitias reputo, & quæ mundus ducit in delitiis, ego crucem existimo. Omnia quæ mundus amat, crux mihi sunt, puta delectatio carnis, honores, divitiæ, vanæ hominum laudes, quæ verò mundus reputat crucem, illis affixus sum, illis adhæreo, illa totis complector præcordiis. *Gal. 6. 16.*

Quisquis hac ratione constitutus est, qui hunc in modum cudit argentum suum, carnem suam, is sacculum probatissimæ monetæ, eò copiosiorē habiturus est, quò generosiùs corp⁹ suū, & vitiosas animi sui affectiones edomuerit.

§. II.

Altera moneta probatissima Eleemosyna.

Eleemosyna sæculus in exhaustus. Eccli. 17. 18

VII. PErgit præfatus Cardinalis, & alteram monetā probatissimam assignat Eleemosynam. De hac scribit sapiens: *Eleemosyna viri, quasi sæculus cū ipso.* Quemadmodū in sæculo viaticum repo-

reponitur, ad quod in neceſſitate recurratur; ita Eleemoſyna in morte, ac via ad alteram vitam nobis ſubvenit, omneſque neceſſitates profligat. *Eleemoſyna viri quaſi ſacculus cum ipſo.* Illa Doctore D. Ambroſio nobis hoſpitium futuræ manſionis conducit: *Sola* inquit *nos ſequitur miſericordia, quæ cœleſtium prævia manſionum, pecuniæ vilis uſura, tabernacula defunctis acquirit æterna.* Ubi enim hinc emigraverimus nullus futurus à latere, à pedibus, ab aliis obſequiis, præter ipſam. Tunc enim pompa omnis ad ſarcophagum alliſa in ſpumas abibit. *Hucuſque pervenies & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Tunc amici terga vertent, nec ultra, quam ad tumulum proſequentur. Tunc conſiderabis ad dextram, & ſiniſtram, & non erit, qui te cognoſcat. Sola miſericordia, ſi fortè illam tibi in vita deſponſaveras, comes futura, & proviſura in omnibus. *Eleemoſyna viri quaſi ſacculus cum ipſo.* Hæc contracta peccatorum expunget nomina, & ab ipſis Orci vindicabit ergaſtulis. Nam ut ait S. Auguſtinus: *Ante fores gehennæ excubat & neminem finit in carcerem mitti, & quicunque miſertus fuerit, miſerebitur ejus, & ſi quis non fuerit miſertus, non miſerebitur illius.* Ipſi, teſte S. Chryſoſtomo, cœli aperiuntur, & ea veluti regina intrante (cum ſuo cliente) nullus ſanitorum, qui portis aſſiſtunt audes dicere, unde es tu? vel unde venis, Regina namque eſt, quidquid vult obtinet.

Ambr. l. 7. in Lucam.

Job. 38. 11.

Aug. ſer. 39. ex 50.

Chryſoſt. h. 23. in Ep. ad Ebr.

IX. De pecunia noſtra cecinit Horatius:

Et genus, & formâ regina pecunia donat.

Illa fibulam, illa faſces, illa clavas nundinatur; illa ex Therſite format Narciſſum; ex ſurdis auritos, ex talpis lynces. Qui ante hac cæcum ſe domi ſentiebat, habitâ, aut collatâ pecuniâ, illico videt officia, Capitaneatus, mitras. Qui ante ſurdaſter fuerat nec bonum verbum ab ullo audivit, jam evadit auritus, audit vota, promiſſa, gratulationes. Qui mutus, nec audebat hiſcere jam loquitur diſertiſſimè, cuncta ad miraculum prope illi obveniunt. Par eſt ratio Reginæ miſericordiæ apud ſuperos, ipſa conciliat aures, inflectit oculos, confert viſionem benevoli Numinis &c. Et genus cœleſte, & formam filiorum Dei regina Eleemoſyna donat. *Pecuniæ & miſericordiæ effectus.*

Hanc monetam, hunc ſacculum quatenus ſedulò accuremus, monet ipſe vivorum, ac mortuorum Judex; dicens: *Vendite quæ poſſidetis, & date Eleemoſynam, facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis.* Date modicum, ut accipiatis centuplum; date terram ut accipiatis regnum; date micam, ut accipiatis totum; date nummum ut accipiatis cœlum; date temporalia, ut accipiatis æterna. Quidquid pro anima veſtra feceritis veſtrum eſt; quidquid hic non diſpenſaveritis peritum eſt. Quidquid pauperi contuleritis habebitis in centuplo; quidquid reconditum ſervaſtis habiturus eſt alter. *Luc. 12. 33.*

X. Attamen ut monera iſta proba ſit, ac recipi mereatur, neceſſe eſt, ut ferat imaginem animæ Chriſti deſcendentis ad inferos, & de miſeria, ac captivitate educturæ afflictos; ſeu quatenus illam in Eleemoſynam dedit, & pretium redemptionis noſtræ. *Tradidit enim* *Eleemoſyna quid reſpicere debeat.* *Iſa. 53.*

enim pro nobis in mortẽ animã suã. Quemadmodũ Christus solã respexit miseriã nostram, & gloriã Patris sui, dans semetipsum in lytrum redemptionis nostræ; ita nos ad elargiendam Eleemosynam, sola indigentia pauperis, & amor Numinis incitare deberet. Sive itaque sit sacerdos, sive Religiosus, sive cognatus, nihil in illo aliud consideres, quam DEUM, ob quem, seu cujus gratia erogas; & miseriam, seu pauperiem ipsius, ut illi consules. *Si oculos monetæ huic impressisti, quibus purpuram respiceres, vitiasti aurum tuum, immutatus est color optimus, sanguis hic, quem respexisti, te tandem daturus est in ruborem. Si tubas itidem adjunxisti, misisti pecuniam tuam in sacculum pertusum; recepisti mercedem tuam in hac vita, in alia ultra non expectandam.* Etsi enim ingrata Eleemosyna non sit, quæ videtur ab hominibus; exosa tamen est illa, quę ideo fit, ut videatur. Si solam remunerationem, & cognationem respectas, Turcicos, seu Vallachicos, & Rigenses solidos, nihil profuturos coacervas. Nam si *benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia, siquidem & peccatores hoc faciunt.* Si itidem minuta, si accisa est, integritas ei defutura, quo minus recipiatur. Etsi enim in paupere ad emendum cœlum obulus sufficit, diviti non sufficit. Ille intuitu conditionis suæ dat, quod potest, tu multo minus dispensas, quam possis. Quæ ergo paritas, aut æquitas intra utrumque? Si nihil das, ferrea es moneta; *ferrea* (quod de epulone detonuit S. Chrysologus) *viscera in crudeli nutris anima.* Certè aurum nullum est, ubi misericordia exulat, sed scoria, & rubigo flammis deputata. *Qui clauserit*, ait S. Joannes dilectus Domini discipulus, *viscera sua ab eo* (paupere nimirum) *quomodo charitas Dei remanet in eo?* Qui non dat ingenti panem suum, quomodo ex charitate daret animam suam.

Eleemosyna personata.

Luc. 6. 33.

Chrysol. 121

1. Ioan. 3. 18.

§. III.

Tertia moneta apud Cœlites usitata Oratio.

XI. MOneta tertia juxta eundem Doctorem est Oratio. Hæc si rite fiat, vere aurea est, & apud superos receptissima. Quippe hæc prope sola potissimum præscribitur, eaque ut plurimùm ad cœlestia munera impetranda utimur.

Oratio moneta.

Vulgariter dicitur: Qui pecuniam habet, omnia habet. Aurum quisquis habet superos mercatur & astra. Quidquid oculis delectabile, quidquid cupiditati acceptabile, quidquid delitiarum, quidquid cupediarum, quidquid palato acceptum, id omne, vel ab ultimis Americæ partibus asportatur, & ad tinnitum pecuniarum advolat. Idem ego edico de oratione, hanc quisquis tenet, omnia obtinet; superos mercatur, & astra. Vinctus erat Petrus, plurimisq; innodatus catenis; ubi autem hæc moneta deposita ab Ecclesia (*Oratio enim fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo*) illico eum solvit & è carcere liberrimum eduxit. Demersus in profundum maris Jonas; *Et oravit ad Dominum Deum suum de ventre piscis*; & dixit Dominus pisci, & evomuit Jonam in aridam. Oppressus erat David angustiis, & miseriis à persequente se Domino suo, & cum tribularetur clamavit ad Dominum, & Dominus exaudivit eum.

Act. 12.

Jonæ 2. 2.

Psal. 106. 6.

eum. In neceſſitate conſtituti alii, & ea interveniente, liberati ſunt. Quippe; Omnipotens cum ſit oratio omnia poteſt, & parem cum Diis vim obtinet. Stemma ipſius ſagitta Domini eſt cum Lemmate: *Aſſequitur quodcunque petit.* Nubes penetrat fulmine ocior, ſaxa, & rupes pervadit. Inæſtimabilis item cum ſit, magni penditur à cœlitibus. Uno ſuſpirio decem millium talentorum debitum ſolvit; uno anhelitu cylindros gratiarum mercatur; uno pio ditat deſiderio. Aurum hoc liquefit, quum animus ad orationem diſponitur, & à ſcoria peccati emundatur; cuditur, quum pectus tunditur, aut cor conteritur. Imago imprimitur quum mens ad Deum elevatur; igni affectuum exardeſcente, & exæſtuante.

XII. Nec proba hæc moneta eſt, niſi in ſe imaginem verbi eodem docente Cardinale contineat. In quo? aut qua ratione? Docent Theologi ex cognitione deitatis, ac rerum omnium poſſibilium gigni, & una cum Patre æterno ſpirare ſpiritum ſanctum. Ad eundem prope modum ſeſe habere debet oratio noſtra. Imprimis procedat ex cognitione ſupremę, divinę majeſtatis, quę invocatur, & colitur. Quò enim major futura illius cognitio, eò etiam elevatior ſubſecutura reverentia, ac devotio. Ut enim qui hominem ſummatem quempiam eſſe ignorat cum quo ſermocinatur, minus illi honoris defert: pari ratione quiſquis immenſam illam majeſtatem minus ſibi obiicit, minus illam adorat, deveneraturque. Deinde ſpiret Spiritum S. ſeu amorem divinum, cum ſumma & affectuoſa Deo ſeſe conjungendi promptitudine, ac deſiderio. Proprium enim orationis munus eſt, ſpei firmitatem, & incrementa tribuere; dum videt ſe tam facilè compotem fieri; & charitatem inflammare adverſus eum, à quo tot, tantiſq; cumulatur beneficiis. *Quid eſt autem Oratio,* inquit D. Auguſtinus, *niſi aſcenſio de terre-* Aug. *ſtribus ad cœleſtia, inquiſitio ſupernorũ, inviſibilium deſiderium. Oratio conjunctio eſt Spiritus Sancti.* Ipſa conglutinat Deo, & aſſiſtere ſe Domino gloriatur; ipſa attrahit illum ad ſe, ſeque illi per invocationis affectum viciſſim tradit, ac conglutinat. Hac imagine ſi cuſa, ſi expreſſa fuerit, oratio pervadet aëra, perrumpet cœlos, & ad ipſiuſmet Divinitatis admittetur ſubſellia.

PARS II. APODOSIS.

XIII. SUbſiſtamus hic paululum, & ut aliàs monetam vulgarem ad calculos revocamus, ita hanc ſpecialem, ac empyream diſcutiamus exactiùs. Fingamus nos evocari ad reddendas rationes, ad computandos proventus, & lucra facta ex talentis à Domino concreditis. Statuamus Angelum Tutelarem nos deduci ad tribunal Domini, & ibidem quaſi effuſo pretio, & lucro dicere: *Ecce homo, & opera ejus.* Hæc eſt moneta ipſius, hæc fecit, tuliſque lucra. Quantum tunc quæſo divitiarum cumulum oſtentaremus? Quãtum theſaurum collegiſſe ex jejuniis noſtris, Eleemoſynis, orationibus, gloriari poſſemus? Fateor non deeſſe qui ſeſe macerent, corpuſque extenuant jejuniis, qui ciliciis, aut catenis, tanquam lapato coercent; diſciplinis dentatis tanquam calcaribus ad bonum incitent, qui aliis graventur crucibus. Verùm enimverò ſi monetam hanc ad Lydium lapidem carnis Chriſti periciter; vereor, ne plus adulterinæ, quam

quam probatæ inveniam. Quæ enim patientia noſtra in adverſis, in doloribus, infirmitatibus, in calumniis in nos effuſis? Quis jejuniorum tenor? Ita jejunamus, ut ſemper ſaturi ſimus. Sæpius non tam temperantiæ, quam gulæ in abſtinentiis militamus. Ordinatur patinaria acies, non ad ædificationem, ſed ſubverſionem jejunii. Præcedit phalanx cum croceo vexillo; ſequitur alia, in niveo, griſeo, nigro, ceruleo; ſuccedunt demum aliæ, atque aliæ Ungaricæ, Turcicæ, Gallicæ, Italicæ cohortes. Quid in his tutum temperantiæ? Committuntur velitationes idque Herculeis carcheſiis; quibus cum Libero Patri liberrimè litant, capitis vertiginem in deditiſſimam ſubjectionem ad pedes uſque demittunt. Et cujus hæc imago, atque ſuperſcriptio? Hæccine imago Chriſti jejunantis? Hæccine icon pœnitentis, & afflictæ animæ? O nos ſideratos ſi nobis quaſi de abſtinentia cum tali fronte blandimur; ſi inter afflictionum ſpinas, roſas venamur; ſi mortificationes, ſi afflictationes, ſi jejunia tali forma, aut ſpecie depingimus, quæ non niſi in hoc carni Chriſti crucifixæ eſt ſimilis, quod ejus imaginem reddat è contrario.

Luxus ciborum & potus.

XIV. Verùm locupletiores forſitan erimus in metallo miſericordiæ. Utinam id non ad ferrum propiùs, quam ad aurum, aut argentum accedat. Abſit à me ut culpem univerſos. Novi viros, novi fœminas, novi matronas miſericordiarum, quorum pietas largiſſimis ſeſe liberalitatis, ac beneficentiæ diffundit alveis; Quanquam & parum novit ſiniſtra, quid faciat dextera. Experiuntur tamen proximi in proximis, identidem non tam viſcera miſericordiæ, quam ferrea tenaciſſimæ avaritiæ. Mallet alter dare animam ſuam; (mammonæ utique non Deo) quam nummum unum alterumve pauperibus erogare. Notantur perinde, ac Leones in pauperes ſtipem emendicantes inflammari, ſtomachari, exprobrare defectus ipſorum. Et hæccine, repeto, eſt imago, & ſuperſcriptio miſericordiæ? Hæccine ſunt lineamenta Abrahæ, ſedentis in tentorio, & peregrinos præſtolantis? Hæccine imago animæ Chriſti, pro nobis in Eleemoſynam, ſeu litrum ſeſe conſecrantis? Non cuditur ab his numiſma miſericordiæ, ſed difflatur, non diteſcit hac ratione anima, ſed depauperatur. Moneta hæc non cœli ſed inferni eſt; non Chriſti, ſed epulonis imagine ſignata.

Avaritia taxatur.

XV. Reſtat ergo orationum noſtrarum cenſus, ſupereſt moneta verbo Dei ſignata. Hâc fortè abundabimus baſilicè. Crediderim id ego, niſi paracharagmatica foret. Nemo enim Chriſtianorum eſt, qui in dies ſingulos illam non cudat, qui mane, ac veſperi eam non colligat. At quando eam penſiculatius examino; quando obſervo bene multos non tantum pudoris, ac reverentiæ Regi cœlorum, adorandæ ſemper majeſtati deferre, quantum ſervi Dominis ſuis carnalibus, aut milites ducibus, aut amici amicis; quando audio alios non tam Deum in vota, quam terrena commoda vocare, quando ex memet diſco genibus humi poſitis, & ore temerè inaniterque garriente, mentem per ædes, per fora divagare, & neſcio quæ inania ſimulachra proponere, dicere vel contra

Orationum defectus.

meret sententiam cogor, non tam in monetaria, quam potius in taberna versari; non tam cudere monetam ad exolvendum debita, quam ad multiplicandum eadem. Ut proinde verè sanctus ille enuntiaverit: si Numen optimum solas irreverentias, ac defectus in oratione committi solitos vindicare vellet, sufficientissima ex iis habere fundamenta, ac causas, ad nos in æternum fulminandos.

Eheu quantopere itaque nos percelli par est, ne nobis subinde exprobret, ut quondam Angelo Laodiciæ: *Tu dicis, quia dives sum, & locupletatus, & nullius egeo; & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus & nudus.* Tu arbitraris te multa collegisse in jejuniis tuis, Eleemosynis, orationibus tuis, & ecce deprehendo te pauperem, mendicum, destitutum omni proba moneta. Quam timendum, ne nobis idem eveniat, quod Balthasari in urnis divinis appenso. Inventus est ille minus habens, & regno exutus, inveniantur forsitan non pauci ex nobis quibus idem exprobrabitur, idemque manet decretum. Quam reformidandum, ne ut quondam reprobravit Judaicam monetam proscripsitque eam dicens: *Argentum reprobum vocate cor, quia Dominus projecit eos*: ita & nos subinde externet: *Argentum reprobum vocate eos.* Adulterina hæc est moneta, ementitũ ac flatile aurum, non est facies mea in illa, non est digna thesauro meo, projicite eam in sufflatorium clibanis ignis inextinguibilis. Reddite illam Cæsari suo, principi tenebrarum.

Act. 3. 17.

Hypocrisis.

Ier. 6. 30.

Quod si ita est, quid spei habere possumus, ex nostra tam falsa, tam adultera moneta. Si paracharacta quispiam, si falsarius monetæ inveniretur nonne is reus læsæ regiæ, aut Cæsareæ Majestatis haberetur; nonne scelus suum exquisitis eluere cogeretur supplicüs? Tam enormis apud mortales monetæ falsificatio est; ut si princeps in aliquo triumpho, aut publica solemnitate remittat omnia crimina; falsarius minimè comprehendatur. Ergo cum tantopere vindicetur id scelus in moneta transitoria, terrena, lutea, quantopere non vindicabitur in cœlesti, spirituali, pro æternorum bonorum possessione, & hæreditate cumulanda?

Quid itaque agendum? Ecce Benignitas Dei ut nos ad pœnitentiam adducat in patientia præstolatur nos, monetque ut deinceps adulterare monetam caveamus, ut dum tempus est probatam cudamus, & accuremus. In hunc finem offert imprimis monetariam officinam, templum suum, in quo eandem conficiamus, offert matricem formam Christum, quatenus eum imitemur, sufficit malleum timoris, quo eam excudamus. Satagite itaque, ut per hanc monetam bonorum operum, certam vocationem vestram faciatis; ut eadem possessiones regni cœlestis mercari, & obtinere mereamini.

Fiat Christe JESU tuo Numine,
tuâ gratiâ & benedictione.
Amen.

CON-

CONCIO LII.

IN DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

Puella dormit.

ARGUMENTUM.

SOPORIFERUM PROPINATUM.

I. HAud sam effrontes Parcæ sunt, ut vulgò à pictoribus, atque Poëtis adumbrantur; nec tam inhospitales, quin commercia, ac societatem admittant. *Aud.* Suis & illi feruntur amoribus, suis congaudent fraternitatibus. Somnus certe, quem nos ipsi deperimus, eam cum morte affinitatem obtinet, ut ipsius, & simulachrum, & frater, quà Poëtarum carminibus, quà Philosophorum argumentis, quà sacrarum literarum oraculis habeatur. Et sanè, non sine Numine inter lectum, & Lethum; inter thalamum, & tumulum, ita ominis, ut nominis affinitas est. Nam quemadmodum morituris, sic domituris omnis vestium ornatus detrahitur. Ut isti in grabato; sic illi in sandapila resupinantur; oculis clausis, manibus compositis, porrectis pedibus, omnique externorum sensuum officio destituti. Ut in illis, sic in istis oblivio, & ignorantia præteritorum omnium comitatur. Ut à dormitione somni; sic à mortis lethargo tandem excitabimur. *Canet enim tuba* (surgite mortui) *& mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.* 1. Cor. 15. 52

Mortis & somni cognatio.

Noverat id probè Christianus Philosophus Justus Lipsius, qui morbo ingravescente, ut decumberet, ex medicorum imperio coactus, & vi mali victus, in eorum descendens sententiam, ait: *Ad lectum, ad Lethum.* Affine existimans vel illum conscendere, vel huic cedere. Eam ipsam ob causam arbitror Assertorem nostrum, in hodierno Evangelio, posuisse unum pro alio, dicendo: Non est mortua, sed dormit; quia nimirum illico, tanquam à somno surrectura. Sola inter utrumque fratrem differentia est, quod unus eorum profundior sit, ac diuturnior, alter brevior, ac mitior.

Cum itaque & nos indormituri simus tandem profundiore somno, & hic disparatus sit, suavis nimirum, ac gravis; videamus, quinam sub vesperum hujus vitæ suavissimè, ac pacatissimè obdormituri.

§. I.

Labor ſuavem conciliat ſomnum.

Labor ſomnum conciliat.

II. SI ſapientiſſimi Salomonis ſenatum conſulimus, omne ſoporis ſuavioris condimentum labori adſcribet, dicens: *Dulcis eſt ſomnus laboranti, ſive multum, ſive parum comedat.* Egreditur mane operarius ſecuri armatus; & totum diem tranſigit in findendis, aut deaſciandis lignis, veſperi domum rediens, proſternitur ſuper nudum aſſerem, & molliùs quam alter ſmyndirides in plumis requieſcit. Egreditur alter ſertarius, ac impigrè ad aſſeres findendos laxat humeros; & quantumvis pane mucido, & lymphâ refectus ſit, attamen multò dulciùs, atque alter quiſpiam vino crapulatus, aut eſcis refertus reſupinatur. Egreditur tertius ad campum, metitque totius diei ambitu falcibus fruges, tandem ſub crepuſculo, obvio in cæſpite ſternitur, ſolo cœlo tect⁹, & ipſimet labores, ac ærumnæ ſuaviſſimum illi, arctiſſimumq; ſomnum conciliant. *Dulcis eſt ſomnus laboranti.*

Eccle. 5. 11.

Neque id de corporali duntaxat accipiendum eſt ſopore, ſed multò auctiùs de ſpirituali quiete animi, ac ſomno juſtorum interpretandum eſt: Dulcis eſt ſomnus ſtudioſe in vinea Domini laboranti.

III. Libri Geneſeos textus eſt: *Requievit Dominus Deus die ſeptimo, ab omnibus operibus ſuis, quæ patraverat.* Ille qui operatur omnia in omnibus; ille in quo vivimus, movemur, & ſumus; ille qui eodem modo afficitur, quum vacat atque cum operatur; ille inquam dicitur ab omnibus operib⁹ quieviſſe. Quid hoc? *Numquid in Deo datur pigra vacatio,* (loquor cum D. Auguſtino) *aut laboriosa cogitatur induſtria; qui novit & quieſcens agere, & agens quieſcere?* An non æterna, & incommutabilis ejus voluntas eſt, nullo conſilio alternante vanata? Ita ſane. Non remanſit laſſus univerſi Architectus ex omni opere ſuo, ſed ſpeciebus ſubſtantiarum naturalium productis, ceſſavit ab aliis per ſe immediate producendis, virtutē diſpenſans omnibus ſubſtantiis perfectis, quatenus ſibi ſimiles producerent. Hunc finem ſacer textus nuncupat quietem; nos ex mente ejuſdem S. Patris edocens, quod ſicut univerſi Opifex attingens à fine, uſq; ad finem fortiter, non niſi coronato omni opere ſuo quieviſſe dicitur: ita homini ſecundùm exantlatos non niſi labores quietem, ac præmium expectandum. *Non enim fatigatus erat Deus,* ſcribit ille, *ut diceretur: Requievit Deus; ſed in illo verbo tibi laboranti requiem promiſit.* Oſtendit hac loquendi formula Spiritus S. non otio inerti torpentibus, ſed egregiè deſudantibus, cœleſtem adornari thalamum. Studioſis diſpenſatur Laurus Muſis, & à feſſis operiis Divûm pulvinaria occupantur.

Gen. 2. 2.

Aug. in Gen. lib. 4. c. 9.

IV. Doctor Gentium D. Paulus in Epiſtola ſua ad Hebræos eundem textum in hæc verba adducit: *Et quidem operibus, ab inſtitutione mundi perfectis, dicit in quodam loco, de die ſeptima ſic: Requievit Deus die ſeptimo ab operibus ſuis.* Ex quo contextu hanc ſequelam infert: *Itaq; relinquitur populo Dei Sabbathiſmus, qui enim ingreſſus eſt in requiem ejus etiam ipſe requievit ab operibus ſuis, ſicut à ſuis Deus.* O quam pulchra, & concinna argumentatio in rem meam eſt iſta? ſicut, inquit, Deus defunctus opificio ſuo, quievit, & Sabbathum quoddam celebravit, pari ratione populus ipſius electus, ab omnibus operibus ſuis, & lucta

Heb. 4. 3.

Ibid. v. 8.

luctata tandem ferias aget. *Itaque relinquitur populo DEI Sabbathismus.*

Homo. justus condis novum orbem.

V. Homo justus dū vivit Deum quadantenus æmulatur in creatione, & ut ille materialem hanc machinam ex Chao nihili eduxit, ita ipse spiritualem architectatur. Prima die condidit Deus lucem, Dicens: *Fiat lux.* Idem suo modo facit homo justus, quando veræ fidei actus elicit, in lumine illius ambulat, opera tenebrarum fugit, omnibus operibus suis intentionem rectam præfigit. Altera produxit dominus firmamentum: *Fiat firmamentum in medio aquarum.* Imitatur idipsum homo rectus, cum voluntatem firmissimam, ac propositum imnutabile concipit Deo adhærendi, nec unquam mandata ejus transgrediendi, cum Psalte dicens: *Iuravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ.* Tertia luce separavit Dominus terram ab aquis, & apparuit arida: *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum, & appareat arida.* Præstat hoc homo fidelis quando actiones temporales, transitorias, fluxas dividit & discernit à spiritualibus, & æternis, suum tempus, & locum attribuendo illis & istis. Quarta produxit solem, & Lunam dicens: *Fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem ac noctem.* Et hoc quomodo conficit homo pius, ac rectus? Quando charitatem Dei & proximi elicit. Rectè enim soli amor Numinis confertur qui semper idem esse debet, & invariabilis. Nec minus bellè Lunæ amor proximi; quæ jam plena, jam semiplena, jam cornuta apparet; ita, & hic jam cornua assumere cogitur, cum redarguit transgressores; jam plenè sese effundere, & communicare alteri, jam ex dimidio. Quinta creavit Dominus pisces maris, & volucres cœli: *Producant aquæ reptile viventis, & volatile super terram.* Id etiam imitatur homo religiosus, cum per contemplationem jam sese demergit in abyssum justitiæ divinæ, & tormenta purgatorii, ac Erebi expendit; jam velut aquila sese in sublime attollit; & misericordiam ipsius infinitam, sapientiam inscrutabilem, majestatem incomprehensam meditatur. Sexta demum condidit Numen optimum animalia cœtera, & hominem, eumque constituit super omnia opera sua. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis terræ.* Nec in hoc deficit industria hominis sancti, omnia ille sibi subiicit, indomitas passiones corporis, tanquam feras quispiam infrœnat, non ex libidine sed ex ratione cuncta administrat. Quid itaque eum manet? *Relinquitur sabbathismus populo dei* &c. Ut quemadmodum Deum suum imitatus est pro sua parte in opere, ita etiam fructum capiat in quiete.

Gen. 1. v. 3

Ibid. v. 6.

Psal. 118.

Ibid. v. 9.

Ibid. v. 14.

Ibid. v. 20.

Ib. v. 26.

Motus causa beatitudinis amplioris.

VI. Ex Aristotele, D. Thoma, & ipsa experientia colligimus naturas universi sic esse dispositas, ut quò minus quæpiam movetur, minorem indipiscatur beatitatem, quò magis, ac velocius auctiorem. Illud compertum ex herbis, lumbricis, limacibus, aliisque insectis; istud ex cervis, aquilis, aliisque animantibus impigerrimis. Idipsum evenit homini tum in temporalibus, tum in spiritualibus functionibus. In temporalibus impiger, & industrius artifex abundat omnibus, piger, &

torpid⁹ eget; ſervũ torpentẽ, aut ancillã vix quiſquã ſuo ſervitio dignatur. In ſpiritualibus non minus quantò quiſq; ſtudioſius fuerit operatus, tantò itidẽ majorẽ requiẽ, opulentiorẽ mercedẽ, beatitatem inſignioręm eſt indepturus. *Relinquitur itaque ſabbathiſmus*, &c.

Spiritus S. ad quietem operantes invitat Apoc. 14.

VI. Ad hanc quietem Spiritus Domini Operarios ſuos ſtrenuos apud dilectiſſimum Domini diſcipulum invitat dicens : *Vt requieſcant à laboribus ſuis.* Ille utique ſpiritus qui eſt in labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium : *Amodo jam dicit, ut requieſcant*: O filii mei electi, & dilecti, ſat datum operi, ſat labori, diſpenſate ferias manibus, abſtergite frontem, refocillate membra, *requieſcite à laboribus veſtris.* Amodo jam dicit ſpiritus: Ingredimini januam immortalitatis, conſcendite thronum glotiæ, occupate thalamum ſecuritatis, ac lætitiæ. Dormite jam, & requieſcite, non ultra appropinquabit, qui vos tradet, qui vos infeſtet, qui vos ſuſcitet, quoad ipſi velitis. Nullus hic Baana & Rechab, qui litantes quieti, perinde ac Isboſeth jugulent meridiantem. Nullus hic Mercurius, qui quidpiam ſurripiat ſopore merſis. Nullus Morphœus, qui ludicris illudat phantaſmatibus. Requieſcite ſecurè, pacificè, ſuaviſſimè à laboribus veſtris.

Hoc invitatorium ſi audire animus eſt, hac quiete ſi frui allubeſcit operemur dum tempus eſt, quoniam inſtat nox in qua nemo poteſt operari. Non cedamus operariis in lucrum ſuum intentis; non vincant nos opifices in officina ſua cum galli cantu deſudantes; non ſuperent fures, ad clependum aliquid proximo pervigiles. *Dum tempus eſt operemur bonum.* Mitigat labores ipſorum ſpes lucri, aut mercedis, levet noſtros fiducia quietis & æternæ beatitatis. *Dum tempus eſt operemur bonum.* Demus illas horas Deo, quas alioqui dicare conſrevimus fabulis, atque alio inerti. *Dum tempus eſt*, &c.

§. II.

Lectiſternia conducunt ad quietem.

VII. SI propoſitæ quæſtioni inſiſtamus, & aliis decidendam obtrudamus, dicent credo lectiſternia ad quietem haud modicè conducere. Tritum eſt illud: Mollius dormit, qui ſibi mollius ſternit. Suavius in goſſipio & plumis, quam in petra aut dumis ſomnus capitur. Infixum hoc altè quondam fuerat puellis, ideoque anſeres inſequentes deciduas colligebant plumas; jam verò ſtramen colligere coguntur, atque eidem incubare, quæ ob deſidiam id facere detrectant.

VIII. Attamen quum & plumæ ſuos aculeos, & roſæ ſuos habeant nodulos, quibus effœminatos ſardanapalos, atque Heliogabalos fodicent, quodnam quæſo pulvinar illud eſt, in quo quivis molliſſimè, ac ſapidiſſimè conquieſcat?

Cervicalia Perſica quæ? Athan. l. 12. Dymoſoph.

De Regibus Perſarum refert Athæneus, ad caput lectuli regii eos repoſita habuiſſe quinquaginta millia talentorum auri, & hæc gaza pulvillus regius dicebatur. Bonum revera, ac pretioſum pulvinar, cui ego jure Epigraphẽ adſcripſero: *Dormi ſecure.* habes multa bona poſita in annos plurimos requieſce, comede, bibe, epulare. Nihilo minus lego, quod in hoc reſupinatus Nabuchodonoſor triſtes quoſpiã morpheos, ac Lemures paſſus ſit: *Receßit ſomnus;*

Dan.4.2. *somnus, ab oculis meis cogitationes & in stratomeo, & visiones capitis mei conturbaverunt me.* Unum somnium, in tam pretioso cervicali, omni ex oculis excusso sopore acerbissimum in animum induxit mœrorem. Inventus est in aurea culcitra, non jam nodulus, aut aculeus, sed bipennis ad arborem apposita, quæ uno ictu omnem animi pacem jugularet. Ita nimirū ad latus opulentiæ, nunquā non tetræ accubant curæ, arctissimisq; deliciarum, ac divitiarum amasios stringunt amplexibus.

Eustat. Com. in odyss.

IX. De Achæo Callione meminit Eustatius, dormiturum consuevisse fictile vas, pulvinaris loco supponere; & duritie ipsius offensum idipsum paleis farsisse, imaginaria sese consolans mollitie. Ut vero hoc palmaris

Sap.5.15. stultitiæ inventum erat; ita non minus cervicalia impiorum spebus in anibus referta. *Spes impii, sicut lanugo,* inquit sapiens, *quæ à vento tollitur.* Non emolliunt testam, Vulcano mancipatam paleæ, sed undæ. Flammis ac paleis occalescit, flumine liquescit argillæ opificium. Inardescis mi figule in opere tuo mollius quiescere, torrentes affunde, quo & flammas offoces, & callum cordis tui mitiges.

X. S. Marcus decumanam in mari Tiberiadis tempestatem inducit, qua discipuli cum Domino in summum proximumque discrimen naufragii sunt adducti. Quis tunc clamor nautarum, seu remigum fuerit, norunt illi, qui nonnunquam æquis conflictati sunt procellis. Clamabat Petrus demittite carbasa, carbasa solvite ocius; replicabat Andreas clavum ad septrionem ad septemtrionem; exululabant alii juvate, juvate; His similibusque vocibus totum reboabat navigium, Mar.9. Domino interea suavissime indormiente. *Et ipse erat in puppi, super cervical dormiens.* Non inquiro hic causas, aut mysteria somni hujus arcanissimi, unum duntaxat scire ambio, quodnam illud fuerit cervical? Et quidem si literam spectemus teste Euthymio ligneus truncellus erat: *Erat,* ait ille, *cervical illud ligneum in puppi fabricatum.* Neque enim vel in solo, vel in salo Dominus delitias quærebat, cum nuspiam quid proprium haberet, ubi caput suum reclinaret. Si verò ad spiritum, & mores referamus, juxta S. Bernardum: *Lectulus respersus floribus bona conscientia est, bonis referta operibus.* Vel ut loquitur D. Prosper: *Lectus est* (conscientia) *in quo periculis concussus requiescit, molliterque cubat animus.* Vel ut Barradias interpretatur: *Cervical molle, blandumque pulvinar, supra quod vir probus dormit, bona est conscientia.* O quam præclarum, quam optandum est hoc cervical, in quo suavissimè, ac securissimè resupinatur, quisquis vel in vita vel in morte illud obtinet. Sæviat Auster tentationum, acerque procellis Affricus ingruat, impetu tribulationū infestet Eurus, Notusque curarum flabellis, ipse tanquam inter Alcedonia ad portum securæ, æternæq; beatitatis enavigabit. Etenim ut loquitur sapiens. Prov. 12. *Non contristabit justum, quidquid eidem accident.* Uel ut occinit Lyricus: Horat.

Euthym.h.l

Conscientia bona cervical

Bern.l.47. in Cant.

S. Prosper.l. 2. de vita Cont.c.18.

Barrad.h.l.

Justum & tenacem propositi virum
Non civiū ardor prava jubentium,
Non vultus instantis Tyranni
Mente quatit solida, nec Auster,
Dux inquieti turbidus Adriæ
Sī fractus illabatur orbis
Impavidum ferient ruinæ.

2. Cor. 1. 12. XI. Hoc in Cervicali suavissimè inter tempestates persecutionum quiescebat Doctor Gentium, & de illo gloriatus est in Epistola sua ad Corinthios, scribens: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* Nullum theatrum mihi glorioſius conscientia propria. Nullum asylum securius eadem. Hæc est summa boni mens, quæ sibi conscia recti.

In eodem recubuit glorioſissimus Martyr Tiburtius in tormentis, qui mirum in modum tortus, perinde ac inter epulas constitutus Tyranno improperabat: *Omnis nobis vilis est pœna, ubi secura comes est conscientia.* In eodem deliciabatur Affricanus Præsul, cum suos explodens adversarios, diceret: *Senti de Augustino, quidquid lubet; sola me in oculis Dei conscientia non accusat.* Infames illum ut voles, detrahas, & calumnieris illum, ut voles; sola illum duntaxat non convincat conscientia, actum ages; ridebit, exsufflabitque omnia.

Surius in Vita. Aug.

Eadem ratione, quivis alter inter pericula, vel in ipso mortis agone constitutus sibi occinet: Senti quidquid voles de me, non curo mundi sensum, dummodo conscientia non præbeat consensum. *Velis ei erit omnis afflictio, & pœna, ubi secura comes erit conscientia.*

§. III.

Somnus ex cibo, potuque.

XII. SI progrediamur ad viros, accedent hi credo sententiæ Aristotelicæ. Docet hic evaporationẽ cibi, ac potus ex concoctione stomachi provenientẽ esse causã somni. Ascendentib⁹ enim caput vaporib⁹, & membranã replentibus spiritus animales torpidi reddũtur, meatus primi sensitorii sensus communis obdurantur, eumq; ea de causa nõ possint spiritus animales sensibus exterioribus communicari; fit ut careant sua operatione, & consequenter dormiant, idque vel suavius, vel gravius juxta cibi proportionem. Hinc dico sententiam bene multi tuentur, ac sequuntur, quos non nisi madidos somnus occupat. Somni causa potus.

XIII. Verum si ita est, quidquid in contrarium sentiat Averroes cum aliis; agite, dicite quisnam cibus, potusve hunc in finem aptior, habiliorque, atque corporis, & sanguinis Domini?

Tentavit modis diversissimis divinus Amor, obstetricante sibi omnipotentia divina exaturare, atque ad quietem componere hominis sibi dilecti præcordia, atque in eum finem omnia prope penuaria sua evacuaverat.

Primum erat mundus ipse, ex quo omnigena alimenta, eidem dilecto suo suffecerat. Tellus enim perinde ac vivarium quodpiam, Alces, Cervos, capreas, Lepores, Uros, aliasque feras ministrabat; Nereus cum tota sua amplitudine in stagnum quodpiam eidem concessit, piscesq; offerebat; Aer veluti auceps volatilia aggerebat; Ignis archimagyri officium obibat. Quid ad hæc homo? Num contentus tam liberali, tam munifico prædio, ac convivio? Num sese ad quietem componebat? Neutiquam. Famebat etiamnum, & latrante stomacho exululabat: *Affer. Affer.* Iam silvas venatione expilaverat, jam maria, lacus, flumina piscatione exhauseratat;

jam

jam ex aëre aves dejecerat, & etiamnum hiabat. Unus Lucullus sub unam Cœnam Cæsareos reditus decoxerat, famebat, insaniebatque ultra; Una Cleopatra regna propinaverat Antonio, & nihilo minus sitiebat. Non invenit Divinus Amor in totius mundi promptuario, quo fauces hominis infarciret, hiante etiamnum inter tot cupedias famelico, nec quiescente.

Quid egit? O divinam, stupendamque inventionem! Ex se, suisque visceribus apparavit illi embamma omnium delicatissimum, pretiosissimumque. Quid dico? Dedit illi panem habentem omnem suavitatem, & condimentum saporis; dedit se ipsum, dispensavit corpus suum in cibum, sanguinem in potum ad sedendam orexim ipsius, ad componendum eum ad quietem ac soporem suavissimum. Ad soporem inquam conciliandum non tam hujus, quam æternæ vitæ.

Ap. 6. 9. XIV. Scribit Author Apocalypseos, se vidisse sub altari animas SS. Martyrum interfectorum. Mirum profecto, quod fortissimi athletæ ibidem abscondantur? Angulos, & latebras petant imbelles, qui terga verterunt inimicis fugâ turpissimâ; robustus miles, qui glorioscè certavit, palmamque demessuit, os, vultumque prodat. Cur ergo non in circuitu throni videntur cum Angelis, & cœlestis militiæ principibus. An non quod Altari, quod S. Synaxi in acceptis referant suas victorias, & gloriam, ac gloriam opulentam. Hæc enim fortes ad certandum, invictos ad sufferendum reddidit. Ideo merito sese devotos, deditosque vel ipso situ profitentur.

XV. Audistis itidem quanta conturbatio insederit mentibus, concussertque Apostolorum animos, manifestante Domino proditorem unum esse ex ipsis: *Unus vestrum me traditurus est.* Circumspexêre hic sese invicem, & humanæ fragilitatis conscii percellebantur, ne vel ipsi insontes in tantum scelus prolaberentur. Inter hæc *epulatur*, & cæna peragitur; cum S. Joannes supra pectus Domini resupinatur, suavissimèque quiescit. Numquid simile quidpiam legistis in tota vita Christi Domini? Numquid unquam antehac tantæ gratiæ tesseram cuipiam ex suis communicavit? Nihil minus. In sola cœna, imo sumpto jam epulo Eucharistico, Joannem nomine, & re gratiosum tanto munere beneficij dignatus est Dominus. Quorsum istud? Si divinare fas est, eò sane, ut hoc ipso mysterio demonstraret, qua via ad veram securissimamque quietem perveniendum. Etenim nullibi tuta quies, quam in latere salvatoris, ita nulla certior ad petendam illam via, atque digna susceptio Epuli Eucharistici.

XVI. S. Chrysostomus testatur, (cui sese non pauci alii subscribunt,) vidisse animas eorum qui sumpta S. Communione obierunt, rectà ad cœlos per angelos deduci. Et inde hanc sequelam format, seu doctrinam elicit: *Si quis purâ conscientiâ ante mortem se communicaverit; propter assumptum illud sacramentum rectà ad cœlum ab Angelis deducitur.* *Chrysost. l. 6. de sac. c. 14.*

Quod citra dubium evenit illi Juveni Indo recens converso ad fidem, qui sumptâ Eucharistiâ in tantum ex- *Exlit. Ann. Prov. Brasil 15. 85.*

arsit cœli desiderio ; ut in hæc verba proruperit : *Postquam Christus suo me corpore famelicum pavit, cur moror in terrâ, cur non vinculis expeditus, cum Christo feror in cœlum.* Hoc dicto Conditori suo animam suam reddidit.

XVII. Quod si itaque etiam cum dispendio vitæ bellariis nescio quibus inhiamus, hoc pane ingluviem nostram exaturare adnitamur. Non patrissemus hac in parte, ut relicta arbore vitæ, ad fructus vetitos manus extendamus, & de arbore scientiæ boni & mali seu de ficis vetitis vescamur. Verendum enim est, ne ut Proto-Parens noster, cum de ligno vitæ edere velimus, imposterum non possimus; quia nunc cum prostat participare nolumus. *Timendum* inclamat D. Hilarius, *ne diu abstractus à Christi corpore, alienus remaneat à salute.* D. Hilar.

Non æmulemur Apostatas illas Iudæos, qui denauseabant manna illud omne delectamentum, & omnem saporis suavitatem in se continens, & ad ollas Ægypti, ad cepas, ad allia, id est carnis commoda, & voluptates respectabant, ne forte à terra promissionis cum iisdem excludamur.

Accumbamus dum possumus, & ut hic concorporei, & consanguinei Christi per participationem corporis ejus effecti in illo obdormiamus, & in altera vita eundem, quem velatum hic suscipimus facie ad faciem visuri in ipsum plenissimè transformemur.

Et ut paucis stringam, quod pluribus disserui, composituri nos ad futuram quietem, Cervical conscientiæ nostræ identidem excutiamus; in vinea Domini sabaoth, impigrè desudemus; cibo vitæ æternæ nos frequentissimè saginemus.

Ita credo futurum ut in illo ultimo articulo nobis ipsimet cum regio Psalte intonemus In pace, in id ipsum dormiam, & requiescam. *Fiat.*

CON-

CONCIO LIII.

IN DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

Cum videritis abominationem desolationis. Matt. 24.

ARGUMENTUM.

MACRO-COSMI ET MICRO-COSMI SUPPARITERITUS.

I. MAxima Microcosmum inter, & Macrocosmũ intercedit analogia. Aud. Nihilum propè in vastissimo Polyphemo, mundo unquam isto extat; quod in Pigmeo homine certa cum Proportione non inveniatur.

Perhibent sacri fasti supremum Numen Universum hoc, duabus ex partibus, cælo ac terra, perinde ac membris cardinalibus architectatum esse, *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Gen. 1.1. Æqua ratione hominem ex corpore, & anima; ex terra & cælo, seu terrea parte, ac cælesti efformatum esse compertissimum est. An enim non cæleste quidpiam anima, quam vel Ethnicus confessus cælestis particulam auræ? Numquid itidem corpus terra non est, quod de humo terræ sumptum ossibus perinde, ac marmoreis columnis sustentatur. Habeo hic usurpare oculis terram, nativa herbarum, ac graminum byssо amictam, arborum proceritate superbientem, animalium gregibus refertam. Ibi diffusos longo viarum anfractu fluvios, undis ac tempestatibus agitatos; lacus, & maria aquarum utero gravia, vapores & exhalationes Phæbi nonnunquam radios intercipientes observare. Alibi urbes ac provincias populosissimas, omniumque metallorum ac lapidum generibus incrustatas cernere, &c. Et quis hæc eadem in homine non deprehendit? Quod enim in tellure stagna, flumina, ac maria; id in homine venæ vesica, aqualiculus, sanguine atque, alijs humoribus redundantes. Quod in illa gramen, fruteta ac arbores; id barba mystaceſque in mento, crines in capite jam prolixiores, jam breviores. Et numquid in iis

Hominis & mundi analogia.

iden-

identidem animalia diversi generis quemadmodum in sylvis venari arcanum est. Quod in illa mineralia ac lapides; id in homine calculi in ventriculo, liene, jecinore; ut taceam aureos dentes, aliasque argenteas venas decantatas. Quod in illa ros, pluviæ, exhalationes, terræ motus, tempestates, id in isto sudores, lachrymæ, tremores, indignationes, minæ, vindictæ. Quod denique sol & luna in cælis, id vel in anima ratio, ac phantasia, vel in capite duo oculorum sidera.

Rursùm Mundus floreſcit in vere, flagrat in æstate, fructum maturat in autumno, riget in hyeme: homo floret, ac gemmat in spem virtutis in pueritia, flagrat, & adolescit in juventa, fructificat in ætate matura, ineaneſcit in decrepita. Quidquid in mundo, id vel est duntaxat; vel solum habet esse, vel est, & vivit; vel vivit, & sentit; vel insuper intelligit. Et homini dispensatum est esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum brutis, intelligere cum Angelis. Ex his satis liquet, quanta Macrocosmum inter & Microcosmũ intercedat analogia. Ne tamen vel in ipso utriusque occasu aliquod æquivocum à quopiam obtrudatur, ex hodierni Evangelii contextu gemellos hosce propugnabo, & omnimodam etiam hac in parte proportionem evincam.

§. I.

Abominatio desolationis sub occasum in utroque

II. PRima infelicitas orbi maximo superventura est abominatio desolationis, quæ etsi ad literam excidiũ urbis Hierosolymitanæ significet, usu tamen, & interpretatione SS. Patrũ vastitati ante novissimum diem Universo inducendæ, coaptatur. Sed quænam illa? multifarias jam olim ab igne, aëre, aqua, terra, cælo, in bestiis & hominibus, in domibus, agris, familiis, provinciis factas desolationes contestatum est. Verùm dempto diluvio privatæ illæ propemodum, hæc autem futura omnium maxima, œconomica, ac postrema, cælum, terrasque involvens. Etenim in cælo Princeps ille siderum qui hodie pallio inaurato, instar sponsi splendoribus micans, è thalamo Orientis egreditur, pullum induet prior cucullum, ut vel inde mundus hic sui occasus derivet catastrophen, unde auspicium duxerat vitæ. Tum Luna festivorum gaudiorum nuntia suis viduata splendoribus perindè ac sacco cilicino amicta apparebit. Stellæ tandem claritatem suam obtutibus nostris subtrahendo, aut cometas visu horribiles in aere effor. mando, de cælo cadere videbuntur. Ita cunctis peplo involutis, & chorea harmoniacæ ferri solito, à motricis intelligentiæ Libratore disturbato, unaquæque sphæra laxatis veluti lupatis in antiquum suum Chaos relabetur. *Mundi de solatio*

In terris autem ignis ante ipsum præcedens, ut ad altitudinem aquarum Cataclysmi teste D. Augustino ascendat; ita domus, ædificia, hortos, silvas, propugnacula in favillam rediget, terramque ipsam depascet, exurens omne, quod vel concupiscentia oculorum prensabat, vel quo concupiscentia oculorum deliciabatur, vel quod superbiæ vitæ

vitæ ancillabatur. Ah Cosmophile qui tantam abominationem desolationis imperterritus prospectabis? Quæ modo Niobes instar ad tantam vastitatem non lapidesces? Quomodo ut pumex non arescès? *Arescentibus hominibus præ timore.*

In Vita.

Profecto si quis sensus in te fuerit, is haud quaquam à mente D. Francisci Borgiæ abludet. Is visa deformi Isabellæ Hispaniarum Reginæ cadavere exclamavit: *Hæccinè est Isabella?* Hæccinè facies sedes gratiarun? hine oculi solis gemelli? hæne genæ liliis refertæ? hoccine decus totius Europæ? Eheu quantâ Metamorphosi conversæ sunt Gratiæ in Lemures, soles in ecclypsim, lilia in butones, decus omne in abominationem! Consimili tono & choro occines: Dilecte munde dilecte nimis, quid tecum agitur? Scio probè quis qualisve fueris, quam speciosus in floribus, fructibus, splendoribus; quam dives in auro, argento, gemmis, margaritis, possessionibus? quam potens in turribus ac mœniis, in salo & solo, in robore exercitus tui. Utinam quæso manserunt hæc omnia? quò devenere ædes basilicæ, miracula septena, amphitheatra, pyramides, arcus triumphales? Quò pompa, Deorum gloriæ æmula? quò cætera? Nihil video quod fulgeat in pelle, quod niteat in tecto, quod floreat in horto, quod vireat in campis &c. O me miserum, qui te tantopere deperei, ut cum perdito disperirem! O me sideratam, qui ob fugaces ac personatas delicias, æternis excidi. Vale munde immunde, valete illecebræ, ac irritamenta malorum. Actum jam est de vobis, actum eheu de me.

III. Veruntamen, si à μεγαλυκοσμο ad μικροκοσμον oculos reflectamus, eandem illi prorsus obventuram abominationem desolationis reprehendemus. Veniet, veniet illud tempus, quo oculorum sidera æterna offundentur caligine, quo aures disciplinarum auscultatrices obsurdescent; quo gustus saporum Archimagyrus desipiet, quo olfactus exoticorum venator odorum evanescet; quo membra omnia sensus destituent. Veniet hora, quâ cor deficiente spiritu palpitabit, squallebit vultus, compages corporis se contrahet, aut dissolvetur; & ultimam testata calamitatem unico flatu emittet Spiritum. Veniet, veniet momentum quo lux omnis in tenebras, species in deformitatem, pulcritudo in turpitudinem, vita in mortem commutabitur. In præsenti bene multis lucent signa Zodiaci, hinc Aries, Taurus, Gemini; inde Cancer, Leo, Virgo &c. quando arietũ instar lasciviunt, ut Tauri ferociunt, ut gemini Societates iniquas cogunt, ut cancri à via virtutis retrocedunt; ut leones fremunt, ut virgines lætitiæ sertis tempora incingunt; ut scorpiones toxico perversi exempli inficiunt, ut sagittarii vulnerant; ut Capri cornua erigunt, ut pisces sceleribus innatant, &c. Attamen postliminio hæc astra occumbent, aufugient socii, marcescent rosæ &c. ac non nisi caligo tristitia, & afflictio animi inundabunt.

Hominis desolatio.

Ex omnibus bonis fortunæ nulla vobis Equitibus supererit ungula; nullus vobis magnatibus angulus, quem inhabitetis, nulla vobis voluptuosi

ollula, qua olus coquatis; nulla vobis divitibus lacerna, quâ operiamini, &c. Ex omnibus item bonis corporis non erit lux minima in pupillis, gratia in genis, vigor in membris, vox in gutture, sonus in auribus, sensus in potentiis, vita in carne, spiritus in corpore, &c. Ex omnibus bonis animæ, nec memoria præteritorum recordabitur, nec intellectus cognoscet, nec voluntas ut quondam apprehendet, aut concupiscet; imò quæ concupierat denauseabit.

Quid igitur agimus Aud. cur mundum tantopere diligimus, quem scimus perituru, aut nos ocius deserturum. Si sapimus, avellamus animum ab ipso, & ad DEUM conditorem convertamus. Et si forsitan nos sollicitet avaritia, si superbia ad fastum proritat, si voluptas ad se pellectat identidem nobis ingeramus: Anime mi quid tandem ex omnibus bonis tuis emolumenti tibi in futuram vitam obventurum confidis? Quid tecum accepturus usuris ex omnibus, agris, hortis, vineis, possessionibus? Quis te splendor, quæ dignitas comitatura in tenebras iturum exteriores? *Etenim homo cum interierit, non semel omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.* Quæ voluptas tibi solatium allatura in tormentis, quæ Zephyrum aspiratura in flammis, quæ rorem destillatura in ardoribus sempiternis? Unum te indusium, cymatilis vestis loco obteget, tumba duarum, aut trium ulnarum erit habitatio tua; vermes, ac bufones socii tui; fætor, ac putredo odores tui, tela aranearum peristromata tua; fel draconum vinum tuum, & venenum embammata tua. O verè timendam abominationem desolationis! o catastrophen omnium calamitosissimam! *Qui legit aut audit intelligat.*

Psal.

§. II.

Tribulationis paralella in utroque.

IV. Subdit sapientia increata, ac veritas æterna: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi.* O verba horrore plena, & intimas cordis medullas sauciantia! *Erit tunc tribulatio magna qualis non fuit.* Mi DEUS quam graves sunt ærumnæ illæ, quas nonnulli in nuditate fame, siti, ægritudinibus, doloribus patiuntur. Sed lusus hic merus in comparatione malorum, quæ supervenient. *Erit enim tunc tribulatio &c.* Quam lugubris illa Samaritanorum tragædia, quum leones è desertis in eos immissi pœnas deposcerent scelerum, & inspectantibus matribus, filios eorum, filiasque depascerent: Quam extremæ Amorrhæorum angustiæ, Josue illos undique coronante, & sole ipso in pernitiem illorum prolaxioribus vigiliis excubante? Quam horrendum Ierosolymitanæ urbis excidium, quod ipsi Assertori nostro lachrymas expressit? *Verè erit tunc tribulatio magna*, &c.

Mundi tribulatio.

Quanta illa erat, ut alias mittam, cum orbem universum aquis sensim increscentibus, cataclysmo involvit? Fingamus animo nos indemnes ex arroganti montis supercilio prospectare tragædiam istam. Quam tristi spectaculo

ctaculo viri fœminæque juveneſque ſeneſque, per montium juga diſcurſent, perindè atque amentes, ac rabidi, aſylum ab aquis aſſurgentibus inveſtigantes. Creſcat interim moles aquarum, jamque domos ipſas obruat, & quidquid reſiduum eſt uno impetu involvat, ac demergat. Eheu quis tum clamor, quæ lamenta reſonarent? quam triſtis facies obverſaretur! Et tamen intuitu noviſſimæ calamitatis umbra non niſi quæpiam reputanda eſt. *Erit enim tunc tribulatio qualis non fuit.* Et licet Dominus contuliſſe illam huic Noacchæo diluvio videatur apud S. Mathæum dicens: *Sicut fuit in Diebus Noe, ſic erit adventus filij hominis*, non eo tamen fine id fecit quaſi illa noviſſima tribulatio non ſit futura ærumnoſior, ſed quod ad eam altitudinem ignis aſcenſurus ſit (ut docet Sidus Africanæ Eccleſiæ) qua olim aquæ inundaverunt: Vel ut oſtenderet æque tunc, ac in cataclyſmo defuturum refugium ab incendio. Vel ut lymphâ quondam univerſa ſubruit, ſubvertit, demerſit, ita incendio univerſali omnia abſumenda, & exurenda. *Erit tunc tribulatio, &c.* Talis ut mortem advocaturi ſint, & fugiet ab eis; montes, ut cadant ſuper eos, & colles operiant eos, & recedent ab eis. Talis ut prunas ignitas quodammodo roſas reputarent, &c.

Matth. 4.

V. Hæc inquis terriculamenta imbellem ſexum nō cordatos animi viros percellant. Nemo enim noſtrum ad noviſſimum uſque diem vitam, mea opinione, extrahet. Moriar certè priuſquam hujus tragœdiæ prologum intuear. Sic eſt morieris & tu, nec vives, Nihilo ſecius in teſynopſim leges, aut in compendium redactam experiere hanc tragædiam.

Tribulatio hominis morituri.

Genti Hebreæ conſtituens præfixos regionis terminos Dominus ait: *Et ad ultimum ſalſiſſimo claudentur mari.* Intus habebunt terram lacte & melle manantem, fertilem frugibus, amœnam pratis & nemoribus, divitem aurifodinis; ſed in limitibus ſalſiſſimo coronabuntur mari. Nos dum vivimus peregrinamur à Domino, è loco in locum aſſiduè migramus, dies diem ſequitur, hora horam extrudit. Excipiunt nos hoc in itinere noſtro, jam feriæ, jam labores, jam afflictio, jam voluptas; jam fames jam epulæ; jam triſtitia, jam læta. Quis omnium finis? tandem ad mare mortis acerbiſſimum deveniendum, hic terminus omnis voluptatis, ad hunc ſcopulum alliſæ deliciæ noſtræ in ſpumas abibunt. Huic mari innatandum eſt: *Ad Vltimum ſalſiſſimo claudentur maxi.*

Num. 34. 12.

VI. De Aſſertore noſtro tradit S. Marcus Evangeliſta eum in hoc litore conſtitutum graviſſimis conflictatum angoribus & doloribus! *Cœpit pavere, tædere & mœſtus eſſe.* Faciēs illa plena gratiarū in pallorem mutata, oculi illi ſedes deliciarum lacrymis ſuffuſi, cor fons aquarum viventium in ſalſiſſimum mœroris ac tædii Oceanum commutatum. O mi amantiſſime JESU ubi nunc eſt virtus tua, quâ alionem languoribus medebare; quâ mortem ad vitam revocabas? quâ Sathanam è corporibus abi-

Marci 14. 33.

gebas? Ubi Charites quibus aliarum tædia, ac triſtitias repellebas? Ubi ſidera illa oculorum, quibus decumanas avertere ſolitus es tempeſtates? Ponderat hoc quæſitum D. Gregorius; & reponit: *Appropinquante morte noſtrum in ſe tentis certamen expreßit, qui viam quandam terroris ac formidinis patimur, cum pro ſolutione carnis, æterno appropinquamus judicio.* Nemo id ſuſpicetur defectu contigiſſe virium, quaſi obſiſtere irruentibus nequiviſſet angoribus; verùm ut imaginem agonizantium etiam juſtorum exprimeret. Illæ guttæ ſanguinis defluentes in terram, icon fuêre gelidi ſudoris, illi terrores ac tædia, ſymbolum tædiorum ac pavorum noſtrorum futurorum; illa captivitas ipſius noſtræ captivitatis prognoſticum. *Erit enim tunc tribulatio magna.*

S. Greg. h. l.

VII. Quod ut de omnibus univerſim dicitur; tum verò imprimis de reprobis compertiſſimum eſt. In hodierno Evangelio æternum væ inclamat ipſe futurus Iudex vivorum, ac mortuorum prægnantibus ac nutrientibus: *Væ prægnantibus ac nutrientibus in illis diebus.* Miror unde fœcundæ matres tantum in ſuum fulmen caput detraxerint. *Quid enim mali fecit mulier, quæ de proprio marito concepit,* (loquor cum S. Auguſtino) *quare illis in die judicii male erit?* Tum verò ſubdit: *Omnis homo concipit nec poteſt eſſe ſine conceptu, ſed alii concipiunt de Chriſto, alii de diabolo.* Alii concipiunt de Chriſto ſemen boni conſilii, ſemen juſtitiæ, & veritatis. Alii de Diabolo lolium iniquæ ſuggeſtionis; zizania iniquitatis. Hi prægnantes ſunt, quum res alienas concupiſcunt. Nutrientes, qui jam rapuerunt, quod concupierant. Væ iſtis in die judicii, quia hoc fœtu æternum cruciabuntur. *Dolores parturientis venient eis.*

Mors impiorum plena angoribus.

Aug. Ser. 20 de verb. Domi.

In eundem propè ſenſum interpretatur præfatum fulmen Euſebius Emiſſenus: *Prægnantes ait ſunt illæ animæ, quæ per hyprocriſim peccata ſua abſcondere volunt, & tamen per ſuperbiæ inflationem abſcondere nequeunt.* Alter fame, vigiliis aliiſque corporis afflictionibus corpus conficit, & interim manus ab iniquitate neutiquam retrahit; autumans ſcelus ſuum fore occultum, ſed incaſſum omnia, fucata illa pietas per ſuperbiam inducta evaneſcet, & uterum prodet. *Væ* ejuſmodi *prægnantibus* in illa die, & nutrientibus vanis excuſationibus ſcelus ſuum.

Emiſſ. h. l.

VIII. Prægnantes ſunt, qui quidem bona propoſita concipiunt aut mutandæ perfidiæ, aut vitæ propudioſæ in melius, & nunquam illud enituntur; nunquam exequuntur. Væ ejuſmodi prægnantibus quemadmodum & nutrientibus, qui propoſita equidem ſua enituntur, profitentur fidem, pietatem, ſed interim tam debiles tam teneri ſunt; ut iis lacte opus ſit, non ſolido cibo; facilè ejuſmodi fœtus enecatur, & ideo Væ ejuſmodi prægnantibus in illis diebus. Excruciantur in puerperio corporali matres, excruciabuntur non minus, imò multò amplius in ſuo conceptu morali, vel potius gehennali impii. Graviſſimus eſt partus monſtrorum, graviſſimus flagitiorum, lethalis & intolerabilis hiſtricis; & peccatricis animæ, Non minus enim hæc, atque ille horret aculeis, quibus intus confodiatur peccator.

IX. Re-

Attili Reguli tormenta Livi.

IX. Revocare hic libet horrendum illud tormenti genus, à Carthaginensibus in Attilium Regulum exercitum. Architectati illi erant dolium clavis, ac novaculis dentatis undiq; asperum. In hujus uterum impositum versabant Attilium, ita ut quoquo impelleretur, movereturque, mucronum apices in membra ejus adigerentur, corpusque miserandum in modum proscinderetur.

Suppar omnino vel certè calamitosior emigrantis ex hac mortalitate peccatricis animæ status est. Nusquam sese obvertet, quin novi doloris aculeum sibi infigi deprehendat. Si enim sursum oculos attollat, sidera ac cælum suspecturus, illud sibi clausum audiet. Si deorsum acclinet, videbit Orcum fauces ad se deglutiendum distendentem. Si ad latus obtorquebit forsan Erebi phalanges in sui pernitiē armatas deprehendet. Si in se ipsum convertet, conscientiam omni Thesiphone acerbius sese flagellantem experietur, Ut multò veriùs quas olim musanna exclamare cogatur: *Angustiæ mihi sunt undique.* Angustiæ in corpore, angustiæ in anima, angustiæ ex præteritorum memoria criminum, angustiæ à superventurorum atque à jam jam incubantium suppliciorum expectatione. *Angustiæ mihi sunt undique.* Overè tribulationem supra tribulationem; & qualis non fuit ab initio mundi.

§. III.

Tentationum conformitas.

X. Progreditur Dominus in vaticinio suo & ait: *Surgent Pseudo-Christi & pseudo-prophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur etiam si fieri potest electi.* Surget homo peccati Anti Christus, *cujus adventus*, ut eum graphicè depingit Doctor gentium; *secundum operationem Sathanæ in omni virtute, & signis & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis.* Surget inquam, & toto armatus Orco in excidium, ac ruinam Christianorum loricabitur. In hunc finem jam promissis, & gratiis certabit; jam quidquid vel Busiridis boves, vel Neronis accensæ de spirante adipe faces, vel Diocletiani Maximilianique tormenta intactum reliquêre, per omnem tentabit violentiam. Eheu calamitosissimos, qui unquam extitêre mortalium, in quos hæc tempestas desævier, hi laquei, & vincula expedientur, hæc cruciatuum scena repræsentabitur.

XI. Evigila evigila è tuo veterno homuncio, & si te exemplum ab ea arbitraris, tuo jam imminere vertici pro comperto accipe.

Tentationes hominis in morte gravissima. Gen. 3 15.

Prædictum id tibi atque omnibus oraculo est à Domino: *Inimicitias inquit ponam inter te & mulierem, inter semen tuum & semen illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Nam quænam hæc lucta est, præterquam serpentis antiqui cum Ecclesia. Quid item insidias struere calcaneo, non pectori aut capiti, aut manibus? Nonne ictus capitis lethales sunt, & cordis, plantarum autem leviores? Cur ergo calcaneum satius impetit, quam aliud quodvis membrum? Ultima pars hominis calcaneus est, finem vitæ cui imprimis Erebus insidiatur adumbrans. Ita S. Antonius *serpens insidiatur calcaneo ejus, quoniam Diabolus tentat in* *S. Antonius 4. p. c. 14.*

fortiter in fine vitæ. Calcaneus enim qui finis est corporis finem vitæ significat Eo articulo solito vehemētius instat, ut vel faciat de divina præsumere misericordia, vel etiam quod alterum extremum est, in desperationis abyssum prolabi, aut in aliud quodvis consentire peccatum.

XII. Sanctissimus Domini Vates David seriò intendens omnibus idipsum inculcari, aures exporrectas exposcit: *Audite hæc omnes gentes; quique terrigenæ filii hominum, simul in unum dives & pauper: Os meum loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam.* Quidnam vero illud est quod tantopere commendas Regum sapientissime? Ne quæso suspensos teneas, sunt enim hic qui longos amant botulos, breves conciones. Accipite quod volo paucis: *Cur timebo in die mala?* Quid me eviscerabit? Quid dabit in ruborem? Nunquid hastatæ me eviratum reddent phalanges? Nunquid inopini percellent casus? Nunquid fulgurita suo exanimabunt boatu? Neutiquam. Quid ergo? *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Id unum vereor ne in extremis iniquitas aliqua inveniatur in me, ne sathanas me circumveniat, & ad infernum agat præcipitem. Etsi enim Tentator ille vix unquam à pravis desistat suggestionibus, in exodo tamen hujus peregrinationis vigilantissimè excubat.

Psal. 88.

Ibid.

XIII. Evidentissimum id evadet ex holocaustis Domino ab Abraham oblatis. Etenim offerente illo quodam tempore sacrificium illico de vicinis montibus advolarunt falcones, vultures, accipitres, quidpiam de oblatis sufraturi adipibus *Descēdebantq; volucres super cadavera, & abigebat eas Abraham.* Vix similem casum in sacris invenio paginis. Obtulit Abel in prima mundi ætate de gregibus suis victimas. Immolavit itidem Noe sacrificium Eucharisticum ex arca egressus. Salomon in templi inauguratione viginti duo millia boum, & centum millia arietum *polluxit* domino; nec tamen ulla avium rapacium advolasse dicitur. Quid itaque est quod Abrahamo sacrificanti sese ingesserint? Credo Vultures hosce extitisse typum insidiantis sathanæ, & in pernitiem fidelium vigilantis. Quando enim Abraham immolavit? *Cum sol occumberet.* Ex quo liquidum evadit vespertinum Domino obtulisse sacrificium, & tum accipitres involasse. Verum quod ibi manifesto evenit, id nobis clanculum sub vitæ vesperum usuvenit. Tum enim infernalis Laban Iacobum persequitur vehementius, quam ab ejus sese emancipat servitio. Tunc Pharao gehennalis omnem movet potentiam, quando in terram promissionis expeditis Ægypti retinaculis properare advertit. Tunc discerpere nititur, cum foras relictâ prædâ exire compellitur. *Tunc pejus cogitationes mentis dilaniat, cum jam terminus egressus, sui divina virtute compulsus appropinquat, ait D. Greg.* Tunc eveniet, quod oraculo prædixit S. Ioan. Apostolus in sacra sua Apocalypsi: *Descendit ad vos Diabolus habens iram magnam sciens quia modicum tempus habet.* Descendet ut quem canum longis annis inter scelera conctrictum servavit, morientem simul novis angoribus occuper, & tentatio-

Gen. 15. 11.

Ibid.

D. Greg.

tationibus infestet. Descendet plenus irarum, ut quem hactenus spebus inanibus lactavit, jam minis & terroribus in desperationem adducat. Tunc enim ostendet impio peccata ipsius nimis esse grandia, numerosa, Divinæ bonitati intolerabilia, censuram Numinis gravem, stateram Iudicis exactam, nullis verborum lenociniis flexibilem, nullis precum, aut munerum corruptelis obnoxiam; nihil restare præter jus rigidum æternaque carnificum Avernalium tormenta.

XIV. Inter ejusmodi alioque plures inimici suggestus, quis palor obsidebit morientis frontem? quantus sudor à tergo fluet, quali trepidatione fluctuabit animus? quæ perturbatio mentis erit confusio, quis cogitationum inter se præliantium conflictus? pronum est suspicari periculosam admodum futuram ultimam cum Sathana pugnam, iis imprimis, quibus semper persuasum fuit, non priùs facere initium pœnitentiæ, quam ubi ad litus æternitatis appropinquaverint. Certe res est plena periculi tunc cum hoste stygio congredi velle, pro summa rei, totaque adeò æternitate, homines imbelles, inexercitatos, & qui post triumphantis Luciferi effectum victi semper, atque inter compedes ducti sunt ad servitutem; nisi ante infirmitatem fuerimus benè armati, virtutibus exercitati arte pugnandi, vix contra eum prævalere poterimus. Quocirca nunc loricemur contra ipsum, nunc arripiamus consilia Domini, & ingruentibus ejusmodi insultibus, fugiamus ad montes perfervens virtutum exercitium, ad montes superiorum collium, & oremus ne fiat fuga nostra hyeme per torporem, vel in Sabatho, seu ocio & cessatione à piis operibus.

§ IV.

Synthesis Iudicii.

XV. TRibulationem tantam ac Tyrannidem Anti-Christi excepturum est Oecumenicum judicium. *Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli.* Tunc quum animal hoc magnum tellus (quemadmodum gentilitas interpretabatur) oculos suos (luminaria inquam cæli) occluserit, dum bœcumenicis agitata motibus totis artubus contremiscet, cum plangent supra eam omnes tribus terræ, & propè in cineres ac favillam redigetur. *Tunc videbunt filium hominis, &c.* *Mat. 24.*

Quid verò de nobis omnibus vaticinetur Doctor gentium audiamus. *Statutum est inquit omnibus hominibus semel mori, & post hoc judicium.* Eadem hora qua mors venit eadem reddenda est ratio, & eodem loco, quo spiritum exhalaveris, tribunali es sistendus. Cum enim Christus, qua DEUS omni loco præsens sit mox ubi anima à corpore separata fuerit ibidem judicium hoc instituitur. Et hic quidem in lecto illud judicium accipit, alius in igne quo concrematur; alius in undis, in quibus suffocatus est; alius in campo; ubi procidit. Et sic ubi moribundus ultimum traxerit spiritum, ibidem etiam decretoriam accipi & sententiam; & ubi ardente cerâ moribundi extremus *Heb. 9.27.*

spiritus

ſpiritus exploratur, inde jam anima vel ad æternas ſedes evolavit, vel cum iis qui ducunt in bonis dies ſuos in puncto ad inferna deſcendit. *Tunc videbunt Filium hominis venientem* &c. Eſt itaque inter judicium particulare ac univerſale hoc unicum diſcrimen, quod eſt in judiciis noſtris, quando in eo privatim ſententia fertur in reum, & quando ſubindè eadem publicatur. Cæteroqui unum atque idem eſt in ſe, eademque ſententia. Si tunc ſcribetur pro te feliciſſimum, A. ſeu *venite benedicti*, idē repetetur in decretorio univerſali die. Si quod ſuperi averuncent feretur infelix ſeu *diſcedite à me maledicti*, idipſum ſubindè innovabitur. Quod ſi itaque illud Oecomenicum expaveſcimus judicium, multò magis (à quo illud dependet) particulare. Si in illo optaremus inveniri ſervi boni & fideles, conemur ut in iſto tales habeamur & proclamemur. Si illo geſtiremus conſecraſſe vitam noſtram Numini, nec unquam ſcientes volentes exacerbaſſe ejus Majeſtatem, accurremus quatenus in præſentiarum ejuſmodi nos geramus: Tales enim judicabimur in illo, quales inventi fuerimus in iſto. Ergo ſi reformidamus illud, reformidemus & iſtud, & in tempore nos judicemus, ne cum mundo in maligno poſito diſpereamus.

AMEN.

FINIS.


Th
3315